
V
B
J
C
36428
I

# DE SACROSANCTO

POENITENTIÆ SACRAMENTO TRACTATVS MORALIS, ET SI SCHOLASTICA METHODO ELABORATVS.

IN QVO

SVCCINCTE PROPOSITIONES A SVMMIS PONTIFICIBUS Alexandro VII. & S. D. N. Innocentio XI. damnatæ exponuntur, declarantur, elucidantur:

Maxime

3. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 24. 25. 41.

EX ALEXANDRO VII.

1. 2. 17. 55. 57. 58. 60. 61. 62. 63. 64. &. 65.

EX SANCTISSIMO INNOCENTIO XI.

AVCTORE

*R. P. Fr. EMMANVELE A CONCEPTIONE,*

*Navarro oppidi de Azagra:*

E Sacro, & Cœlesti ordine Excalceatorum Sanctissimæ Trinitatis, Redemptionis Captivorum:

*IN PROVINCIA SPIRITVS SANCTI EIVSDEM ORDINIS Philosophiæ olim Lectore: deinde in Alma Conceptionis, in suo Salmanticensi Collegio, Sacræ Theologiæ Lectore; atque ibidem Ministro, nec non totius Ordinis Diffinitore Generali.*

Nunc secundò in lucem prodit: cum triplici Indice, altero Disputationum, & Quæstionum: altero propositionum damnatarum: ac tertio Rerum locupletissimo.

M. Martini Olinski



VARSAVIÆ

*Typis S. R. M. in Collegio Scholarum Piarum.*



*Ruta malos arcet; fert aurea fascia lucem,*
*Quæ nigra stat, tenebras hostis abinde capit.*



# FACVLTAS ORDINIS.

## BENEDICTA SIT SANCTA TRINITAS.

FR. Petrus à Sancto Michàéle Major, ac Generalis Minister Ordinis Excalceatorum Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum. De consensu nostri Definitorij Generalis, ex cujus commissione Tractatus de Sacramento Pœnitentiæ à P. Fr. Emmanuele de Conceptione nostræ Sacræ Religionis Religioso, & Sacræ Theologiæ Professore elaboratus, à gravioribus, & Doctioribus nostri Ordinis Religiosis recognitus, & approbatus est ; ut obtentâ Illustrissimi Ordinarij licentiâ, & alijs necessariis Typis mandetur, tenore præsentium facultatem concedimus. Datis Matriti die quinta Maij Anno Domini Millesimo, Sexcentesimo, Octogesimo, Septimo, manu nostra ac Secretarij nostri Chyrographo subscriptis sigillique nostri Diffinitorij impressione munitis.

*Fr Petrus à Sancto Michàéle*
*Minister Generalis.*



Mandato P. N. Ministri Generalis.
*Fr. Ioannes à Iesu Mária Sec.*

# FACVLTAS ORDINIS.

## *Ave Maria.*

FR. Joannes de Sancto Antonio Minister Major, ac Generalis Ordinis Excalceatorum Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum Primitivam Regulam profitentium. &c. Cum nobis constet, librum cui titulus est. *De Sacro Sancto Pœnitentiæ Sacramento Tractatus Moralis & si Scholastica methodo elaboratus*, per Patrem Fr. Emmanuelem à Conceptione, qui Anno Domini Millesimo, Sexcentesimo, Octogesimo, Septimo. Superiorum permissu Pampilonæ : Typis mandatus fuit ; modo à P. Fr. Joanne à Nativitate nostri Conventûs Civitatis Varsaviensis Præside prælo iterum committi velle; quantum in nobis est de consensu nostri Diffinitorij Generalis ; dicto P. Præsidi Varsaviensi, obtentis prius reliquis requisitis, Licentiam & Facultatem concedimus. Datis in hoc nostro Matritensi Conventu, manu nostra, ac Secretarij chyrographo subscriptis, sigillique ejusdem Diffinitorij impressione munitis. Die quarta Mensis Julij Anno Domini Millesimo, Sexcentesimo, Nonagesimo, Septimo.

*Fr. Ioannes de S. Antonio*
*Minister Generalis.*

Mandato P. N. Ministri Generalis.

*Fr. Ioseph à Resurrectione*
*Diffinitor Generalis ac SS.*

*APPRO-*

## *APPROBATIO R. P. DIDACI DE ALLENDE,*
### *Rectoris Collegij Societatis IESV Pampilonensis.*

DE mandato D.D. Joannis Guerra, hujus Diœcesis Vicarij Generalis, vidi Tractatum de Sacramento Pœnitentiæ, Authore R. P. M. P. Emmanuele de Conceptione, è sacra ac cœlesti Sanctissimæ Trinitatis Excalceata, & Redemptrici Familia, olim in suo Salmanticensi Collegio Theologiæ primario Lectore; & cùm Author, tum opus subscriptionem meam justissimè extorquent: Author enim jam Theologiæ præluserat Philosophico Trinitario Cursu, ingenti scholarum emolumento, & plausu, ubi syllogismorum gryphos dissolvere expertus, in speculando subtilis, in inquirendo solers, in plusquam Gordianis nodis, non scindendis, sed solvendis facilis, suis in placitis propugnandis, aliorumque impugnandis felicissimus, alta, solidaque fundamenta Theologicæ structuræ jecit. Promissionis in Philosophia initæ, nobisque acceptatæ, & expectatissimæ, fidem nunc primùm liberat fama, & expectatione major. Prædixeram ergo sanè, præsenseramque dum Sanctissimæ, doctissimæque Religionis Filius Theologicam publicis utilitati & luci debebat, & sui simillimum, sapienttssimæque Matris haud degenerem prolem extiturum. Quid ni; cum inter illos adscribi in primis promereatur (seu ut urbanè cum Vrbano VIII. loquar) * *inter viros Religiosos, eos præcipuè, qui remoti à turbis divinæ vacantes contemplationi in altum primævi instituti mentem juxta normam à Sede Apostolica peculiariter illis præscriptam, & non solùm privatæ; sed publicæ animarum saluti invigilantes, dura servitute apud Barbaros detentorum libertati, & spiritualibus periculis fructuosè insudant, & consulunt.* * Vnde ergo uberiùs, securiùsque doctrinæ fluenta prædiviti vena erumpent, & mortalium bono pluent, quam ex illorum Sanctissimo cætu, qui ardua, licet non invia aggressi, luctantes, enixique, dum terrena prætervolant, veluti regiæ aquilæ sapientiæ solem generoso obtutu sustinent, equè divinitatis splendore ebibunt, ut postmodum copiosiùs irrorent, & vivo gurgite exundent? *Illi nempe* (ut Clementis utar verbis) * *qui divina inspirante gratia, ar-*

_ctioris vitæ zelo ducti primum dicti Ordinis regulare institutum imitari cupientes, postpositis quibuscunque corporis commoditatibus, dummodò Christum lucri facerent,_ * non sibi, sed alijs vivunt: nónne aliorum bono vitam degunt? * _cum proprium ac præcipuum Fratrum prædictorum Discalceatorum institutum sit Christi fideles in teterrima infidelium servitute detentos redimere?_ *

Nunc autem si hujusce tractatûs materiem inspiciam, cùm Authori, tum Religioni cohærentem invenio: Theologiam nempe, & quidem aptissimè exorditur Author à Pœnitentiæ Sacramento, ut fausto auspicio Redemptionis humanæ præcipuum proferat pignus Redemptricis familiæ æque pius, ac sapiens Alumnus; utque hominum libertati voto addictus, & mancipatus, eleemosynis libera manu, lingua, & calamo omnem captivitatem eliminet, & ab animis, corporibusque, cum ingenti gloria triumphum agens, propellat, & arceat. Et ubi apud fideles corporum, quam sublevet, servitutem non invenit, animas sub fortis armati infami carcere pressas, recreet, viamque recludat, quâ salutis portum, securissimè teneant. Et cum (ut testatur Vrbanus) * _Congregatio prædicta juxta laudabile ipsius institutum ejus Religiosos in Africam, ut Christi fideles inibi sub misera Turcarum servitute constitutos, quos possunt ab illa eximere, quærant, eosque in Domino consolentur Ecclesiastica Sacramenta illis administrent, ac eorum denique animarum saluti, quibus possunt rationibus, incumbere valeant, mittere intendant_ * merito Pœnitentiæ explicationi apud fideles incumbit, qui apud Barbaros, ut fideles Sacramentis reficiantur, professione invigilat.

Et ut à morum Theologia exordium sumat Methaphysicis, Theologicisque subtilitatibus maximè instructus, & instruens, diuque cum laude versatus Magister, in causa est, quod nobili, laudanda, & communi bono acuenda æmulatione à Sapientissimo consanguineo susceptum opus absolvere generosè molitur: adoritur enim opera Reverendissimi ac Sapientissimi P. Fr. Leandri de Sanctissimo Sacramento, Authoris Patrui de Theologia Morali benemeriti, qui 11768. quæstiones magnâ acuminis dexteritate, maturâ judicij prudentiâ Doctores, utrinque fidelissimè referens,

laudansque

laudansque censoria virga, ad trutinam judiciumque vocat, sententiam suam felicissimè dicit, brevisque, quin obscurus fiat, à tot tantisq; nodis labyrintheis se expedit. Tanti ergo viri, quem * *abstulit atra dies, & funere mersit acerbo* * ne Decalogi præceptis manum imponeret, & quidem ultimam; vestigia non longè premit, & adorat, ut Sanctissimæ Excalceatorum Trinitatis Familia geminos sibi Plinios gratuletur Theologos: Majoris ego quidem dotes toti orbi notissimas reverenter omittam; Minoris verò suavitatem, & ingenij acumen plusquam Trajana panegyri extollerem, ni Censoriam virgam in panegyrim deflectere pertimescerem: & ni mallem attendere, quid modestia Authoris pati possit, quàm quid ipsius virtutibus, doctrinæque debeatur. * *Et quia ornari res magna negat, contenta doceri*; * accede, ergo lege, & mecum subscribes. Sed ut aliquando tandem finem dicendi, licet invitus, faciam de viro Sapientissimo, & de nostræ Societatis JESU doctrina optimè merito omnes quidem, sed ptæcipuè Sanctissimæ Trinitatis Alumnos virtutum omnium spirantes flores nobilissima germina, Lypsiana, justaque adhortatione alloquor. (Justus Lipsius centur. 1. ad Belgas Epist 50.) * *Doctorem habetis natum ad optimas artes, & cum his pietatem exercendam audite, sequimini, & militate sub felici signo.* * Ita censeo Pampilonæ in nostræ Societatis JESV Collegio Annuntiatæ Virgini sacro. Die 15. Maij 1687.

*Didacus de Allende*
*Rector Soc:* J E S V.

# FACVLTAS ORDINARIJ.

NOs licentiatus D. Joannes Guerra Gubernator, Provisor ac Vicarius Generalis Civitatis, & Diœcesis Pampilonensis per Illustrissimum Dominum D. Joannem Grande Santos de San-Pedro Episcopum Pampilonensem, &c. Tenore præsentium mediante censura A. R. P. M. Didaci de Allende Rectoris Collegij Soc: JESU, Civitatis Pampilonensis, quantum ad nos attinet, facultatem,

cultatem, quæ requiritur, & est necessaria, impertimur, ut liber, cujus titulus est: *Tractatus de Sacramento Pœnitentiæ*, ab A. R. P. M. F. Emmanuele à Conceptione Religioso Ordinis Discalceatorum SS. Trinitatis de Redemptione Captivorum conscriptus, Typis mandari possit, quandoquidem constat, nihil contra nostram Sanctam Fidem, & bonos mores ex eo resultare. Dat. Pampilonæ die 16. Maij. Anno 1687.

*Licentiatus D. Ioannes de Guerra.*

Mandato suæ Dominationis

*Michàël Galindo Not.*

## *CENSVRA DOMINI LICENCIATI D. IOSEPHI De Azedo, & Yniguez, Togati quondam in majori D. Bartholomæi Veteri Collegio Salmantino, in eaque Vniversitate Philosophiæ Antecessoris, modo in Cathedrali Pampilonensi Ecclesia Regularis Canonici.*

EX commissione Supremi Navarræ nostræ Senatus recognovi Tractatum de Pœnitentiæ Sacramento: elaboratum à R. P. Magistro Fratre Emmanuele à Conceptione, Ordinis Discalceatorum Sanctissimæ Trinitatis, Redemptionis Captivorum faustissima prole: Olim Salmanticæ in suo Collegio, & Theologiæ Primario, & omnibus numeris absoluto Ministro: opus, quanta potui legi diligentia: in quo nihil inveni Christianæ Fidei contrarium, nihil non maximè consonum; denique celeberrimi viri, in an-

in anteactis dissimilem, apud quem ingenium scit quàm optimè pietati, & prudentiæ fidem servare: ideoque publica luce, & dignum, & desiderandum censeo: in hac nostra Cathedrali Pompelonensi Ecclesia Canonicorum Regularium Ordinis Sancti Augustini, die 16. Maij 1687.

*Licentiatus D. Iosephus de Azedo, & Yniguez.*

## *Facultas Supremi, ac Regij Senatus Regni Navarræ.*

EGo Josephus Martinez Secretarius Supremi, ac Regij Senatus Regni Navarræ fidem & testimonium facio præsentatum fuisse ante prædictum Regium Senatum quendam librum cujus titulus *Tractatus de Sacramento Pœnitentiæ* ab A. R. P. F. Emmanuele à Conceptione Religioso Ordinis Discalceatorum Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum elaboratum; At cum præfatus A. P. F. Emmanuel Regiam facultatem,, ac licentiam exposceret ut dictum librum typis mandari posset: ex parte Regij Senatus transmissus fuit ad licentiatum D. Josephum de Azedo Canonicum Ecclesiæ Cathedralis Pampilonensis, ut illum attente perlustraret, suamque approbationem præberet, qua præsentata, & visa mandatum fuit, ut typis traderetut, &c. &c. ut fusius constat ex Originali. Dat. Pampilonæ die 26. Mensis Septembris Anno 1687.

*Iosephus Martinez Sec.*

# RATIO OPERIS.



CVm Noster Sanctissimæ Trinitatis, Redemptionis Captivorum Ordo vetustissimus, *& si solum.* [a] *quinque sæcula, quibus castris relictis* [b] *Militaris quondam fuit claustra & chorum frequentat, supputemus. Cælestis* [c] *inquam, nam è cælo Habitum & Institutum, ab Angelis cum Parisiis S. Protho Parenti nostro Ioanni de Matha, inter primæ Missæ solennia, tum Romæ Innocentio Tertio P. M. Quinto Kalendas Februarij Anno reparatæ salutis Centesimo Nonagesimo Octavo supra Millesimum, Rem divinam publicè & solenniter in Patriarchali Lateranensi facienti, miris prodigiis indicatum & nutu Dei approbatum habemus :* [d] *Angelus quippe tunc semel & iterùm nivea veste Rubei & cærulei coloris Cruce splendenti, brachiis cancellatis, duos ad latera captivos tenens Christianum unum, alterum Maurum, tanquam eos permutaret, formam Redemptionis ostendit, dulcique simul Angelorum melodia imbutus Pontifex conceptum animæ impressum verbis*

*a Vide Tom. 1. Epist. Decret. Innocen. III. Excus. Rom. An. 1643. lib. 1. fol. 13. R. & V. P. Andrade Iesuit. in vit. SS. Ioan. & Felicis & alios.*

*b R. P. Bonav. Baro Minorita in Apparatu ad Annal. Ord. nostri. N. R. P. Generalis Raphäel à S. Ioanne in suo erud. lib. de Redempt. R. P. Petrus de Assumpt. in memor. Nil Novum.*

*c Petrus de Aponte Episc. Balleari in præfat. antiqui Breviar. Ordin. tempore Leonis X. Alphonsus Illescas. in Histor. Pontific. 1. par. lib. 9. in vit. Innoc. III. Marcus Anton. Sabelicus Tom. 2. Ænead. Ænead. 9. l. 5. pag. 735. Sylvester Marulus Cisterc. In mari Oceano omnium Religionum lib. 3. pag. 9. Benedictus Gononius Cælestinus in vit. Patr. Occid. Didacus de Haedo Archiepisc. Panormitan. Ord. S. Bened. in Gener. Algerij Histor. Martinus Carillo Abb. Montis Arrag. Can.*

*verbis exprimens ſic Vrbi & Orbi teſtatus eſt.*

*Hic eſt Ordo approbatus.*
*Non à Sanctis fabricatus.*
*Sed à Solo Summo Deo.*

Cum igitur hic Cæleſtis Ordo *adjuvante Domino* [e] *per Poloniam propagetur*, indieſque numerus Polonorum Redemptricia vexilla ſequentium creſcat, Eccleſiæq; noſtræ, à pia fidelium devotione, haud ſine animarum lucro frequententur hoc unicum: Cum ad commoditatem Neo-Confeſſariorum noſtrorum tùm vel maximè ad omnium Spiritualem ſalutem procurandam, viſum fuit mihi eis aliquem Doctorem ſequendum proponere, qui non præcisè ſyllogiſmorum gryphis, ſed ſolidis fundamentis in Sacroſancto Pœnitentiæ Sacramento adminiſtrando, ſecuram methodum edoceret, veritatem defenderet, in via ſalutis æternæ peccatis aberrantes ad fructuoſæ pœnitentiæ ſemitam benignè, etſi certò compellere monſtraret. Et ecce deſiderio meo opportunè ſe offert A. R. P. Emmanuel à Conceptione noſtræ Sacræ Religionis Decus, qui hunc ſuum

*Reg. S. Auguſt. in Annal. Chronologicis mundi ad annum 1198. l. 4. folio 343. N.R. Gener. Gaguinus in comp. de Geſtis Francorum Abraamus Bzovius Dominicanus, tom. 13. pag. 55. Proſper. Stellar. Ord. Erem. S. Auguſt. l. 6. in titulo Alphonſus Remon Ord. B. M. de Mercede in Chron. ſui Ord. à fol. 55.*

*d R.P. Martin. de Oſuna Carmelita lib. memor. Sacrar. à pag. 545. P. Macedo Minorita in vitis SS. Patrum noſtr. cap. 13. pag. 35. R. P. Franciſcus Garcia S.I. in flor. SS. 3. part.*

*e V. P. Andrade S. I. in vitis SS. PP. Ioannis & Felicis cap. 13. fol. 52. & omnes ſup. relati.*

*f SSmus Innoc. XII. in ſuo Brev. exped. 1. Martij an. 1692.*

Sacroſancti Sacramenti Pœnitentiæ Tractatum aperit ad mentem Summorum Pontificum Alexandri VII. & Sanctiſſimi Innocentij XI. elaboratum, juxta propoſitiones ab ipſis damnatas, cum gloſis nonnullis pro earum faciliori captu, quo ſi nihil Neo-Confeſſariis utilius forſan & nihil erit jucundiùs. Salmanticæ quondam è ſuggeſtu eundem diſcipulis dictavit, quippe præ omnibus confeſſariis apprimè neceſſarius univerſorum judicio extat. Plures illum in honore habuiſſe experimento didicimus, nam Codex ſcriptis traditus, non ſecus ac prælo mandatus omnium manibus terebatur, & merito, nam tanti Magiſtri hic ingenij fætus ſuis perſimilis evaſit fratribus, jam publicæ utilitati, haud ſine plauſu Orbis literarij datis, quales extant Curſus Philoſophicus Trinitarius, ( cujus encomia & laudes ut alios taceam, extollit in approbatione ejuſdem literis & virtutibus Eximius Reverendiſſimus Pater M. Thyrſus Gonzalez, nunc præclaræ & nobis conjunctiſſimæ Religionis Societatis J E S V meritiſſimus Præpoſitus Generalis )

compen-

compendium omnium operum N. R. P. Leandri à Sanctissimo Sacramento totius Ordinis Nostri Laudatissimi Generalis & Authoris Avunculi. Item percelebre volumen ubiq; receptum & gratissimum. *De Iure & Iustitia*: quibus addere poteram quam plurimas morales resolutiones eloquentiâ, doctrinæ varietate, difficilium casuum clara & sapienti enodatione, plenissimas, ex quibus non mediocre quiret confici volumen. De quibus verò veriùs dicere licet illud Cassiodori ex tanto Magistro.

*Nil nasci potuit mediocre.*
*Tot probati quod geniti.*

Plures còáctus omitto laudes tanto Doctore dignas: vereor quippe ne modestia adhuc superstitis & plura Typo ministrantis offendatur Authoris, qui suis & si jure debitis irascitur præconiis. Encomia ejus, & excellentiam si nosse cupitis, ex adjunctis censuris ea delibare licebit; pleniùs & forsan gratiùs, ex ipsiusmet operis evolutione haurietis.

En igitur Tomum, quem opto ve-

ſtris ſtudiis utilem, quibus promovendis unicè ut dixi recuſus eſt. Hunc igitur Candidiſſimi Neo-Confeſſarij ſedula manu, & mente pariter verſate, licet non rudi mothodo depictum, modeſtâ tamen Minervâ concinnatum, nec propterea minus acceptum opus ſpero, viget enim ubiq; ſcholaſtica forma : in nonnullis graviſſimis Religionibus pulvere ſoholaſtico haud amoto morales conferentiæ in obſervantia ſunt. Ornatum vel lenocinium orationis minime Author inſectatur. *Vitioſum namq; eſt* [g] *in re ſevera delicatum inferre ſermonem. Bonorum* [h] *ingeniorum eſt indoles in verbis verum amare, non verba.* Sic ſublimitate ſermonis in partem ſepoſita quibus potuit Noſter Magiſter communibus & claris verbis neceſſaria ad Sacramentum Pœnitentiæ in lucem proferre ſtuduit, paucis dicens cum D. Hieronymo [i] *Mihi ſufficit ſic loqui ut intelligar. Malo* [k] *rudis videri quàm à non ità Rhetoricis non comprehendi.*

[g] *Marcus Tullius in Rhetor.*
[h] *D. Auguſtinus l. 4. de doctr. Chriſt.*
[i] *D. Hieronymus ad Damaſum.*
[k] *S. Auguſtinus.*

Si igitur omnia ad rei naturam veſtramq; ut opinor ſpectent utilitatem, boni æquique conſulite, ad operiſque

iſtius

istius ideam conformate, benignoque in Authorem illius animo estote. Sin minus quod *velle suum unicuiq; est, nec voto vivitur uno* censuram non aversor ( sed mitior obsecro sit Christianæ Religiosæque charitati propinquior ) Crisi vestræ opus submitto. Verum hæc scriptoribus ferenda sunt, nec unus enim licet meritis & doctrina eximius Zoilorum fugijt sententiam. Sed sanè 1 *Quisquis legis nihil reprehendas, nisi cum totum perlegeris, atq; ita forte minus reprehendes.* Valete jam ergo & Numini Trino cui Sacrati estis pro Authore & Me, preces incessanter fundite.


1 *S. August. lib. de Mendacio cap.* 1.

INDEX

# INDEX

## DISPUTATIONUM, ET QVÆSTIONUM HUJUS Tractatûs de Sacramento Pœnitentiæ.

# INDEX.



TRA-

# TRACTATVS DE SACRAMENTO POENITENTIÆ.

POEnitentia dupliciter usurpari solet, pro ea scilicet, quæ virtus est, & pro ea, quæ est Sacramentum. Vtriusq; autem discrimina latè tradit P. Suarez *tom. 4. in 3. p. disp. 1.* Ego cum ipso noto, quod Pœnitentia virtus est in genere habitus cum virtus juxta Aristot: *2. ethic. sit habitus electivus in medio consistens rectæ rationi consentaneus.* Pœnitentia verò Sacramentum est in genere signi; cum Sacramentum in communi definiatur, quod est *signum sensibile rei sacræ sanctificantis nos.* Igitur noster Tractatus in enodandis difficultatibus, quæ de Sacramento Pœnitentiæ excitantur; quia istæ magis spectant ad moralem considerationem. Quia tamen, ut rectè animaduertit citatus Suarez, virtus ipsa Pœnitentiæ est pars Sacramenti Pœnitentiæ, de illa, quatenùs huius pars est, non pauca disserimus in 2. huius Tractatus disputatione. Quem in septẽ diuido disputationes. In 1. ago de institutione, essentia, & necessitate Sacramẽti Pœnitentiæ. In 2. de contritione, & attritione. In 3. de confessione Sacramentali. In 4. de satisfactione. In 5. de absolutione. In 6. de Ministro. Ac tandem. In 7. de Sigillo confessionis.

# DISPVTATIO I.

## *De institutione, essentia, & necessitate Sacramenti Pœnitentiæ.*

EA, quæ titulus disputationis indicat, sunt in præsenti pertractanda, ut postea, quæ ad singulas sacramenti partes spectant, singulis etiam disputationibus peragantur.

### QVÆSTIO I.

### *De institutione Sacramenti Pœnitentiæ.*

1 SAcramentum Pœnitentiæ à Christo Domino post suam resurrectionem fuit institutum ut ex cap. 20. Evangelij Sancti Ioannis apertè tradit Tridentinum *ses.* 14. *cap.* 1. his verbis: *Dominus autem Sacramentum Pœnitentiæ tunc præcipuè instituit, cum à mortuis excitatus insufflavit in discipulos suos dicens: accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.*

2 Obijcies tamen: Sacramentum Pœnitentiæ instituit Christus ante suam passionē: ergo non post suam resurrectionem. Antecedens probatur; quia Matthæi 16. cap. dixit Christus Petro: *tibi dabo claves Regni Cælorum, & quodcunq; ligaveris super terram, erit ligatum, & in cælis; & quodcumq; solveris super terram erit solutum, & in cælis.* Similiaq; omnino verba loquitur ad omnes Apostolos *cap:* 18. ergo tunc instituit Sacramentum Pœnitentiæ, sed dicta Christus locutus est ante passionem suam: ergo ante illam fuit institutum hoc Sacramentum. Respondetur negando antecedens; ad cuius probationem neganda est consequentia, & dicendū, quod in prædictis Matthæi verbis non continetur huius Sacramenti institutio; sed tantùm promissio institutionis, quæ post resurrectionem est facta, aut ad summùm traditio potestatis ad ferendas censuras Ecclesiasticas. Ratio autem nostræ responsionis est, quia sic conciliantur testimonia Matthæi cum testimo-

monio Ioannis à Concilio allato.

3 Hinc colliges, quod, si aliquis Diaconus, dum ordinatur Sacerdotio post factam ei traditionem patenæ cum hostia, & calicis cum vino sub forma præscripta, videlicet: *accipe potestatem offerendi sacrificium, missasq; celebrandi tam pro vivis, quam pro defunctis*: si post hæc, inquam, adhuc per acta communione recederet ab Ecclesia existimando nihil necessarium sibi deesse, nō expectando impositionem manus Episcopi sub forma illa: *accipe Spiritum Sanctum: quorum remiseris peccata remittuntur eis, & quorum retinueris retenta sunt*, talis quidem validè celebraret, invalidè tamen à peccatis absolveret, quamvis jurisdictionem haberet à Papa.

4 Ratio autem illationis huiusest, quia potestas ordinis ad absoluendum est insupplebilis etiam à Papa; ea autem potestas ordinis ad absoluendum non tribuitur Sacerdoti per traditionem calicis, & patenæ, sed per impositionem manuum Episcopi sub forma correspondenti. Ratio autem est 1. quia diuerso tempore dedit Christus Apostolis potestatem conficiendi Eucharistiam, & potestatem remittendi peccata, cum illam dederit in ultima cæna; istam verò post suam resurrectionem: ergo etiam Episcopus diuerso tempore utramque confert, alteram per traditionem sub forma correspondenti, alteramq; per impositionem manuum sub forma etiam correspondenti. 2 est ratio quia ipsa verba, quæ dicuntur ad impositionem manuum id clarè denotant, cum denotent, accipi tunc Spiritum Sanctum in ordine ad remittenda peccata: quod si non ita contingeret, frustra dicerentur, quod est contra Tridentinum *ses: 23. can:* 4. ubi sic statuit: *si quis dixerit per sacram ordinationem non dari Spiritum Sanctum ac proinde frustra Episcopos dicere accipe Spiritum Sanctum, & cætera, anathema sit.*

5 Prædictam doctrinā, quod scilicet, potestas ordinis ad absoluendum non tribuitur Sacerdoti per traditionem calicis, & patenæ cum forma correspondenti, sed per impositionem manuum cum sua forma, tradit clare N. P. Generalis Leander de Sanctissimo Sacramento *disp:* 5.

5. *de ordine quæst:* 7. eam vocans longè probabiliorem aliquos contra se, & multo plures pro se citans *quæst:* 6. quibus tamen addendus est Amicus in suo cursu Theologico *tom:* 8. *disp:* 22. *sec:* 4. *n.* 17. *&* 18. *& sec:* 9. *à n.* 66 Notandum tamen est cum communi sententia, quod potestas celebrandi, & potestas absolvendi, quæ cõferuntur in ordinatione Sacerdotis ita se habent, ut 1. subsistere possit sine 2. secus è contra. Ratio est, quia potestas in Corpus Christi mysticum præsuponit potestatem in Corpus Christi verum: potestas autem consecrandi est potestas in Corpus Christi verum, & potestas absoluendi est in Corpus Christi mysticum.

## *Quæstio II. Quid sit Sacramentum pœnitentiæ.*

6 ESsentiam Sacramenti Pœnitentiæ inquirimus, cũque ista consistat in ejus partibus essentialibus, quæ sint etiam partes essentiales eius consequenter examinabimus. Scitis jam partes essentiales metaphysicas cuiusque rei esse genus, & differentiã, partes verò essentiales physicas, materiam, & formam: ut ergo clarius procedamus per utrasq; seorsim hoc Sacramentũ definiemus. Igitur Sacramentum Pœnitentiæ metaphysice consideratum est *Sacramentum novæ legis remissiuum peccatorum, quæ post Baptismum commissa sunt Ly Sacramentum novæ legis* clarè obtinet rationem generis, cum conueniat omnibus septem Sacramentis; reliqua habent rationem differentiæ, quia sunt propria Sacramenti Pœnitentiæ. Si verò physicè consideretur Sacramentum Pœnitentiæ est *totum morale constans contritione, vel atritione, & confessione ut materia, & absolutione ut forma.*

7 Ex utraq; autem ista definitione una componi potest quæ clarius explicet huius Sacramenti essentiã dicendo. *Esse Sacramentum novæ legis institutum ad remissionem peccatorum quæ post Baptismum commissa sunt per dolorosam confessionem, & Sacerdotalem absolutionem* Nota tamen quod dicimus *post Baptismum* in definitione, quia id est sine controuersia; si autem dicamus etiam peccata in Baptismi receptione commissa ad Sacramentum

tum Pœnitentiæ ſpectare, addendum eſt, *aut in ipſa Baptiſmi receptione.*

8 Ex dictis conſtat, quæ ſint partes eſſentiales Sacramenti pœnitentiæ; cum enim conſtet contritione, & confeſſione, ut materia, & abſolutione, ut forma, iſtæ tres erunt partes ipſius eſſentiales, illæ ut materia, iſta ut forma: quod tenet communis ſententia, & conſtat ex Trident: *ſeſ:* 14. *cap:* 3. aſſignante abſolutionem pro forma huius Sacramenti, & actus pœnitentis pro materia. Conſtat prætereа tres partes annumeratas eſſentiales eſſe, quia illis poſitis datur hoc Sacramentum, qualibetq; illarum ablatâ non datur.

9 Sed obijcies 1. peccata ſunt materia huius Sacramenti: ergo & pars eſſentialis ergo non ſolùm ſunt partes eſſentiales à nobis numeratæ. Nec dici poteſt, quod peccata non ſint materia eſſentialis ſeu eſſentialiter requiſita; id enim eſt omnino falſum; quia ſi non detur præteritio peccati, non poteſt dari Sacramentum, quantumvis detur confeſſio, & contritio illius: unde, qui falſo exiſtimaſſet, ſe peccaſſe, quamvis tale peccatum confiteretur cum contritione illius & illi tribueretur abſolutio, nequaquam Sacramentum pœnitentiæ reciperet. Quod adeò verùm eſt, ut quamvis peccatum verum haberet, ſi illud non confiteretur propter obliuionem, ſed ſolùm aliud, quod falſo ſe comiſiſſe exiſtimabat, nequaquam Sacramētum reciperet, ſed in ſuo peccato oblito maneret.

10. Reſp: ad argumentum juxta communem ſententiam diſtinguendo antecedens: peccata ſunt materia huius Sacramenti, remota, concedo antecedens, proxima, nego antecedens, & nego conſequentiam. Quod autem ſine peccato nequeat dari Sacramentum provenit ex hoc, quod Sacramentum non debet conſtare confeſſione, & contritione, ſiue attritione utcumq;, ſed contritione, & confeſſione, quæ connotent veram materiam remotam, ac proinde verùm peccatum: unde tantùm ſequitur, quod peccatum intret in obliquo ad conſtitutionem huius Sacramenti, quod ſufficienter declaratur, dum dicitur ad talē conſtitutionem intrare contri-

tionem, & confessionem veri peccati. Hæc de re apud authores certa sunt, an verò peccata dicenda sint materia remota, & destruenda, an verò etiam materia proxima in obliquo, ut tenet N. P. Leander, quæstio videtur de nomine, in qua cum communi sententia est loquendum.

11 Posito ergo, quod peccata sint huius Sacramenti materia remota, notandum est hanc diuidi in necessariam, & voluntariam, Materia necessaria sunt peccata mortalia post baptismum commissa, & non confessa, Dicuntur autem materia necessaria non quia Sacramentum non possit sine illis confici, cum optime conficiatur cum voluntaria materia. Sed necessaria materia dicuntur, quia est materia, quæ, dum adest, est necessario apponenda, nisi per accidens detur excusatio legitima. Materia voluntaria sunt peccata venialia, aut mortalia ante ritè confessa, quæ etiam dicitur materia sufficiens, quia ipsa ad Sacramentum sufficit, quando non adest materia necessaria. Quod de venialibus docet N. P. Leander ex Concilijs Florentino, & Tridentino *disp*: 1 *q*. 6. De mortalibus verò jam confessis id etiam certissimum asserit ex communi praxi fidelium *disp*: 2. *q*. 32.

12 Nota tamen 1. quod P. Iosephus Gauarri Apostolicus Prædicator *in suis instructionibus pro prædicatoribus, & Confessoribus præsertim Missionarijs instru*: 36. *n*. 39. asserit aliquos, qui dant pro materia confessionis quatuor mendacia vitæ præteritæ non determinando, adhuc in sua mente, quænam illa sint, non debere absolui, ut solent, à confessario. Quia sicut, qui ex 100 hostijs vellet consecrare quatuor, non determinando quænam illæ sint, nullam consecraret, sic absoluens de quatuor mendacijs ex 100. non determinando de quibus, de nullo absolueret. Et quidem ut scrupulum istum pluribus persuaderet antequam instructiones scriberet, libellũ parvum spargere curauit, in quo plura procul dubio utilia fidelibus monita præbebat, & inter illa præfatam doctrinam inserebat, cum hac quidem differentia, quod tunc requirebat à pœni-

nitentibus, ut exterius peccata determinarent, dicendo v. g. accuso me de 4. ultimis mendacijs vitæ præteritæ; jam verò contentus esse videtur, si mente sua pœnitens mendacia determinet. Ne tamen infidelis habear, moneo, quod prædicti libelli authorem ego certè ignoro, quia aut de hoc non curaui dum vidi, aut modo non recordor. Quare quod ipsum Gauarri dixerim authorem illius accipe, ut conjecturam, non ut attestationem.

13 Sed doctrina ista displicet mihi, quia est contra communem DD. praxim, qui nullus, quem viderim præter ipsum Gauarri in hunc scrupulum impegerit, quamvis ipse jam aliquibus illum persuaserit, nulla authoritate ductus, cum nullum citet authorem, & sola ratione, aut paritate jam indicata moueatur. Quare ego nolo scrupulum inijcere pœnitentibus nec onus novum confessarijs, sed ad illum deponendum paritati adductæ respondeo 1. per tres instantias.

14 Prima sit si quis dicat formam consecrationis super quatuor hostias, quæ jam omnes sunt consecratæ ab ipso, vel ab alio, illas de nouo non consecrat, nec Sacramentum conficit; & tamen si absolutionem conferat super peccata ritè alias confessa, verè absoluit & conficit Sacramentum. Secunda instantia sit: si quis dicat *confiteor peccata mea*, & nullum determinet, & statim destituatur loquelâ, imò si tantummodo confessionem petiuit, absoluendus est, & valida est absolutio, ut omnes fatentur, ergo non est necessaria determinatio tanta in peccatis, quanta in hostijs. Tertia deniq; instantia sit: ut consecratio valeat, debet materia illius physicè existere, & esse ita approximata, ut moraliter censeatur præsens, & tamen peccata, quæ sunt materia absolutionis, nec debent existere physicè; imò nec possunt, cum ipsorum existentia non compatiatur cum dolore ad absolutionem necessario, nec esse præsentia physicè, aut moraliter debent. Non ergo aliquid valere potest paritas à Gauarri adducta ex Sacramento Eucharistiæ ad Sacramentum pœnitentiæ.

15 Secundo ad eam paritatem

tem reſpondeo abſolutè negando conſequentiam, ſiue paritatem; quia panis eſt materia Euchariſtiæ, ex qua conficitur Sacramentum, & ipſá forma Sacramenti indicat eam debere eſſe determinatam dum dicit *hoc*. At verò nec in forma Sacramenti pœnitentiæ denotatur iſta materiæ determinatio, nec peccata ſunt materia, ex qua conficiatur Sacramentum ſed solùm circa quam, & connotata eſſentialiter: hæc autem connotatio non petit eſſentialiter, quod ſit de peccatis determinatis; ſed de peccatis abſolutè, & in confuſo: unde ſolùmdebent determinari quando, & quomodo id exigit confeſſionis præceptum. Hanc ego cogitaui ſolutionem pro doctrina, quæ ab omnibus ſupponi videtur. Alij alias ſubtiliores & ſolidiores cogitabunt, dum incidant in Gauarri ſcrupulum, quem uſque modo à nullo vidi impugnatum. Vide dicenda diſp: ſeq: n. 169. ex quibus data ſolutio non parum confirmatur.

16 Nota tamen 2. cum noſtro P. Leandro *diſp*: 1. *quæſt*. 9. & *Lugo diſp:* 16. *n.* 102. contra Sanctium *in ſelectis diſp*: 1. *a num*: 4. non eſſe reprehendendos cōfeſſarios eo quod non reprehendant pœnitentes qui confitentur imperfectiones, ut quod non correſpondeant diuinis inſpirationibus: ratio eorum eſt, tū quia regulariter loquendo ſunt peccata venialia, & conſequenter materia ſufficiens; tum etiam, quia etiam ſi peccata non ſint, poſſunt confeſſario manifeſtari, ut ſic melius ſtatum pœnitentis agnoſcat, eiuſq; conſcientiam perſpectam habeat, ut melius ipſi mederi poſſit.

17 Secundo obijcies: ſine intentione recipiendi Sacramentum, nequit iſtud dari: ergo etiam iſta intentio erit pars eſſentialis. Reſpondetur concedendo antecedēs, & conſequentiam, nec ſola iſta, ſed etiam intentio Miniſtri eſſentialis pars eſt, ſed non ideò augendus numerus partium, quia utraq; includitur in aſſignatis à nobis, intentio ſuſcipientis in confeſſione, & intentio Miniſtri in abſolutione; utraq; enim debet fieri modo humano, & modo humano facta includit intentionem, unde potius intentio modus partis eſſentialis, quàm

quam pars essentialis absolutè est dicenda.

18 Tertio obijcies: satisfactio est etiam materia huius Sacramenti: ergo est pars essentialis ultra tres à nobis assignatas. Antecedens constat ex Trid: sess. 14. cap. 3. ubi actus pœnitentis ait esse materiam huius Sacramenti, & statim inter eos satisfactionem computat. Respondetur concedendo antecedens, quod late defendit Amicus *tom. 8. disp. 10. sect: 4. nu. 75.* satisfactio utique per impositionem fit debita, deindeq; per absolutionem elevatur, siue determinatur, sicut alia materia, ita ut reddatur meritoria gratiæ ex opere operato, & etiam ei correspondeant similiter ex opere operato aliqui gradus remissionis pœnæ. Concesso ergo antecedenti, nego consequentiam, quia non tota materia alicuius compositi, est eius pars essentialis, sed illa, sine qua illud saluari nequit: Sic in homine materia, quæ reperitur in brachio non est hominis pars essentialis, sed integralis, quia sine illa posset homo dari; unde solum est pars integralis: similiter ergo, cum Sacramentum pœnitentiæ subsistere possit sine satisfactione, ea, quamvis materia sit, non pars essentialis, sed integralis est; intellige tamen hoc de satisfactione in re; nam ipsa in voto omnino est necessaria, sic autem sumpta includitur virtualiter saltem in ipsa atritione.

19 Quarto obijcies: contritio non est sensibilis, cum sit spiritualis: ergo non potest esse pars essentialis Sacramenti. Cōstat consequentia, quia Sacramentum est signum sensibile. Resp: 1. distinguendo antecedens: contritio non est sensibilis per se, concedo antecedens, per aliud, nego antecedens, est enim sensibilis per confessionem: unde nego consequentiam. Resp. 2. absolute concesso antecedenti, negando consequentiam; nec urget probatio; quia, ut Sacramentum sit sensibile, sufficit, quod aliqua eius pars sit sensibilis, sunt autem sensibiles absolutio & confessio.

20 Quinto obijcies: si actus pœnitentis essent pars essentialis huius Sacramenti, causarent gratiam; sed illam non causant: ergo non sunt partes essentiales.

les. Major constat, quia omnes partes essentiales Sacramenti debent causare gratiam, minor vero probatur, quia si actus pœnitentis causarent gratiam Sacramenti pœnitentiæ, pœnitens esset minister huius Sacramenti, sicut Sacerdos, & se ipsum absolueret; si quidē gratiam huius Sacramenti causaret, & solueret vincula suorum peccatorum.

21 Resp. tamen ad hoc argumentum 1. negando majorem, nec constat, quòd omnes partes essentiales Sacramenti debeant causare gratiam; inprimis enim satis communis sententia tenet, Sacramenta causare physicè gratiam, cum què satis frequenter contingat, quod materia Sacramenti non existat physicè in instanti, in quo aduenit forma, necessario dicendum, quod materia quantumvis pars essentialis sit non causat gratiam, sed solum dicitur totum Sacramentum illam causare ratione unius partis. Quæ doctrina, etsi non sit necessariò tenenda, si Sacramenta non causent physicè gratiam, tamen nulla est ratio, cur non possit probabiliter teneri.

22 Deinde ad argumentum respondeo, concessa majori, negando minorem, ad cujus probationem dico, quod quamvis pœnitens per suos actus causet gratiam huius Sacramenti, non dicitur tamen se absoluere, aut hoc Sacramentum sibi ministrare. Ratio est, quia nemo dicitur propriè sibi ministrare, sed alteri, nec quilibet dicitur reum absoluere, sed judex, nec remittere offensam potest dici nisi pars læsa, aut ejus vicarius, quamvis aliquando reus per veniæ petitionem moueat ad absolutionem, & remissionem offensæ; unde in Sacramento pœnitentiæ solus Sacerdos dicendus est absoluere, quia solus causat gratiam remissiuam ut judex, &, ut dici solet, virtute clauium, & nomine Christi, solusq; ipse dicitur minister, quia in persona à se distincta causat gratiam, quæ omnia magis spectant ad modum loquendi, quam ad rem ipsam.

23 Hic aduerte, quod actus pœnitentis communiter dicuntur causare gratiam, ut eleuati ab absolutione, quod tamen non est ita intelligendum

dum, ut ipsi propriè ab absolutione eleuentur, hoc enim difficile intelligetur; sed ita accipiendum est, ut tales actus determinentur ab absolutione, ut eleuationem à Deo recipiant, quia ab ipsa, cum sit forma, & ultimò adueniat, prouenit ultima determinatio omnium partium huius Sacramenti, ut habeant propriam illius significationem, & à Deo eleuationem recipiant; & quia eam significationem præcipuè habet absolutio, in ea asseritur communiter esse præcipuam huius Sacramenti vim.

## *Quæst. III. An peccata solum existimata sint materia sufficiens Sacramenti pœnitentiæ.*

24 Respondeo negatiue. Quam responsionem expresse tenet Lugo *disp.* 12. *de pœnit. num.* 23. Martinon *disp.* 42. *n.* 3. Arriaga *dis.* 30. *n.* 23. Amic. *disp.* 13. *n.* 53. *&* 54. Dicastil *disp.* 4. *n.* 82. & N. P. Leander *disp.* 1. *q.* 4. quos refert, & sequitur M. Thyrso *tom.* 3. *disp.* 39. *n.* 2. & videtur communis DD. qui potius supponunt, quod materia confessionis sunt peccata præterita, & quod, sicut ad valorem aliorum Sacramentorum non sufficit materia remota existimata, sic nec sufficiat ad hoc Sacramentũ pœnitentiæ: quod etiam nos supponebamus *q. præced. n.* 9. & constare videtur ex Trident. assignante pro materia proxima contritionem perfectam, aut imperfectam, quam asserit esse detestationem, ac dolorem de peccato præterito. Vnde ubi non datur peccatum præteritum, non datur attritio requisita ad hoc Sacramentum.

25 Quia tamen apud M. Thyrso *disp. cit. nu.* 1. nobiles RR. affirmatiuam sententiam tenent cum Martino Perez *dis.* 21. *de pœn. sec,* 6. *n.* 4. *&* 5. & ipse Thyrso eam probabilem dicit opere pretium judicaui illam discutere, & fundamentis RR. satisfacere.

26 Obijcies ergo 1. peccatum præteritum non constituit intrinsece hoc Sacramentum, sed solum contritio, confessio, & absolutio: sed tria ista concurrunt, etiam si peccatum non sit præteritum, sed tantum existimatum: ergo datur verum Sacra-

cramentum pœnitentiæ. Respondeo peccatum præteritum essentialiter connotari à contritione ut diximus quæ:præc.n. 10: licet quæstio de nomine sit, an se habeat, ut materia remota, & destruenda, an verò, ut materia proxima in obliquo; quodcumq; autem horum dicatur sufficit, ut sine peccato vero non detur Sacramentum, sicut illud non datur sine intentione Ministri, quidquid sit an ea sit dicenda pars Sacramenti, an verò essentiale requisitum.

27 Secundo obijcies: peccata dimissa sunt materia apta Sacramenti ergo, & existimata. Nego consequentiam: quia in casu antecedentis datur præteritio peccati, quam respicit cōtritio: non verò in casu consequentis.

28 Tertio obijcies: judicium humanum stat cum delicto legitime probato, licet re ipsa commissum non sit. ergo etiam Sacramentum pœnitentiæ stabit cū peccato existimato, quod per accusationem pœnitentis probatūm censetur; licet non sit commissum. Nego etiam consequentiam. Quia judicium humanū procedit humano modo juxta allegata, & probata; judicium vero Sacramenti pœnitentiæ alligatum est peccato verè commisso, ut constat ex Trid. & ex forma absolutionis *à peccatis tuis.*

29 Quarto obijcies paritatem Sacramenti Baptismi, & extremœ unctionis, quæ conferri possunt non habenti peccata, & ideò collata fuerunt B. Virgini. Argumentum istud multum probat: quia B. Virgo nec habuit peccatum existimatum: ergo ad Baptismum, & extremā unctionem non requiritur peccatum, adhuc existimatum; & tamen hoc requirunt aduersarij ad pœnitentiæ Sacramentum.

30 Respondeo ergo paritatem de Baptismo non tenere; quia istius forma non supponit in recipiente peccatum originale, sicut forma Sacramenti pœnitentiæ supponit in pænitente peccatum, quod confitetur. Paritas autem de extrema unctione non amplius urget. Inprimis enim N. P. Leander *tract.* 4. *dis.* 3. *q.* 5. *&* 7. probabilius judicat cum pluribus, quos refert illud non recepisse B. Virginem: nec recipere posse quamcumq; personam ex priuile.

uilegio omni actuali peccato carentem. Quod si alij apud ipsum oppositum docent, ipsorum fundamentum est clara disparitas; quia fundantur in eo quod forma extremæ unctionis facit sensum conditionalē *quidquid peccasti* id est, *si quid peccasti* quod colligunt ex verbis Jacobi, *& si in peccatis sit dimittentur ei.* Sacramentum autem pœnitentiæ nullus dicit, quòd sensum faciat conditionatum.

31 Quinto obijcies: circa peccatum existimatum potest exerceri virtus pœnitentiæ habendo contritionem de illo, & etiam versatur obligatio illud confitendi: ergo & poterit Sacramentum versari. Respondeo negando consequentiam; quia obligatio confitendi potest oriri ex conscientia erronea, siue ex cognitione falsa; sicut etiam honestas actionis: non ita valor Sacramenti, quando deficit requisitum essentiale.

## *Quæst. IIII. De necessitate Sacramenti Pœnitentiæ.*

32 Communis, & vera sententia tenet Sacramentum pœnitentiæ esse necessarium necessitate medij in re, vel in voto ad salutem omnibus lapsis post Baptismum. Probatur autem ista sententia ex Trid. *ses.* 14. *cap.* 2. ajente: *est autem hoc Sacramentum pœnitentiæ lapsis post Baptismum ad salutem necessarium, ut nondum regeneratis ipse Baptismus.* Sed Baptismus respectu adultorum nondum regeneratorum est necessari⁹ necessitate medij in re, vel in voto: ergo Sacramentum pœnitentiæ lapsis post Baptismum est necessarium necessitate medij in re, vel in voto. Minor, in qua poterat esse difficultas communiter admittitur, & constat ex illo Ioannis 3o. *nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire Regnum Dei.* Vnde optime noster P. Leander communem, & nostram sententiam certissimam secundum fidem pronuntiat *disp.* 3. *quæst.* 5.

33 Pro intelligentia autem nostræ, & communis sententiæ nota 1. nomine salutis posse intelligi gloriam, seu beatitudinem æternam, aut gratiam habitualem; parum autem refert, an hanc, vel illam intelligas; cum enim gratia habitualis necessaria sit omnino ad conse-

quutionem gloriæ, eo modo, quo Sacramentum pœnitentiæ necessarium fuerit ad consequutionem gratiæ, necessarium etiam erit ad gloriæ consequutionem.

34 Secundo nota, necessarium necessitate, medij ad salutem dici illud, sine quo, sive culpabiliter, sive inculpabiliter omittatur, non potest salus obtineri. Sic Baptismus in re susceptus necessarius dicitur necessitate medii respectu infantis martyrio carentis, quia sine illo nequit obtinere salutem, etiam si omittatur inculpabiliter; necessarium autem necessitate præcepti, quod contra necessarium necessitate medij diuiditur, dicitur illud, sine quo culpabiliter omisso, non potest salus obtineri; potest tamen sine ipso inculpabiliter omisso. Sic auditio missæ in die festo, jejunium in die vigiliæ, restitutio rei furatæ necessaria dicuntur necessitate præcepti, quia sine eis, si culpabiliter omittantur, non potest salus obtineri; potest tamen eis omissis inculpabiliter. Præterea nota, necessarium necessitate medij aliquando esse simul necessarium necessitate præcepti, cum videlicet est in nostra libertate veluti fides, & spes in peccatore adulto; aliquando verò non esse necessarium necessitate præcepti, videlicet quando in nostra libertate, sive potestate non est, ut in eodē peccatore prima gratia excitans. His notatis.

35 Modo obijcies contra nostram; & communem sententiam: si Sacramentum pœnitentiæ esset necessarium necessitate medij in re, vel in voto, maxime quia, quamuis sine ipso in re possit salus obtineri, tamen sine ipso saltim in voto nequit salus obtineri; sed hoc non sufficit ad necessitatem medij in re, vel in voto: ergo Sacramentum pœnitentiæ non est eo modo ad salutem necessarium. Minor, in qua est difficultas, probatur; quia restitutio ita est necessaria ad salutem, ut quamuis sine ipsa in re possit obtineri salus, tamen sine ipsa in voto non possit salus à latrone obtineri, sive tale votum culpabiliter, sive inculpabiliter omittatur; sed hoc non obstante restitutio non est necessaria necessitate medij in re vel in voto: ergo similiter ista ratio non suf-

ficiet, ut Sacramentum pœnitentiæ dicatur ad salutem necessarium necessitate medij in re, vel in voto.

36 Respondetur ad hoc argumentum, in cuius solutione tota huius quæstionis difficultas sita est, negando majorem: alia ergo ratio reddenda est, cur Sacramentum pœnitentiæ dicatur necessarium necessitate medij in re, vel in voto. Quam ut redderet magister meus Alberro *in tract. de rest.* dixit, necessitatem medij in re, & necessitatem medij in re, vel in voto esse diuersas, adeò ut æquivocè solùm conueniant, hoc est in nomine tantùm, sicut canis terrestris, cœlestis, & marinus. Et quidem quamvis postea in substantia, tum ibi, tum in tract. de pœnitentia ad veritatem accedat, displicet mihi ista æquivocatio, existimo namq; non modo necessitatem utramque genericè conuenire, sed etiam specificè, solumq; differre in utroq; casu subiecta, de quibus necessitas medij prædicatur, quando enim dico fides in re est necessaria ad salutem necessitate medij, & quando dico Sacramentum pœnitentiæ in re, vel in voto est ad salutem necessarium necessitate medij, quivis cognoscit, quod in utraque propositione est idem prædicatum, videlicet necessitas medij, & differentia stat solum in eo, quod in 1. prædicatur de fide determinatè in 2. vero non de Sacramento pœnitentiæ determinatè, sed indeterminatè de ipso, aut ipsius voto: ergo non est quærenda disconuenientia in necessitate, sed in subiecto, de quo ipsa prædicatur; unde quamuis in re consentiam magistro meo, reddam aliter rationem, cur Sacramentum pœnitentiæ sit in re, vel in voto necessarium necessitate medij, ita ut eadem ratio non possit in restitutione militare.

37 Ratio ergo est, quia Sacramento pœnitentiæ in re, vel in voto conuenit definitio supra nu. 34. data necessitatis medij; quæ tamen restitutioni in re, vel in voto non conuenit. Pro cuius penetratione nota, nomine voti Sacramenti pœnitentiæ non intelligi hic quodcumque propositum illius, sed contritionem, in qua formaliter, aut virtualiter Sacramenti propositũ includitur; cũ ergo sine contri-

tritione aut Sacramento pœnitentiæ nequeat à peccatore Baptizato obtineri ſalus, etiam ſi omittantur inculpabiliter, fit, quod de Sacramento pœnitentiæ in re, vel in voto definitio neceſſitatis medij verificetur.

38 Sed dices: etiamſi nomine reſtitutionis in voto intelligamus, non quodcunq; propoſitum reſtituendi; ſed propoſitum virtuale incluſum in contritione, aut in Sacramento Baptiſmi, aut pœnitentiæ, verificatur de reſtitutione in re, vel in voto definitio neceſſitatis medij: ergo ſolutio eſt nulla antecedens probabis; latro ſine reſtitutione, aut contritione, Baptiſmo, vel pœnitentia non poteſt ſalutem obtinere, quantumuis inculpabiliter ea omittat: ergo nec ſine reſtitutione in re, vel in voto, & conſequenter de iſta verificatur definitio neceſſitatis medij. Antecedens probatur, quia ad veritatem affirmationis diſiunctiuæ ſufficit, quòd una pars diſiunctionis ſit vera; ſed quamuis non ſit verum, quòd ſine reſtitutione in re non poteſt ſalus obtineri, eſt tamen verum, quòd ſine eius voto; quod ſit contritio, Baptiſmus, aut pœnitentia, non poteſt ſalus obtineri: ergo propoſitio, quæ de reſtitutione in re, & de ejus voto diſiunctiue affirmat non poſſe ſine illis ſalutem obtineri, vera eſt, & conſequenter verum eſt antecedens propoſitum.

39 Reſp. tamen ad replicam iſtam negando antecedens, ad cujus probationem etiam nego antecedens, & ad iſtius probationem diſtinguo majorem: ad veritatem affirmationis diſiunctiuæ ſufficit, quòd una pars diſiunctionis ſit vera, ſi affirmatio fiat per propoſitionē diſiunctiuam, concedo majorem; ſi fiat per propoſitionem diſiunctam, ſubdiſtinguo majorem, ſufficit quòd una pars diſiunctionis ſit vera, quòd una pars cōfusè ſit vera, concedo majorem, quòd una determinatè ſit vera, nego majorem; & conceſſa minori quæ unam diſiunctionis partem determinatè veram ſtatuit, nego conſequentiam. Cùm igitur dicimus Sacramentum pœnitentiæ in re, vel in voto, aut reſtitutio in re vel in voto, propoſitio non eſt diſiunctiua, ſed diſiuncta, cùm diſiunctiua copula non conjungat propoſitio-

tiones, sed terminos, unde habet suppositionem confusam, & non determinatam, ac proinde ad eius veritatem non sufficit, quòd de altero extremo determinatè verificetur prædicatum; sed de alterutro confusè, quod fit in Sacramento, quia ipsum indeterminate, aut eius votum est necessarium, ita, ut nec Sacramentum determinate, nec determinate votum sit necessarium; cum enim alterutrum sufficiat, neurrum determinate est necessarium, sed utrumq; sub disiunctione confusa. Non sic contingit in restitutione; quia cum ipsa restitutio adhuc in re posita non sufficiat ad salutem, eius votum determinate requiritur, & consequenter non confuse; & disiunctim, ut ad veritatem assumpti necessarium erat.

40 Sed replicabis: ergo saltim sequitur ex ista doctrina, quod restitutio in voto determinate sit necessaria latroni ad salutem necessitate medij. Sed certe cum nomine voti restitutionis intelligatur contritio, aut Sacramentum Baptismi, vel pœnitentiæ, concedi sine absurdo poterat consequentia, tamen ut res magis eviscceretur, illam absolutè non concedo, sed distinguo consequens, ergo restitutio in voto est determinate necessaria ad salutem necessitate medij, realiter sumpta concedo consequentiam; formaliter sumpta nego consequentiam: verū ergo est quod aliquid, quod est votum restitutionis, est necessarium determinatè ad salutem, non tamen formaliter, ut est votum illius; ratio est, quia cōtritio (idem intellige de Sacramento Pœnitentiæ, aut Baptismi) etsi sit medium ad salutem, non tamen est tale, quatenus eit virtuale propositum restitutionis. Vnde si per impossibile permaneret contritio sine ea formalitate, inculpabiliter tamen, conferret salutem; non tamen contritio salutem conferret, si per impossibile desineret esse votum virtuale Sacramenti pœnitentiæ; cuius ratio est, quia ipsa iustificandi vim habet, prout tale continet votum, ita, ut iustificatio non posset adscribi contritioni, nisi tale votum includeret; hoc enim expresse definit Trid. ses. 14. cap. 4 dicens, *ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni sine*

*Sacramenti voto, quod in illa includitur non esse adscribendam.*

41 Dices tamen: potest dari contritio, quin sit adhuc virtuale votum Sacramenti pœnitentiæ: ergo falso supponimus, illud semper includere, & ratione illius justificandi vim habere. Antecedens probatur; quia potest contingere, quod eadem contritio habita ante Sacramentum pœnitentiæ perseueret post illius susceptionem; sed post illam non est votum virtuale confessionis, cum solum cõtritio sit votum confessionis, quando ad illam adsit obligatio, & tunc jam non adest: ergo neque ante confessionem erat votum virtuale illius. Probatur ista consequentia; quia quod actus voluntatis semel vult, semper vult: ergo eo ipso, quòd illa contritio velit confessionem, aut illam velle debet semper, aut nunquam.

42 Resp. tamen negando antecedens, ad cuius probationem concessa majori, & minori, nego consequentiam, & ad istius probationem distinguo antecedens, quod actus voluntatis semel vult, semper vult, si loquamur de volito formaliter, concedo antecedens, si de volito solùm virtualiter, nego antecedens, & nego consequentiam; ratio autem distinctionis est: quia actus specificatur ab objecto formaliter, & proximè attacto, non verò ab attacto virtualiter, & remotè; unde primo mutato mutaretur actus, non tamen mutato secundo: sic eadem est visio hostiæ ante, & post consecrationem eo, quòd objectum immediatum, & formaliter attactum sit idem, quamuis objectum remotum, & non formaliter attactum mutatum fuerit. Et hæc sint satis de hoc argumento, & quæstione quæ prolixior evasit, quàm existimaueram.

## QVÆSTIO. V.

### *Vtrum in hoc Sacramento sit aliquid, quod sit res, & Sacramentum simul.*

43 COmuniter moralistæ in quolibet Sacramento tria distingvunt, videlicet Sacramentum tantum, rem tantum, rem & Sacramentum simul; in quolibet autem Sacramento facile est determinare quid sit Sacra-

cramentum tantum, quidq; res tantum; nam Sacramentum tantum dicitur illud ſenſibile ſignum, in quo ponitur eſſentia Sacramenti, quale eſt in hoc Sacramento aggregatum ex contritione, vel attritione, confeſſione, & abſolutione. Res tãtum cuiuslibet Sacramenti eſt gratia ſpecialis ab ipſo cauſata, ut in hoc Sacramento gratia peccatorum remiſſiua. Difficultas ergo ſita eſt in aſſignando in hoc Sacramento pœnitentiæ aliquid, quod ſit res, & Sacramentum ſimul, quia non invenitur aliquid, cui recte ratio rei ſimul, & Sacramenti conueniat, & quod ſignificetur, & ſignificet, ut oportet ad hoc, ut habeat rationem rei, & Sacramenti ſimul.

44 Pater Vazquez, *quæſt.* 84. *art.* 1: *dub.* 3. *&* P. Suarez *de pœnit. diſp.* 18. *ſect.* 5. indicant ſatis poſſe facile negari, quòd in hoc Sacramento reperiatur aliquid, quod ſit res, & Sacramentum ſimul, quia id nec poſtulatur à ratione communi Sacramenti, nec in Patribus, & Concilijs habet ingens fundamentum, quod nonſolum de hoc Sacramento, ſed etiam de matrimonio, & extrema unctione tenuerunt aliqui antiqui apud Paludanum *in* 4. *diſt.* 1. 14. *quæſt.* 1. *artic.* 2. Nihilominus propter communem ſcholaſticorum authoritatem tenendum eſt cum prædictis Suarez, & Vazquez, & cum Amico, Gaſpar Hurtado, Ochagavia, & alijs communiter, in omnibus Sacramentis dari aliquid, quod ſit res, & Sacramentum ſimul, quod in hoc Sacramento, quid ſit, declarandum eſt, nam in alijs facilius invenitur, in Euchariſtia videlicet Corpus Chriſti, in Baptiſmo, Confirmatione, & Ordine, character, in matrimonio vinculum, in Extrema unctione ſanitas corporis.

45 Alij ex antiquis, inter quos ſunt Paludanus, & Capreolus apud Illuſtriſſimum Araujo tenuerunt, rem, & Sacramentum ſimul in hoc Sacramento, atque etiam in alijs non imprimentibus characterem eſſe ornatum quendam, per quem anima diſponitur ad gratiam. Sed optime iſta ſententia impugnatur à prædicto Araujo, & a PP. Suarez, & Vazquez, eò, quòd talis ornatus ſine ullo fundamento ponitur nec fructu, nec fun-

fundatur in ratione, aut authoritate aliqua, sed potius plures rationes habet contra se, & cōmunem authoritatem.

46 Communis tamen sententia cum Magistro *in* 4. *dist.* 22. & cum Divo Thoma *ibidem*, & 3. *parte quæst.* 84. *art.* 1. *ad* 3. tenet, internum dolorem, sive pœnitentiam internam esse rem, & Sacramentum simul in hoc pœnitentiæ Sacramento. Hæc sententia verior à nobis judicatur; constat autem, quia interiori pœnitentiæ convenit id, quòd necessarium est ad rem, & Sacramentum simul; ipsa namq; & significatur, & significat, significatur utique per confessiònem, & significat gratiam peccatorum remissiuam.

47 Dices tamen: ad hoc, ut aliquid sit res, & Sacramentum simul, debet causari à Sacramento tantum, sed pœnitentia interior non causatur à Sacramento pœnitentiæ: ergo non est res, & Sacramentum simul. Major constat; quia Sacramenta novæ legis causant, quod significant; sed res, & Sacramentum significatur à Sacramento tantum: ergo, & ab illo causatur. Minor autem non videtur minus constans, cum ipsa interior pœnitentia sit pars Sacramenti tantum.

48 Resp. tamen ad hoc argumentum 1. cum Suarez, Hurtado, & alijs negando majorē, quia de ratione eius, quòd est res, & Sacramentum simul non est, quòd causetur, & causet, sed quòd significetur, & significet. Ad probationem dico, illud dictum Sacramenta causant, quod significant, intelligendum esse de principali significato, quod est res tantum, de eo enim communiter intelligitur.

49 Secundo resp. concedēdo majorem, quia eam tradit D. Th. *quæst.* 84. *art.* 1. *ad* 3. & negando minorem, quia est expresse contra ipsum; ad eius probationem resp. quòd quamvis interior pœnitentia sit pars huius Sacramenti, in ratione tamen sensibilis causatur à suis compartibus, & quodammodo etiam dici potest causari ab illis in ratione productivæ effectus Sacramenti, quatenus per conjunctionem ad illas constituitur gratiæ Sacramentalis productiva; nec incompossibile est, quòd pœnitentia interior sit pars Sacramenti tantum, ut cum alijs

com-

compartibus ſignificat,& cauſat gratiam, & quòd ſimul ſit res, & Sacramentum ſimul, quatenus non ſolum gratiam ſignificat, ſed etiam ipſa ſignificatur. Non pergo ad refutandos aliorum modos explicandi ſententiam communem, & hanc objectionem ſolvendi, quia id foret nimis oneroſum, & nos expectant plura circa ſingulas huius Sacramenti partes, circa quas ſingulas etiam inſtituam diſputationes.

# DISPVTATIO II.

## *De Cõtritione, & Attritione.*

50 CIrca contritionem, & attritionem variæ ſunt difficultates, tum morales, tumque ſcholaſticæ, illis ſatisfacere curabo, quantum potuero præſcindendo ab iſtis, quia de illis uberiorem fructum ſequuturum ſpero.

## QVÆSTIO I.

### *Quid ſit Contritio.*

51 VNa pars materialis Sacramenti pœnitentiæ eſt contritio, vel attritio; attritio autem etiam vocari ſolet contritio imperfecta, & ſic nomine contritionis utramq; comprehendere ſolet Tridentinum; nos autem in præſenti loquemur de contritione perfecta, quæ ſola nomine contritionis communiter intelligitur; ea ergo definitur, quòd ſit *deteſtatio, & dolor ſupernaturalis de peccatis commiſſis propter Deum ſuper omnia dilectum cum propoſito confitendi, & de cætero non pecandi,* pro cuius definitionis intelligentia ſingulæ illius particulæ percurrendæ ſunt.

52 Inprimis ergo dicitur contritio *deteſtatio, & dolor*; deteſtatio actus eſt voluntatis, quo peccator ita odio habet peccatum, ſive peccata commiſſa, ut, quantum eſt de ſe, vellet non peccaviſſe; ſicut enim ad amorem objecti boni conſequitur gaudium, ſic ad odium, & deteſtationem mali conſequitur dolor, qui in re præſenti eſt actus voluntatis, quo peccator dolet, & contriſtatur eò quòd peccaverit. Vbi nota 1. quòd, ſicut gaudium eſt actus realiter ab amore diſtinctus, ut dicebamus in libris de anima *n.* 3280, ſic dolor actus eſt realiter diſtinctus à deteſtatione, unde & ab

ab illa eſt ſeparabilis, & de facto ſeparatur in Beatis, qui peccata ſua præterita deteſtantur ſine triſtitia tamen, & dolore, quia hanc non admittit ſtatus ille.

53 Secundo nota, quod quãvis præter dolorem ſpiritualem, qui in voluntate reſidet, alius etiam reſultare ſoleat in appetitu ſenſitivo, qui, ſi vehemens ſit, in lachrimas, & ſuſpiria prorumpit, tamen iſte dolor non eſt de contritionis eſſentia; quia talis dolor, ut inquit Divus Thomas 3. *part. quæſt.* 85. *art.* 1. *in corpore, non eſt virtus, ſed paſſio,* aut etiam effectus virtutis.

54 Tertio nota, non ſufficere ad contritionem deteſtationem ſolam, aut ſolum dolorem, ut tradit Gaſpar Hurtado *diſp.* 2. *difficultate* 1. ſed utrumque neceſſarium eſſe. Quòd enim deteſtatio ſola non ſufficiat, conſtat ex eo, quòd deteſtatio ut *num* 2. dicebamus, in Beatis etiã reperitur, quin in eis reperiatur contritio: non ergo contritio in deteſtatione ſola ſine dolore conſiſtit. Quòd autem non conſiſtat in ſolo dolore, conſtat ex eo, quòd contritio debet eſſe formaliter libera, & meritoria; dolor autem peccati comiſſi non eſt in ſe formaliter liber, cum neceſſario ſequatur ad illius deteſtationem: non ergo in ſolo dolore contritio conſiſtit, ſed in deteſtatione, & dolore; quòd etiam ſatis clare docet Trid. dum contritionem prout præſcindit à perfecta, & imperfecta ſic definit, *contritio animi dolor, ac deteſtatio eſt de peccato comiſſo cum propoſito non peccandi de cætero.* Sic Trid. *ſeſ.* 14. *cap.* 4. ubi cum non dicat: *aut deteſtatio, ſed, ac deteſtatio,* ſatis clare utrumq; requiri denotat Concilium,

55 Particula *ſupernaturalis* in definitione poſita, denotat ſupernaturalem debere eſſe deteſtationem, & dolorem; dicuntur autem ſupernaturales, quia viribus naturæ ſolis elici non poſſunt, ſine viribus gratiæ. Quòd autem ſolis viribus naturæ elici non poſſint, provenit ex eo, quòd non ſolum deteſtari debet peccatum, ut eſt contra Deum naturæ authorem, ſed etiam ut eſt contra Deum authorem gratiæ. Vnde quando aliquis deteſtatur peccatum cõſiderans tantam eſſe illius malitiam, ut per ipſam, non homo

qui-

quidam, non patria, non Rex, non denique tota Angelorum curia ſit offenſa, ſed potius omnium ſupremus dominus ſit per illud offenſus, in cuius comparatione cætera omnia nullius ſunt momenti, & veluti arena axigua; quique ipſum hominem creauit cum intellectu, & voluntate, cæteriſque potentijs, ac etiam totum hunc uniuerſum ipſi dedit in ſolatium, & leuamen, nec,dum ipſum offendebat, ab his præſtandis beneficijs ceſſabat. Huiuſmodi deteſtatio naturalis eſt, nonque ſupernaturalis, eò quòd prædicta motiua naturalia ſint, & nõ reſpiciant Deum, ut authorem ſupernaturalem.

56 Si ergo velis in te excitare deteſtationem, & dolorem ſupernaturalem, conſiderare debebis, te, cum peccaſti, adeo grauem offenſam commiſiſſe, ut non ſolum ſupremum omnium authorem offenderis, ſed etiam illum, qui te ad ſublimem ſtatũ gratiæ miſericorditer eleuauit, quique te ab originali culpa, atque etiam ab actualibus redemit mirum in modum ad hoc tuam naturam ſibi unione hipoſtatica deuinciens, ut deperditam gratiam, & feliciſſimam gloriæ coronam tibi recuperaret, quique præterea ex innumerabilium gentilium multitudine te ſegregauit, ut te in ſua Eccleſia Sacramentis ſuis, abundantioribuſq; auxilijs contra diaboli inſidias communiret. Dolor ex his, ſimilibusque motivis excitatus, ſupernaturalis eſt, & qui ad contritionem eſt ſufficiens, & neceſſarius, ut inferius forſan amplius declarabimus. Modò ſolùm obſerua cum meo magiſtro Alberto, plerumque pœnitentes habere deteſtationem, & dolorẽ ſupernaturalem, quia plerumq; mouentur ex cognitione ſupernaturali fidei, quâ Deum cognoſcunt authorem gratiæ, redemptorem, & glorificatorem, atque etiam ex ſpe, & deſiderio ſupernaturali gratiæ, & gloriæ, ac veniæ per gratiam conſequẽdæ. Vnde abſq; ſpeciali fundamento ſcrupulizandum non eſt de ſupernaturalitate deteſtationis, ac doloris.

57 Particula *de peccatis commiſſis* non eget explicatione, quia jam deteſtationem, & dolorem, non quæcumq; ſed quæ de peccatis habentur, claritatis

gra-

gratia explicauimus. *Propter Deum super omnia dilectum* est differentia, penes quam contritio differt ab attritione. Circa quā particulam notandum est 1. cōtritionem debere procedere ex motiuo charitatis; sic enim tenent N. P. Leander in præsenti *disp.* 1. *quæst.* 12. Lugo *disp.* 5. *sec.* 1. *nu.* 10. M. Thyrso Gonçalez de Santalla *tom.* 3. *suarum selectarum disp.* 33. *sec.* 1. & communiter Doctores, licet unus, vel alter apud ipsos oppositum teneat. Quod constat 1. ex Trid. *ses.* 14. *cap.* 4. Secundo ratione quam tradit N. P. loco citato, & Lugo etiam citatus *num.* 15. quia per peccatum mortale expellitur charitas: ergo similiter ut per contritionem peccatum mortale expellatur, contritio debet esse actus charitatis, & consequenter ex motiuo charitatis elicita. Probatur cō sequentia; quia ut hæresis expellatur, quæ destruit fidem, aliquis actus fidei est necessarius, & similiter, ut expellatur desperatio, & spes recuperetur, aliquis spei actus est necessarius, non alia ratione, nisi quia fides per hæresim, & spes per desperationem amittitur: ergo similiter quia charitas per quodvis mortale amittitur, ad eam recuperandam actus aliquis charitatis necessarius erit.

58 Secundo notandum est contra aliquos Doctores necessarium non esse ad contritionem, quòd interueniant tres actus realiter distincti, videlicet amor Dei super omnia, detestatio peccati, & illius dolor, sed posse realiter identificari actum amoris Dei super omnia cum actu detestationis peccati. Quòd enim unus numero actus, quo quis odit peccatum propter Divinam bonitatem sit amor Dei, & detestatio, seu odium peccati ex communi Theologorum sententia supponebamus cum Lynceo in nostro Curs. Philosoph. Trin. *num.* 694. Præterea modo probatur; quia non est difficilius, quòd idem numero actus, qui odium est mali amici, sit amor respectu illius, quàm quòd idem actus, qui illius bonum amat, sit etiam amici amor, sed quòd idem numero actus, quo bonum amico volo, amor ipsius amici esse possit, probauimus in citato *cursu Trinitario nu.* 3278. ergo etiam idē num. actus quo quis odio habet pec-

peccatum propter Diuinam bonitatem esse poterit amor Dei, & actus charitatis, quin oporteat id semper fieri per actus realiter distinctos. Ratio autem, cur objecta tam diuersa possint eodem actu attingi, est, quia se tenent ut ratio formalis, & materialis, cum ratio formalis odio habendi peccatum, sit bonitas Dei amata.

59 Additur deinde in definitione contritionis *cum proposito confitendi, & de cætero non peccandi.* Quòd etiam requiritur à Trid. in definitione contritionis; quæ à perfecta, & imperfecta præscindit. Circa quòd solum esse potest difficultas in præsenti, an, ut contritio vel attritio sit talis, qualis ad Sacramentum pœnitentiæ est necessaria, requirat propositum formale non peccandi de cætero, an vero solo virtuali proposito contenta sit. Propositum autẽ formale est illud, quo quis cogitans de futura vita expresse dicit: *fretus Divinâ gratiâ propono de cætero non peccare.* Propositum verò virtuale est illud, quo quis, quamvis immemor sit futuræ vitæ, ita tamen efficaciter detestatur peccatum vitæ præteritæ, ut, si ei in memoriam veniret futura vita, statim expresè proponeret. Hoc posito.

60 Respondeo cum communi sententia cõtra aliquos, quos refert N. P. Leander *disp. 7. q. 22.* virtuale propositum sufficere ad valorem, & fructum Sacramenti pœnitentiæ. Probatur autem responsio. Propositum non peccandi de cætero eatenus est ad Sacramentum necessarium, quatenus ipsum requiritur ad excludendam voluntatem peccandi de cætero: sed ad istã excludendam sufficit virtuale propositum: ergo, & ipsum sufficit ad valorem, & fructum Sacramenti pœnitentiæ. Major constat, tum ex Conc. Trident. *sess. 14. cap. 4.* ubi in attritione ad Sacramentum pœnitentiæ requisita solum petit, quòd sit talis, ut voluntatem peccandi excludat. Tum etiam, quia proponere de vita futura ideo solum requiri potest, ut absque affectu inordinato disponatur de illa. Minor autem probatur: quia propositum virtuale est detestatio efficax peccati præteriti ex motiuo universali concepta: sed detestatio efficax pecca-

ti præteriti ex motiuo universali excludit voluntatem unquam peccandi: ergo propositum virtuale sufficit ad excludendam voluntatem peccandi de cætero.

61 Notandum tamen est 1. quòd, si dum pœnitens cogitat de vita futura nolit elicere propositum formale, absoluendus non est; quia tunc, moraliter loquendo, signum est, quòd nec virtuale propositũ habeat; quia ad istud sequitur, morali necessitate formale, adueniente cogitatione de futura vita. Secundo notandum est, quòd M. Mathæus de Moya existimat *disp.* 5. *q.* 12. quòd, sicut in detestatione peccati ex motiuo uniuersali cõcepta includitur virtualiter propositũ non peccandi, & istud propositũ sufficit ad valorẽ, & fructũ Sacramenti pœnitentiæ, sic in proposito efficaci non peccandi concepto ex motiuo uniuersali, ut propter pœnas inferni, aut quia est offensa Dei, includitur virtualiter detestatio peccati præteriti, & ista detestatio virtualis sufficit ad Sacramentum pœnitentiæ, citatque pro hac sententia Victoriam *in relect. de potest. Eccles. n.* 7. in fine. Oppositum tamen, videlicet, quòd detestatio peccati præteriti non includatur in proposito non peccandi de futuro, verius judico cum Tamburino *lib.* 1. method. confes. *cap.* 1. *n.* 10 *de quo vide infra à n.* 279.

## *Quæstio II. Examinatur amplius contritionis definitio.*

62 DEclarauimus hucusque singulas particulas in definitione contritionis contentas; aliquæ tamen illarum sunt modo ad incudem reuocandæ, quia aut continent aliquam difficultatem, aut majorem postulant explicationem. In primis ergo difficultas est circa detestationem, & dolorem; stultum enim videtur dolere de peccato præterito, & illud detestari; sed contritio nihil stultum continere debet; ergo non continet dolorem, nec detestationem. Major in qua est difficultas, probatur in primis de dolore; quia stultum est dolere de eo, quòd jam non potest non esse; sed postquam quis peccauit, non potest non fuisse peccatum: ergo stultum est dolere de eo, quòd fue-

fuerit peccatum. Deinde de detestatione probatur major; quia stultum est velle aliquid impossibile; sed, quòd peccatum præteritum non præterierit, est impossibile: ergo stultum est ita peccatum præteritum habere odio, ut velit ipsum non præterijsse.

63 Persistendum tamen est in doctrina tradita *quæst. præcedenti* ex communi sententia. Ad objectionem autem factam respondeo negando majorem; ad cuius probationem pro prima parte distinguo majorem: stultum est dolere de eo, quòd jam non potest non esse, si doleat voluntariè conando, ut non sit, concedo majorem; si doleat, aut necessario, aut si libere, non conando, ut non sit, sed conando aliquid, quòd consequibile est, nego majorem, & concessa minori, nego consequentiã; quia, qui dolet de peccato præterito nõ cõatur cõsequi, quod peccatum præteritum non præterierit, sed aliquid aliud conatur, quòd consequibile est, scilicet remissionẽ obtinere à Deo ipsius peccati præteriti, tum quo ad culpam, tum etiam quo ad pœnam.

64 Ad probationem autẽ majoris pro secunda parte respondeo etiam distinguendo majorem, stultum est velle aliquid impossibile absolute, concedo majorem, conditionate illud velle, nego majorem, & cõcessa minori, nego consequentiam; quia, qui peccatum detestatur, non vult ipsum non præterijsse absolute, sed solum conditionate, non enim dicit *ita peccatum præteritum detestor, quod volo, ut non præterierit.* Sed dicit *ita peccatum detestor, ut si possem facere, quod non præterijsset, id omnino facerem.* Hoc autem secundum stultum non est, cum sit optima protestatio odij erga peccatum, & boni affectus erga Deum, habeatq; pro effectu remissionem peccati. Vnde colliges, quòd prædictus actus est efficax, tum ad ostendendum dictos affectus, tum etiam ad consequendum effectum dictum. In ordine tamen ad consequẽdam, sive ponendam non præteritionem peccati absolute inefficax est; quodam modo tamen efficax dici potest, quia taliter vult præteritionis destructionem, ut quantum est de se, voluntas sit omnino parata ad il-

illam, & ſolum illam non ponet, quia conditio, quæ non eſt in eius poteſtate, non ponetur unquam: in qua voluntate clare apparet aliqua efficacitas, quæ non reperitur in alijs actibus, quibus voluntas vult aliqua obiecta, non tamen ita, ut omnino faciat, aut parata ſit facere, quid quid in ſe eſt ad illa conſequẽda. Quam doctrinam optime animadvertunt Lugo *diſp.* 4. *de pœnit. ſec.* 2. *nu. ult.* Suarez *diſp.* 3. *ſec* 3. *nu* 7. Conink *diſp.* 1 *dub.* 2. *nu.* 8. & M. Thyrſo *diſp.* 33. *ſect.* 2.

65 Sed replicabis: adhuc conditionate velle aliquid impoſſibile ſtultum eſt: ergo ſolutio eſt nulla. Probatur antecedens: volitio conditionata rei impoſſibilis, eſt ſaltem velleitas ipſius impoſſibilis; ſed velleitas rei impoſſibilis eſt ſtulta: ergo, & volitio conditionata. Probatur minor: velleitas, quâ quis vellet implicite Deum non eſſe, ſtulta eſſet; ſed talis eſt velleitas rei impoſſibilis: ergo eſt ſtulta. Minor probatur, quia iuxta cõmuniorem ſententiam omnipotentia Divina talem connexionem habet cum poſſibilibus, ut, ſi unum poſſibile ad impoſſibilitatem migraret, aut unum impoſſibile ad poſſibilitatem, deficeret hæc omnipotentia, ac proinde Deus; ſed qui haberet velleitatem rei impoſſibilis, haberet velleitatem, quâ vellet, quòd unum impoſſibile ad poſſibilitatem migraret: ergo implicite vellet, per eam velleitatẽ, Deum non eſſe.

66 Reſpondeo tamen negando antecedens; ad cuius probationem, nego minorem, & ad huius probationem, nego etiam minorem; & ad huius probationem, permiſſa majori, eo quòd oppoſitam ſententiam ſatis etiam communem probabiliorem reputauerimus *in curſu Trinit. à n.* 3670. & conceſſa minori, nego conſequentiam; quia quamvis non eſſe Dei connectatur cum poſſibilitate huius impoſſibilis, & ad eam ſequatur, poteſt tamen dari velleitas poſſibilitatis huius impoſſibilis, quæ non ſit adhuc implicite velleitas de non eſſe Dei, quia in ipſo affectu velleitatis hoc Dei malum excluditur, quia tali affectu dicit: vellem poſſibilem eſſe deſtructionem præteritionis peccati, verbi gratia, quòd implicite intelligatur hæc conditio,

tio, si hoc fieri posset sine destru-ctione, aut detrimento Dei. Et hac ratione, & non tantum ignorantia, quæ sæpe abest, ex-cusantur plures Dei amatores simplices affectus erga impossi-bilia exercentes, desiderando verbi gratiâ ipsum amare infini-te, & infinita attentione eius perfectiones meditari, & similia alia, quæ proculdubio à stul-titia, & imperfectione excusan-tur; quia in ipso affectu imbibi-tur conditio, videlicet, si id fie-ri posset sine ullo malo, aut de-trimento Dei.

67 Deinde circa dilectio-nem Dei super omnia, notandū est, non esse necessarium ad cō-tritionem amorem in ipsa in-clusum esse summum, & super omnia intensiuè, sed solum ap-pretiativè, ita videlicet, ut per eum præferatur Deus omnibus alijs rebus; ex eo autem, quòd amor Dei debeat esse super o-mnia appretiativè, infertur eti-am quòd detestatio peccati, & dolor debeat etiam esse super o-mnia appretiative; quia non cō-patitur amare Deum super o-mnia appretiative sine detestati-one super omnia peccati, quòd est malum illius, cum odium mali mensuretur per amorem boni, cui opponitur illud ma-lum.

68 Vnde colliges, quòd quamuis sit peccatum aliquid amare plus quàm Deum appre-tiatiuè, & aliquid appretiatiuè plus odisse, quàm peccatum, cū dixerit Christus *qui amat patrem, aut matrem plus quam me, non est me dignus*; peccatum tamen nō esset aliquid plus, quàm Deum intensiuè amare, aut aliquid plus intensiuè odisse, quàm pec-catum. Ratio est, quia summus amor Dei, ad quem tenemur, non est summus intensiuè, sed appretiatiue: & summum odium peccati non debet esse necessa-rio summū intensiue, sed appre-tiatiue: unde etiam homines timorati plus intensiue dolere solent de morte filij dilecti, quàm de suis peccatis, etiam quando de illis contritionem habent, & etiam cum majori intensione, & teneritudine eos sæpe diligunt, quàm Deum, sem-per tamen appretiatiue magis di-ligunt Deum, si veram habeant contritionem, & magis appreti-ativè detestantur peccatum; quæ major appretiatio consistit in hoc, quòd magis vellent quod-

quodcumque bonum perdere, quàm Deum offendere, si unum è duobus eligendum esset, & similiter, si inter quodcumq; malum, & peccatum se offerret optio, ad quodcumque subeundum, sunt potius parati, quàm ad peccatum perpetrandum, quòd optime compatitur cum minori intensione amoris Dei.

69 Vbi notandum est pro majori intelligentia, quòd sicut magnus acervus hordei, etsi valde excedat in quantitate unum granum tritici, nunquam eius perfectionem essentialem æquare potest, nedum excedere: sic amor, qui non est super omnia, quamvis mille gradus intensionis habeat, & ideo valde in intensione excedat unum gradum amoris super omnia, tamen illum non excedit, nec adæquat in perfectione essentiali; est tamen hæc paritas cum disparitate; nam acervus hordei, etsi nunquam possit pervenire ad perfectionem unius grani tritici, potest in æstimatione morali illum superare; amor tamen, qui non est super omnia, non solùm non potest per summam intensionem pertingere ad perfectionem physicam unius gradus amoris super omnia, sed neque etiam pervenire potest ad eius æstimationem moralem.

70 Præterea notandum est cum Magistro Thyrso *cit. disp.* 31. *num.* 29. *&* 30. & alijs apud ipsum, quòd in detestatione peccati, aut amore Dei super omnia, non est necessariũ, quòd fiat comparatio ad bona, vel mala in particulari, quia ex una parte in omnibus singula continentur, & ex alia ad particularia descendere sæpe fragilibus hominibus esset periculosum, cum plura sint objecta, quæ possunt esse terminus comparationis, quorum recordatio valde alliceret ad peccatum.

71 Vbi etiam nota, quòd, quamuis juxta præsentem Dei providentiam pœnæ inferni nõ sint eligibiles absolute propter vitandum peccatum, eò, quòd juxta illam nunquam sint medium, ad illud vitandum; & præterea, quia pœnarum inferni electio est objectum turpe, ac proinde ad eam electionem nõ solùm non tenetur homo, sed nec potest ad eam ex amore Dei moueri. Quòd autem sit objectum turpe pœnarum inferni electio, probat Mag. Thyrso

*citat.*

*citat. diſp.* 33. *num*- 32. quia ratio naturalis dictat æternam miſeriam fugiendam eſſe, ut diſconuenientem rationali naturæ, ut tali, utpote, quæ eam ſeparat à ſuo ultimo fine. Conditionate tamen poſſunt pœnæ inferni ita eligi; debet enim, ſi comparatio conditionata fiat, homo eſſe paratus ex hypotheſi, quòd neceſſarium eſſet ſubire inferni pœnas ad vitandum peccatum, potius eas velle ſubire, quàm peccatum committere. Prædictam tamen hypotheſim impoſſibilem putat M. Thyrſo *num.* 34. & ſolùm deſervire ad denotandam majorem diſplicentiam haberi in peccato, quam in pœnis inferni.

72 Vnde M. Thyrſo diſſentit à Cardinali de Lugo aſſerente *diſp.* 5. *ſect.* 3. *num.* 30. juxta præſentem providentiam poſſe ex ignorantia contingere, quòd quis abſolute teneatur pœnas inferni eligere, ne committat peccatum, videlicet caſu, quo quis exiſtens in mortali exiſtimet ſe non poſſe per contritionem juſtificari, & ei, dum non habet copiam confeſſarij, mors intimetur, niſi conſentiat in novum mortale. Ab hac inquã doctrina diſſentit, putans metaphyſicè impoſſibile eſſe, ut quis diligat Deum ſuper omnia, & eligat acerbiſſimam mortem, ne ipſum offendat, & tamen, quòd ſimul ſibi perſuadeat ſe damnatum iri, ſi mortem corporis ſubeat, ne Deum offendat. Quæ doctrina ſubtilis ſatis, & non minus pia mihi videtur.

73 Denique, ut magis intelligas, quàm uniuerſaliter verum ſit, quòd deteſtatio peccati debet eſſe ſuper omnia, nota cum N. P. Leandro *diſputatione* 1, *quæſtione* 14. & Cardinali de Lugo *diſputatione* 5. *num.* 29. ita ſuper omnia debere peccatum deteſtari, ut etiam ſupra malum intrinſecum Dei, ſub hypotheſi, quòd hoc eſſet poſſibile, deteſtari deberet; quia ex ſuppoſitione, quod neceſſarium eſſet, aut peccatum admittere, aut Deum pati intrinſecum detrimentum, potius hoc eſſe permitendum, quàm illud patrandum: ratio eſt, quia in eo caſu, aut peccatum maneret in ratione peccati, aut non? Si non maneret, non eſt caſus quæſtionis; ſi maneret, haberet oppoſitionem ad bonum ſuperius, quàm bonum intrinſecum Dei; quia ſi eam non habe-

ret propter vitandum detrimentum boni intrinseci, purgaretur à malitia, & peccatum non maneret. Vnde colliges cum Lugo, quòd Alensis, & Suarez, qui tenere videtur oppositum, revera id non tenent, sed extra quæstionem loquuntur, ita enim ajunt, peccatum in eo casu eligendum, ut revera non maneat peccatum.

## *QVÆSTIO III.*
### *Quid sit Attritio.*

74 EXplicata jam definitione contritionis, accedimus ad attritionem definiendam: est ergo attritio: *detestatio, & dolor supernaturalis de peccatis commissis propter pœnas inferni, aut amissionem gloriæ, vel ob turpitudinem peccati cum proposito confitendi, & de cætero non peccandi.* Prima definitionis huius pars, videlicet *detestatio, & dolor supernaturalis, de peccatis commissis*, & ultima, scilicet *cum proposito confitendi, & de cætero non peccandi*, manent jam, agendo de contritione, explicatæ; unde omnia præter motivum manent superius explicata. Quare solum restat mediam definitionis partem explicare, in qua motivum attritionis denotatur, in quo eius à contritione differentia consistit: motivum ergo attritionis non est Deus super omnia dilectus, sed aut pœnæ inferni, vel amissio gloriæ, vel turpitudo peccati. Circa hoc ergo motivum.

75 Nota 1. cum Lugo *disp.* 5. *sec.* 9. & cum N. P. Leand. *disp.* 7. *quæst.* 13. & 14. & aliis, quod ad attritionem non solum sufficit detestatio, & dolor, quæ concipiuntur ex metu gehennæ, aut amissionis gloriæ, sed etiam quæ concipiuntur ex metu aliarum pœnarum temporalium, ut sunt, ægritudo, infamia, mors, pœna purgatorij, & similes; ratio est, quia huiusmodi pœnæ etiam infliguntur à Deo, ut homines à peccatis deterreantur: ergo honeste ipsi propter illarum metum possunt peccata detestari. Quòd autem Tridentinum mentionem faciat solùm de pœnis inferni, non obest, quia earum solùm meminit, quia præcipuæ sunt; præterquã quod pœnæ purgatorij quodammodo pænæ inferni sunt, cum purgatorium etiam infernum temporale dici possit, & pœnæ aliæ temporales inchoatio pœ-

næ

næ inferni erunt, nisi peccatores ad Deum convertantur.

76 Secundo nota, prædictas pœnas temporales non utcumq; respiciendas, ut ad attritionem sufficiant, non enim sufficit si respiciantur, ut sunt quid humanum, sed requiritur, quòd timeantur, ut sunt quid Divinũ, & supplicium à Deo immissum propter peccata. Imò etiam probabilius est, ut tenet N. P. *citata disp.* 7. *quæst.* 15. & alij cõmuniter, quòd, ut sufficiat dolor de peccatis, etiam propter pœnas inferni, aut turpitudinem peccati, debet concipi cum aliquo respectu ad Deum. Ratio est 1. quoad aliquas pœnas temporales; quia alias dolor conceptus plerumq; supernaturalis non erit. 2. est ratio, quæ omnia comprehendit, quia posita attritione cũ Sacramento, Deus convertitur ad creaturam, illam in suam amicitiam recipiendo: ergo, ut ad rem faciat attritio, debet esse saltem imperfecta ad Deum conuersio, quod non habebit, si suum motivum respiciat sine ullo ordine ad Deum: debent ergo pœnæ considerari, ut supplicium à Deo proventurum, & turpitudo peccati, ut Deo injuriosa, ut ad attritionem sufficiant.

77 Sed obijcies primo. Actus, qui detestatur culpam propter pœnam, non est honestus; sed actus attritionis debet esse honestus: ergo actus attritionis non potest detestari culpam propter pœnam. Major probatur: actus, qui detestatur culpam propter pœnam, magis detestatur pœnam, quàm culpam; sed actus, qui magis detestatur pœnam, quàm culpam, non est honestus: ergo actus, qui detestatur culpam propter pœnam, honestus non est. Major in qua est difficultas probatur ex illo proloquio: *propter quod unum quodq; tale, & illud magis.*

78 Respondetur negando majorem, ad cuius probationem distinguo majorem: actus, qui detestatur culpam propter pœnam, magis detestatur pœnam, quàm culpam, magis principaliter, concedo majorem, magis apretiative, nego majorem, & similiter distinguo minorem; sed actus, qui magis detestatur pœnam, quàm culpam, non est honestus, si sit magis apretiativè, concedo minorem, si sit magis principaliter præcisè, nego mino-

norem, & nego conſequentiam. Proloquio autem in probationem majoris adducto ſit ſatis per partem conceſſam. Conceſſi autem, quòd per dictum actum magis principaliter deteſtatur pœna, quàm culpa, quia pœna ſe habet, ut ratio formalis, culpa autem, ut materialis; negaui autem, quòd magis apretiative, quòd colligitur ex eo, quòd talis deteſtatio excludit actum malentem committere culpã, quàm pœnã; quæ utique non excluderet, ſi magis apretiative deteſtaretur pœnã; quòd autem talem actum excludat, conſtat, quia talis actus excludit omnem actum merentem pœnam, quam timet; ſed actus malens committere culpam, quàm pœnam incurrere, meretur inferni pœnam: ergo excluditur ab actu deteſtante culpam propter inferni pœnam. Paulo aliter hoc argumentum ſolvunt Suarez *diſp.* 5. *ſec.* 1. *num.* 9. *Lugo diſp.* 5. *num.* 138. *&* Amicus *diſp.* 3. *num.* 5.

79 Sed dices: ſi quis peccaſſet dicendo, malo peccare, quàm ſubire infernum, non poſſet poſtea moveri ad deteſtandum hoc peccatum à pœnis inferni, quia metus pœnarum non poteſt movere ad eligendum ipſas pœnas potius, quàm peccatum, quòd neceſſarium videtur ad talis peccati retractationem: ergo ſaltim motivum pœnarum non eſt aptum ad omnia peccata deteſtanda. Reſpondetur tamen metum pœnarum movere poſſe ad prædictum peccatum deteſtandum, quâ ipſum meretur illas, & neceſſarium non eſt, quòd moveat ad malendum pœnas, quàm peccatum, ſed ad deteſtandum actum, quo maluit peccatum comittere, quàm ſubire pœnas. Dato autem, quòd neceſſarium eſſet malle pœnas, quàm peccatum, ad id etiam movere poſſet metus pœnarum, quia iſte poteſt movere ad hoc, ut quis ſe offerat ad ſubeundam pœnam, quando talis oblatio eſt medium ad ipſam evadendam, ſicut metus mortis poteſt movere, ut quis ſe offerat ad illam ſubeundam, cum talis oblatio medium eſſe cognoſcitur ad ipſam evadendam.

80 Secundo obijcies; qui deteſtatur culpam ex timore pœnæ habet timorem ſervilem, & mundanum; ſed iſte timor reprehenſibilis eſt: ergo non po-

teſt

teſt eſſe timor attritionis. Reſpondetur concedendo, eum, qui deteſtatur culpam propter pœnam, habere timorem ſervilem, negando tamen habere timorem mundanum; iſte autem ſolus reprehenſibilis eſt. Differunt ergo timor ſervilis, & mundanus, quia licet uterq; ſit propter pœnam, tamen timor mundanus, ita eſt propter pœnam, ut, qui illum habet paratus ſit committere culpam, ſi non eſſet pœna, timor verò ſervilis eam non habet præparationem, ſed præciſsè timet propter pœnam, hoc autem non eſt reprehenſibile, nec continet privativam imperfectionem, ſed negativam, quatenus caret perfectione timoris filialis, qui timet culpam, quia eſt illius offenſa, quem filialiter timet.

81 Hic adverte differentiam, quæ verſatur inter attritionem deteſtantem culpam propter pœnam, & inter attritionem deteſtantem culpam propter eius turpitudinem; in hac enim ultima deteſtatio, & dolor eſt ſuper omnia, eò, quòd motivum ſit turpitudo ſuper omnia deteſtabilis; at verò in attritione deteſtante culpam propter pœnam, deteſtatio, & dolor ſuper omnia non eſt, quia non eſt ſupra pœnam, quæ eſt eius motivum, & objectum formale, & nullus actus poteſt excedere ſuum motivum. Nec inde inferas, quòd pœnam deteſtatur ſupra culpam, oppoſitum enim probavimus num. 78. deteſtatur ergo ille actus culpam propter pœnã, nec curans de deteſtanda magis culpa, quàm pœna, ne excedat ſuum motivum, nec de iſta deteſtanda magis, ne vitioſus reddatur, & incurrat ipſam pœnam deteſtatam.

## *QVÆSTIO IV.*

### *An Attritio abſq; Contritione ſufficiat ad Sacramentum pœnitentiæ.*

82 AD valorem, & fructum Sacramenti non ſufficere attritionem ſolam, ſed neceſſariam eſſe contritionem, tenuerunt antiqui aliqui, ut M. Bonaventura, Hugo, & Richardus de Sanct. Victore, Gabriel Major, & alij, qui communiter citantur, præſertim à Suario, & Vazquio. Communiter hæc ſen-

tentia improbabilis judicatur, ideoq; oppositam certissimam vocat noster P. Leand, *disp.* 7. *quæst.* 8. Quapropter alij, ut Sotus, Victoria, Vega, Corduba relati à nostro P. mitius loqvuntur, asserentes sufficere attritionem; non tamen utcumq; sed existimatam contritionem. Sed etiam ista sententia jam cōmuniter reiicitur; quapropter.

83 Cum communi sententia Dico solam attritionem, etiam ut talem cognitam sufficere ad valorem, & fructum Sacramenti pœnitentiæ. Duo probanda sunt in hac conclusione 1. est, quòd attritio sufficiat, ita, ut contritio non sit necessaria ad consequendum fructum Sacramenti pœnitentiæ. Secundum est, quòd etiam necessarium non sit ad talem consequendum fructum, quòd attritio existimetur contritio. Primum probatur primò, quia id videtur expressum in Triden. *ses.* 14. *cap.* 4. ut optime perpendit Suarez *disp.* 20. *sec.* 1. *num.* 10. Secundò præterea probatur ratione: Sacramentum pœnitentiæ est institutum per se ad remittenda peccata post Baptismum commissa; sed frustra ad hoc institutum esset, si ad ipsum esset contritio necessaria, & non sufficeret sola attritio: ergo solam attritionem sufficere tenendum est. In majori non potest esse difficultas, cum clarè constet ex Trident. *ses.* 14. *cap.* 1. & etiam *can.* 1. expressissime id asserente; tum ex ipsa institutione Ioannis 20. *cap.* ubi dicitur *quorum remiseritis peccata, remittuntur eis &c.* ubi aperte clavibus Ecclesiæ tribuitur potestas remittendi peccata; minor autem probatur; quia si contritio necessaria esset ad Sacramentum pœnitentiæ, jam ipsum Sacramentum supponeret remissionem peccatorum per ipsam contritionem impetratam: ergo frustra ad talem remissionem esset institutum per se; nulla enim medicina potest per se institui ad sanandum morbum, quod ad ipsam sanatum supponitur.

84 Secundum autem in nostra conclusione contentum etiam probatur primò: quia Tridentinum absolutè pronuntiat *cap.* 4. attritionem ad gratiam in Sacramento impetrandam disponere, quin unquam ad hoc requiri insinuet, quòd talis attritio existimetur contritio. Se-

cun-

cundò probatur; quia, quòd attritio exiſtimetur contritio, ſi revera non eſt, non videtur quomodo conducere poſſit ad Sacramentum, ſi ipſa ſine iſto errore non ſufficit; ſicut ad hoc, quòd aqua roſacea ſit Baptiſmi apta materia, nihil conducit, quòd aqua naturalis exiſtimetur. Tertio probatur ex dictis num. præcedenti: hoc Sacramentum eſt per ſe inſtitutum ad remittenda peccata mortalia: ergo non requiritur, quòd illa exiſtimentur per contritionem remiſſa; ineptè enim id requireretur, ſicut ineptè requireretur ad aliquod medicamentum, quòd infirmus ante eius applicationem ſe reputaret ſanum, niſi fortè vis aprehenſionis concurreret, ut partiale medicamentum.

85 Dices tamen, teneri pœnitentem ex præcepto ad accedendum ad Sacramentum pœnitentiæ cum contritione; ſi autem, qui habet attritionem ſolam, eam reputet contritionem, excuſatur à tranſgreſſione præcepti, quod valdè conducit, ne impediatur Sacramenti effectus. Contra tamen eſt, quia falſo ſupponitur, quòd ex præcepto teneatur pœnitens ad accedendum ad Sacramentum cum contritione, cum ad talem obligationem nullum adſit fundamentum.

86 Hic obſerva non ſolùm non dari præceptum de accedendo ad Sacramentum pœnitentiæ cum contritione, ſed etiam probabilius eſſe, quòd ſaltim extra articulum mortis nunquã teneatur peccator ad contritionem determinatè eliciendam. Ratio eſt; quia ad ſummum tenebitur quis aliquoties in vita (quod noſter P. Leander diſ. 1. quæſt. 38. exiſtimat eſſe ſemel in anno) ad convertendum ſe ad Deum, & ſe illi reconciliandum; ſed hoc poteſt fieri per attritionem cum Sacramento, aut per contritionem; ergo ad iſtam determinatè non tenetur, ſed ad ſummum ad illam, vel ad Sacramentum confusè, & indeterminatè, quòd non officit doctrinæ noſtræ. Minor probatur; quia licet attritio non ſit perfecta ad Deum converſio, tamen in Sacramento eſt perfectè cum Deo reconciliativa: ſuppoſita ergo Sacramenti inſtitutione, attritio cum Sacramento eſt ſufficiens ad Deum converſio,

sio, & cum ipso reconciliatio; & consequenter conversio, ac reconciliatio potest fieri per ipsam cum Sacramento, aut per contritionem, & non necessariò per istam determinatè.

87 Circa doctrinam numeri præcedentis nota 1. eam esse omnino juxtam mentem nostri P. Leandri *à quæst.* 29. *usq; ad* 43. quod animadverto, ut attentè legatur, aliàs enim videbitur nobis opponi. Secundo nota circa eandem doctrinam, ex ea colligi, quomodo verum sit commune dictum, quòd Sacramentum pœnitentiæ facit de attrito contritum; hoc enim verum est, non quia attritio fiat, fierive possit contritio, cum sint actus essentialiter diversi, nec quia attritio desinat esse, & incipiat peccator habere contritionem, cum hoc communiter sit incredibile, & multoties impossibile: solum ergo dicitur facere de attrito contritum, quia attritio, quæ sine Sacramento non poterat justificare, cum illo justificat, ac si contritio esset, & consequenter quantum ad effectum, seu æquivalenter pœnitens sit contritus.

88 Sed contra nostram, & communem sententiam objicies: in articulo mortis requiritur ad hoc Sacramentum contritio, vel saltim attritio, quæ existimetur contritio: ergo etiã extra talem articulum. Consequentia videtur bona; quia Sacramentum pœnitentiæ idem est in articulo mortis, & extra illum. Antecedens verò probatur: in articulo mortis tenetur quis adhibere remedium certum suæ salutis; sed attritio cognita cum Sacramento non est remedium certum: ergo in eo articulo tenetur pœnitens certius remedium adhibere, videlicet, contritionem cum Sacramento, vel saltim attritionem existimatam contritionem. Minor, in qua est difficultas, probatur; quia, cum graves authores sustineant attritionem cognitam non sufficere ad fructum huius Sacramenti, non videtur esse omnino certum, eam sufficere; certitudo enim excludit oppositi probabilitatem.

89 Respondetur tamen negando antecedens, ad cuius probationem nego minorem, & ad huius probationem respondeo: post Tridentinum esse remedium certum attritionem cum Sa-

cramento, ita, ut, quamvis oppositum tenuerint graves authores etiam post Tridentinum, nequaquam tamen sit probabile judicandum, quia fundamenta non habet ad probabilitatem sufficientia; quapropter noster P. Leandr. quamvis *disp.* 7. *quæst.* 9. nostram sententiam solum dixerit longè multo probabiliorem, *quæst.* tamen 10. ait, quòd sit moraliter certissimum, quòd attritio cum Sacramento ad justificationem sufficiat. Et Henriquez *in sūmá lib.* 1. *de pœnit. cap.* 26. post plures relatos Doctores pro nostra, & communi sententia, addit, *quòd in publicis actibus Salmantinis Penna, & postea Gallo, Sanctius, & alij doctissimi reputarunt adeò certum, ut sine temeritate, vel errore negari non posset.* Videantur M. Moya *in selectis tract.* 3. *disp.* 5. *q.* 1. *num.* 7. P. Arriaga *tom.* 3. *de actib. humanis disp.* 24. *num.* 20. & *tom.* 8. *disp.* 36. *num.* 34. Castro Palao *tom.* 1. *disp.* 2. *p.* 5. *n.* 9. Tambur. *lib.* 1. *meth. confes. c.* 1. *num.* 1. & M. Lumberius *in explic. proposit. Innoc.* 11. *p.* 22. *nu.* 24.

90 Sed dices: graves authores etiam ex his, qui communem, & nostram sequuntur sententiam, respondent objectioni propositæ, concedendo antecedens, & negando consequentiam, eò, quòd extra articulum mortis non teneatur peccator ad remedium suæ salutis adeò certum procurandum; hæc autem responsio probabilis est: ergo saltim propter illam non erit remedium omnino certum in articulo mortis cum attritione confiteri, & consequenter in illo articulo saltim erit necessaria contritio. Sed inprimis ex hac replica nihil contra nostram conclusionem deducitur, sed solum contra responsionem; probat enim ita antecedens objectionis concedendum esse, quòd viam aperit ad negandam consequentiam.

91 Nihilominùs adhuc concessa probabilitate responsionis, quæ affertur in replica quod est eius minorem concedere, respondetur negando consequentiam; quia opinio, quæ asserit probabiliter, tunc debere elici contritionem, non asserit, eam requiri, ut tunc Sacramentum sit validum, aliàs improbabilis etiam esset, ut tenet Arriaga l. c. sed solum eam requiri asserit, ut sit licitum; eò autem ipso,

quod

quòd solùm versetur circa licitum, non tollit securitatem remedij, quia circa valorem Sacramenti, quòd est remedium, non versatur, nec eius receptionem reddit illicitam, quia, ut licita sit, sufficit, quòd opinio probabilis eam licitam asserat, quamvis altera etiam probabilis oppositum defendat: unde propter eam opinionem nec invalida, nec illicita est Sacramenti cum sola attritione susceptio.

92 Idem etiam dicendum est, si opponatur probabilis opinio asserens teneri pœnitentem in articulo mortis contritionem elicere, non præcisè ratione Sacramenti, sed ratione præcepti obligantis ad contritionem in illo articulo; dicendum enim est, tunc posse differri contritionem, ut post Sacramentum eliciatur; si verò timeatur, quòd post absolutionem non erit tempus, adhuc potest solam attritionem elicere, & cum illa recipere Sacramentũ; quia, cum tunc solùm probabiliter teneatur, potest opinioni contrariæ se conformare, & cũ ista probabilitas non versetur circa valorem Sacramenti, non reddit ipsum Sacramentum, & remedium salutis incertum. Nota tamen, quòd, quamvis noster P. Leander videatur tenere opinionem, quòd tenetur peccator ad contritionem in articulo mortis, potius tenet oppositum disp. 1. quæst. 36. cum dicat ad contritionem teneri, si tunc cõfessio haberi nequeat; unde satis clarè inferre licet, quòd, si haberi confessio possit, non tenebitur.

93 Circa actum etiam charitatis, ad quem, juxta non paucos Doctores, tenetur adultus in articulo mortis, observanda est doctrina numeri præcedentis. Sed præterea observandũ est cum Lugo *disp.* 7. *sec.* 13. *nu.* 276. non teneri confessarium admonere moribundum de tali obligatione præcepti charitatis; quia ea obligatio est incerta, cum graves Doctores eam negent; unde propter eam non oportet scrupulis implicare moribundum, & forsan exponere periculo morali peccandi, quapropter consultiùs erit ad actus charitatis elicientiam suaviter, & prudenter inducere, quàm de ipsius obligatione commonefacere.

94 Pro majori autem declara-

ratione eorum, quæ diximus à nu. 91. Nota communem doctrinam asserentem licere cuilibet operari juxta opinionem probabilem, relicta etiam probabiliori, aut certa, communiter limitari in his, quæ spectant ad Sacramentorum valorem, sed ut dicta limitatio teneat, inspiciendum, est, an opinio probabilis asserat licere hoc modo confici Sacramentum: an verò asserat hoc Sacramentum hoc modo confectum validum esse: si primo modo se gerat opinio, potest quilibet eam sequi, sicut in alijs materijs; eò enim ipso, quòd non posset quis eam sequi, falsum esset, quòd probabilis erat opinio. Si verò 2. modo se gerat opinio, vera est exceptio, quamvis non multùm necessaria; si enim opinio non asserit, quòd licet hoc modo conficere Sacramentum, sed solùm quòd sic confectum valet, de se est clarum, quòd illa opinio nō præbet mihi licentiam conficiendi tali modo Sacramentum. Vnde quando Doctores controvertunt, quando uti possimus opinione probabili in materia Sacramentorum, controvertere solùm debebant, quando ex opinione probabili quo ad valorem possit opinio probabilis quo ad licitum inferri; quidquid autem de hoc modo loquendi sit.

95 Juxta veriorem sentiendi modū dicendum, quòd quotiescumque adest via probabilis validè conficiendi Sacramentum, & simul adest alia via certa, illicitum est juxta eam opinionem probabilem Sacramentum conficere; quando autem non adest alia via certa, sed solùm alia probabilior, quamvis expediens sit probabiliorem sequi, videtur tamen satis probabile, quod asserit Sancius *in selectis disp.* 44. *num.* 1. quòd licitè possit confici Sacramentum juxta minus probabilem opinionem. Ratio est, quia cum utraque opinio sit fallibilis, major certitudo, quæ in probabiliori invenitur, non potest esse tanta, ut sufficiat ad inducendū præceptum de illa sequenda. Quando verò non adest via certa, & urget Sacramenti necessitas, illud confici potest juxta opinionem probabilem de illius valore, imò etiam in dubio sub conditione. Ratio est, quia dū non adest via certior, melius est sucurrere probabiliter proximo,

mo, quàm nullo modo; & Sacramenti irreverentia vitatur per opinionem probabilem, vel solam, ut vult P. Vazquez, cum alijs, 1. 2. *disp.* 63. *cap.* 2. vel saltim per illam cum proximi necessitate conjunctam, ut tenet communis sententia. In casu autem, in quo adest dubium, & non probabilitas, ad omnino excusandam irreverentiam Sacramenti debet sub conditione conferri. An autem post decretum SS. P. N. Innocentij XI. aliquid reformandum sit ex dictis in hac quæstione, & præcipuè in hoc, & præcedenti num. constabit ex dicendis quæstionibus sequentibus præcipuè *à num.* 117.

## *Quæst. V. Explicatur prima propositio damnata in decreto SS. P. N. Innocentij XI.*

96 DIE 2. Martij anni 1679. prodijt decretum SS. P. N. Innocentij XI. damnantis 65. propositiones. Quarum prima, quia concernit doctrinam traditam quæst. præced. & alias valde deservit pro alijs in toto hoc tractatu tradendis, est in præsenti subijcienda, & pro majori luce eorum, quæ docuimus, ac docebimus, explicanda. Est ergo ea prima damnata propositio. *Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, nisi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc sententia probabili tantùm utendum non est in collatione Baptismi, Ordinis Sacerdotalis, aut Episcopalis.*

97 Hanc autem propositionem sic habet Castellanâ linguâ Licentiatus D. Martinus Brezmez Diez de Prado *in suo Theatro morali part.* 2. *propositione* 1. *num.* 1. Duas continet partes propossitio ista, prima est, *Non est licitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore nisi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi.* Secunda est: *Hinc sequitur, sententiâ probabili tantum utendum non est in collatione Baptismi, Ordinis Sacerdotalis, aut Episcopalis.*

98 Prosequitur deinde num. 2. sic * Ista secunda pars est certa, & eam communiter defendunt Doctores; & ratio est cla-

clara: quia si quis uteretur sententiâ tantum probabili (relicta tutiore) in collatione Baptismi, Ordinis Sacerdotalis, aut Episcopalis, exponebatur ad periculum quòd dicta Sacramenta essent nulla, ex quo sequerentur grauissima incommoda; quia si non manebat baptizatus erat, incapax ad alia Sacramenta suscipienda &c, si non manebat ordinatus in præsbyterum, absolutiones, Sacra &c. essent nulla; & in margine ait: *secunda pars huius propositionis est vera.*

99 Sed mihi secunda pars propositionis damnatæ non minus falsa est, nec minus damnata quàm prima. Quamvis enim verissimum sit, quòd in illis Sacramentis, Baptismi scilicet, & Ordinis, utendum non sit opinione probabili, relicta tutiore, tamen propositio licet id affirmet, præterea, & præcipuè affirmat aliud, quod falsissimum, & damnatum est, videlicet, quòd in alijs Sacramentis, præter Baptismum, & Ordinem, utendum sit, utive liceat opinione probabili. Quòd ex eo constat, quòd ly *tantum* non cadit, seu appellat supra ly *probabili*. Ratio est; quia in antecedenti non afficitur ly *probabilem* particula *tantum*; sed alia affectione magis ad rem indicata illis verbis, *tutiore relicta*: hoc ergo eodem addito afficiendus est idem terminus in consequẽti, & non eo adverbio, seu modo *tantũ*: sed potiùs ly *tantum* est modus illius propositionis exclusivæ: *utendum non est*, & facit propositionem exclusivam tertij generis, qualis est ista *tantum homo non currit.* Vnde sicut hanc in meo cursu Trinitario *num.* 191. dixi exponi debere sic: *homo non currit, & omnia alia, præter hominem, currunt*: sic prædicta exclusiva, *sententia probabili tantum utendum non est in collatione Baptismi Ordinis Sacerdotalis, aut Episcopalis*, sic exponi debet: *in collatione Baptismi, aut Ordinis opinione probabili utendum non est, & in omnium aliorum Sacramentorum collatione opinione probabili utendum est* (sub intellige) *tutiore relicta*: hæc autem propositio exponens est evidenter falsa, evidenterq; damnata in dicta prima propositione, ac proinde, exponibilis, quæ est secunda pars propositionis damnatæ.

100. Et quidem si dicta secun-

cunda pars esset omnino vera, & nullatenus damnata, ut intellexit Licentiatus Martin⁹ Brezmez, ad quid primæ in decreto subjungeretur? Certè ad nihil, cum omnino sit distincta à prima parte, nec ad illius complementum pertineat, aut explicationem: Si verò sit pariter damnata, meritò hîc apponitur, utpote doctrinam falsam, & cũ prima parte connexam, veluti antecedens cum consequenti, continens, & non minus clarè damnatione dignam, quàm prima pars, quæ vicem antecedentis gerit respectu illius. Sed hæc indicasse sufficiat; sufficient enim dicta, ut, vel summulistæ, sensum dictæ secundæ partis propositionis primæ damnatæ intelligant, & non minus eam secundam partem damnatam esse, quam primam.

101 Nota tamen, quod sententiæ, aut mihi potius æquivocationi Licentiati Prado, annuit P. Fr. Iacobus de Corella *in sua praxi Confessionarij tractat.* 2. *proposit.* 1. dum secundam partem dictæ primæ propositionis sic construit, prout in Castellana lingua sonat. *Ideo non est utendum opinione tantum probabili in collatione Baptismi, Ordinis Sacerdotalis, aut Episcopalis.* Nobis autem consonat M. Lumbier dum eadem secundam primæ propositionis partem sic vertit. *Hinc tantum omittendus est usus sententiæ probabilis in administratione Baptismi, Ordinis Sacerdotalis, aut Episcopalis.*

102 Pro explicatione ergo dictæ propositionis Notandum, dupliciter esse posse illicitam administrationem Sacramenti alicuius, utendo in ea, sententiâ probabili de valore illius. Primò, quia est contra reverentiam debitam Sacramento; quia illud exponere frustrationi irreverentia est: cumque opinio probabilis, titulo etiam probabilitatis non eximatur ab eo, quod est Sacramentum frustrationi, & nullitati exponere, non effugit irreverentiam, ac proinde eius usus licitus esse non potest. Secundus titulus est lex charitatis, & justitiæ erga proximum, cui ex charitate, & sæpe ex justitia debemus succurrere per Sacramenta, certiori modo, quo possimus: unde, dũ ei ministratur Sacramentum juxta opinionem probabilem, relicta tutiori, exponitur ipse pe-

riculo carendi Sacramento, & eius fructu: quòd grave peccatum est contra legem charitatis, & justitiæ in his, qui ex officio tenentur.

103 Hoc supposito, P. Lübier in huius propositionis explicatione num. 13. M. Hozes, *ibid. num. etiam* 13. & Torrecilla *tract.* 1. *consult.* 1. *num.* 59. asserunt utroque isto titulo damnari dictam propositionem, quia utroque illicitum est, Sacramenta ministrare juxta opinionem probabilem de valore, tutiore relicta. Ego verò clariùs loquendo.

104 Existimo 1. damnari propositionem ex 1. titulo irreverentiæ Sacramenti. Vnde, qui diceret nunquam esse licitam administrationem Sacramenti alicuius juxta opinionē probabilem propter periculum damni proximi; fore tamen licitam, si solùm attenderetur ad Religionem Sacramento debitam, expresse, & formaliter judicari deberet contravenire damnationi.

105 Secundò existimo, quòd ea propositio non damnatur formaliter titulo damni proximi, cui ex charitate, aut justitiâ teneatur occurrere Minister Sacramenti, illud nullitati non exponendo. Ratio est; quia propositio damnata non dicit, quòd, quando lex vetat, aut conventio, aut periculum gravis damni incurrendi, sit licitus usus opinionis probabilis, ut patet ex eius tenore, sed potiùs tunc illicitum esse fatetur: ergo in ea propositione talis usus non damnatur, quia damnari non potest, quod non asseritur.

106 Tertiò existimo æquivalenter, aut eminenter damnari dictum usum probabilitatis, quando ex illo legi, aut conventioni contravenitur, vel adest periculum gravis damni incurrendi. Ratio est; quia ideò non damnatur in ea propositione, quia in ea non includitur; cum verò aliud, quod includitur in ea minus damnabile, damnetur, sequitur, quòd à fortiori damnaretur, si in ea includeretur. Vel aliter: clariùs apparet illicitum exponere nullitati Sacramentum, quando id est contra expressam legem, aut conventionem, aut sequitur grave damnum, quàm in casibus alijs, in quibus nihil istorum interveniat, sed sola irreve-

verentia, quæ fit Sacramento illud nullitati exponendo: sed hoc secundum damnatur in dicta propositione: ergo illud primum, si in ea contineretur, damnaretur à fortiori. Illud ergo non fuit damnatum formaliter, quia necessaria non fuit damnatio, ut tanquam falsum reijceretur; plura namque evidentiùs falsa, quàm, quæ continentur in decreto, non damnantur; quia, eo ipso, quod evidentiùs falsa sunt, opus in eis non est damnatione. Nostram hanc intelligentiam damnationis expresse tenet M. Thyrso *tom. 3. select. disput. 42. sect 3. num.* 16.

107 Non me latet, quòd quidam Neotericus in M. S. asserit probabilem adhuc esse sententiam asserentem illicitum quidem esse usum opinionis probabilis circa Sacramenti valorem non ex irreverentia, quæ fiat Sacramento, sed ex alijs titulis prohibitionis, charitatis, aut similibus. Quod sic ex ipso probari potest. Damnatio propositionum est odiosa: ergo stricte est interpretanda: ergo id præcisè debemus asserere damnatum in quavis propositione, quòd sufficit ad eam falsificandam: sed ad falsificandam propositionem asserentem illicitum non esse in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore; nisi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi, non est necessarium asserere, quòd ea uti opinione probabili sit illicitum ex præcisa irreverentia, quæ fit Sacramento: ergo non debemus damnare, & falsam, improbabilem, & scandalosam reputare sententiam asserentem ex præcisa irreverentia Sacramenti eum usum illicitum non esse. Probatur minor: ad falsificandam illam propositionem sufficit, quòd, præter tres titulos assignatos in ea, ut talis usus opinionis sit illicitus, assignemus alium quartum, ex quo illicitus esse possit: sed possumus assignare quartum, quin ille sit irreverentia, quæ fit Sacramento: ergo non est necessarium hanc designare, ut falsa sit propositio damnata. Minor probatur. Primus titulus in propositione designatus est lex, secundus conventio, tertius periculum gravis damni: sed possumus pro quarto designare peri-

riculum damni levis: ergo hoc designato, falso redditur propositio damnata, ac proinde, ut falsa reddatur, necessarium non est designare irreverentiam, quæ fit Sacramento, consequẽterque, quòd ex ista præcisè talis usus reddatur illicitus, asserere non cogimur: eo autem ipso, quòd id asserere non cogamur, possumus asserere non reddi illicitum, & hoc erit probabile post damnationem, sicut erat ante illam.

108 Quod autem, quando in usu opinionis probabilis circa valorem datur periculum damni levis, sit usus illicitus, patet, quia, ut aliquid sit illicitum, sufficit, quòd sit peccatum veniale, & sicut proximum exponere periculo gravis damni, est peccatum mortale, non est, cur veniale non sit illum exponere periculo damni levis.

109 Quòd deinde possit cõtingere, quòd in usu opinionis probabilis de valore, relicta tutiore, detur periculum damni levis, probat ex Cardinali de Lugo *disp.* 19. *de pœnit.* judicante, quòd ministrare Sacramentum pœnitentiæ semel, aut iterum cum periculo nullitatis, non est pœnitentem gravi damno exponere, si extra articulum mortis contingat, quia poterit iterum confiteri securè, & tunc remittentur indirectè peccata huius confessionis, si forte non fuerint remissa. Quam doctrinam concludit Cardinalis de Lugo *l. c. n.* 30. per hæc verba: * Licet utilius esset pœnitenti, Sacramentum recipere absque illo qualicumque periculo, non tamen tenetur etiam ex charitate Minister dare Sacramentum cũ omni utilitate, & securitate possibili, ut notavit Petrus Lorca 1. 2. *disp.* 38. *memb.* 2. Vnde dicit, quòd non peccaret mortaliter Sacerdos, qui petenti communionem, daret hostiam probabiliter consecratam, si non frequenter, sed semel, vel iterum id faceret: quod idem admittit de absolutione data, juxta opinionem probabilem. * Ita Cardinalis.

110 Sed prædicti Neoterici doctrinam falsam esse mihi persuadeo, nec eam auderem probabilem judicare: non autem eam damno, ut improbabilem, sed alijs eius committo censuram. Quòd autem falsa sit, sic probo. Quamvis sufficiat unus titulus usus

usus illiciti opinionis probabilis, præter tres assignatos in propositione damnata, ad hoc, ut ipsa meritò damnetur, ille titulus non debet esse, quem Neotericus ille cogitare voluit, aut quem alius poterit cogitare; sed potius ille, qui verisimiliter occurrit Pontifici, dum propositionem damnavit. Sed verisimiliter occurrit titulus irreverentiæ Sacramenti; cum præter tres titulos illiciti usus, in propositione damnata admissos, sub lite inter DD. esset, an addendus esset quartus irreverentiæ Sacramenti; an non: affirmaretquè addendum communis sententia, & paucorum sententia negaret: adhunc ergo inspexisse Pontificem credere debemus, & non ad cogitatum à Neoterico, de quo communiter non disputant DD. agentes de usu opinionis probabilis, & qui, dato, quòd esset titulus, difficile satis est, quòd sit quartus, cum videatur in tertio contineri. Qui enim existimat proximum exponere periculo gravis damni graviter illicitum esse, implicitè affirmat esse illicitum leviter, aut venialiter illum exponere periculo damni levis. Hæc sufficiant contra Neotericum istum, quamvis alia multa possent facilè coacervari.

111 Vsus ergo opinionis probabilis, qui, ut illicitus ob reverentiam Sacramenti damnatur in prima propositione, est usus cuiuslibet opinionis versantis circa materiam, & formam Sacramentorum, & intētionem Ministri; quia hæc, cum ex institutione Christi ita necessaria sint, ut ab Ecclesia suppleri non possint, non possunt practicari juxta opinionem probabilem, quando adest alia tutior, quin nullitati exponatur Sacramentum: quòd, præterquā illicitum esse solet, quia contra legem, aut consuetudinem Ecclesiæ, vim legis habentem, & contra proximi charitatem illum fructus Sacramenti privationi exponendo, est etiam illicitum, quia contra reverentiam est Sacramenti.

112 Inquires tamen An damnatio primæ propositionis, damnet etiam istam. * Mortale non est, sed veniale tantum, in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore; nisi id vetet lex, &c. * Hanc

quæ-

quæstionem excitat Licenciatus Prado. Cui respondet num. 6. per hæc verba. * Respondeo, quòd non damnat eam, quia solùm damnat illam particulam: *non est illicitum*; & qui dicit, quòd peccat venialiter, non affirmat, *non est licitum*, sed imò dicit, *est licitum*; itaque non est comprehensa in dicta damnatione. * Ita Prado, & ex ipso Torrecilla *in 2. editione post. nu.* 64, Favet etiam eidem responsioni Neotericus supra num. 107. memoratus; quia locum non posset habere explicatio ab eo tradita, si in propositione damnata sermo esset de illicito graviter, & non satis esset asserere, esse illicitum leviter ad effugiendam damnationem.

113. Fateor ergo hanc sententiam mihi videri satis probabilem; quia, cum damnatio sit odiosa, satis est, quòd eam intelligamus juxta proprium, & rigorosum sensum verborum. Hoc tamen non tollit, quòd, communiter saltim loquendo, sit peccatū mortale attentâ solâ irreverentiâ, quæ fit Sacramento, & multò magis, attenta lege Ecclesiæ, aut damno proximi; quia si semel ex damnatione supponatur illicitum, cum sit materia satis gravis, potius dicendum, quòd sit mortale, quàm veniale. Si tamen aliquando fundamentum probabile inveniatur ad excusandam materiam à gravitate, tunc poterit dici esse veniale tantum cum probabilitate fundamenti probabilitati proportionata.

## *QVÆSTIO VI.*

### *Aliquibus illationibus magis declaratur dicta prima propositio.*

114 EX dictis quæst. præcedenti colliges 1. illicitum esse baptizare in materia probabili, relictâ certâ, ut in lixivio. aqua rosacea, & similibus. Similiter est illicitum uti pro forma absolutionis his verbis tantum: *absolvo te*, omittendo, *à peccatis tuis*; quia, licet probabilius sit, quòd illa sufficiant, & ista non sint necessaria; tutius tamen est, quòd etiamista proferantur, ac proinde, etiam secluso præcepto, aut consuetudine Ecclesiæ, erit mortale illa omittere. Vide infra à num. 744. dicenda, quæ etsi scripta

ante decretum, non minùs illi conformantur, quàm si post ipsum scripta fuissent. Similiter autem in alijs discurrendum est.

115 Secundò colliges; licitum esse modò, sicut ante Innocentij decretum, usum opinionis probabilis in materia Sacramentorum, si talis opinio non versetur circa valorem, sed solùm circa alia, quæ ad valorem non pertinent; sed ad licitam administrationem. Vnde possumus uti opinione probabili asserente in tali, vel tali casu, posse dimidiari confessionem. Item opinione negante debere confiteri circumstantias aggravantes. Itemq; alijs asserentibus tales, vel tales circumstantias non debere confiteri, quia probabile est non mutare speciem, & item probabile, quòd dum eam non mutant, confitendæ necessario non sint. Item possumus uti opinione probabili, si verè sit probabilis, de quo infra disp. 3. q. 6. quòd peccata dubia non debeant necessario confiteri: & similibus alijs. Quòd notat P. Torrecilla *tract.* 1. *consult.* 1. *à num.* 82. *&* *tract.* 2. *consult.* 1. *num.* 18.

116 Colliges 3. quòd, etiam si opinio versetur circa formam, aut materiam Sacramentorum, si non sit opinio, an valida sit, vel non administratio sub illa; sed solùm, an licita: talis opinionis usus licitus est sicut antea. Vnde sine veniali omitti potest in forma absolutionis: *Misereatur tui &c.* Et præterea sine mortali omitti possunt in eadem forma verbum *ego*, & verba *in nomine Patris &c.* Quia quòd *Misereatur* omitti possit absque veniali probabilius est, etsi non certum, & quòd *ego* & *in nomine Patris, &c.* sine mortali omitti possint, est similiter probabilius, ut suo loco dicemus, quæ non tollunt certitudinem de valore.

117 Addit præterea Neotericus supra memoratus in M. S. condemnationem prædictæ primæ propositionis non reddere illicitum usum opinionis probabilis versantis non directè circa valorem, sed reflexè circa licitam Sacramenti administrationem. Quapropter, si modo etiam, omnibus pensatis, inveniremus opinionem probabilem de licita administratione sequẽdo opinionem directam minus tutam circa valorem, non esset

illi-

illicitum ex condemnatione. Oppositam tamen sententiam tenet M. Hozes num. 12.

118 Ego autem doctrinæ Neoterici consentiebam ante condemnationem, ut constat ex num. 94. & modo etiam post illam consentio; addendo tamen, quòd tum ante condemnationem, tum, & à fortiori post ipsam difficillimum sit, ( & vix credo possibile) quòd stante opinione directa de valore Sacramenti sub opinione probabili, relicta tutiore, stare possit opinio probabilis reflexa circa licitam Sacramenti administrationem.

119 Colliges 4. quid dicendum sit de sententia Sancij, quã commemoravimus q. 4. n. 95. Quamvis enim eam ibi diximus satis probabilem, modò inclinor, ut asseram, post decretum SS. P. N. Innocentii improbabilem esse. Quia in casu, in quo adest via probabilis conficiendi Sacramentum, & via alia non certa, sed probabilior, ut, si quis non habeat materiam certam baptismi, habeat tamen duplicem materiam aliam probabilem, aliam probabiliorem, v. g. aquam rosaceam, & lixivium; cum ea, quæ probabilior est, videatur tutior, jam tunc sequi probabilem relicta probabiliori videtur, quòd sit sequi probabilem tutiore relicta. Dixi tamen *inclinor*; quia omnino non damno opinionem Sancij, sed ad alios judicium de eius probabilitate remitto; cum enĩ in dicto casu neutra opinio sit tuta, propriè loquendo, nec propriè tutior dici poterit, quæ probabilior est.

120 Nota tamen obiter, quòd aquam rosaceam esse materiam probabilem baptismi supposui, & lixivium probabiliorem. Hoc secundum tenet N. P. Leander *tom. 1. tract. 2. disp. 2. q. 9.* Primum verò, scilicet, quòd sit materia probabilis aqua rosacea, tenent M. Thyrso *disp. 41. de pœnit. num. 26.* & apud ipsum Tannerus, & Lugo, & idem supponunt in huius propositionis explicatione M. M. Hozes, & Lumbier, ille num. 9. iste verò num. 23. atque etiam P. P. Iacobus de Corella, & Martinus de Torrecilla; ille n. 6. iste ℣. num. 67. Istam tamen probabilitatem negat N. P. Leander *l. c. q. 14. & 15.* Sed ad explicationem sententiæ Sancij, pa-

parum intereſt, quòd ei ſententiæ de aqua roſacea probabilitatem gratis dederimus; aut quòd ei extrinſecam ſaltem modo cōcedamus. Hac tamen ſuppoſita probabilitate, erit obligatio in caſu neceſſitatis extremæ, in quo alia non detur materia, in illa ſub conditione baptizare.

121 Reliqua, quæ dixi eodem num. 95. locum habent etiam poſt decretum, tantummodoq; notandum, quòd ibi memoravi ſententiam P. Vazquez, & aliorum aſſerentium, quòd in caſu neceſſitatis excuſetur Sacramenti irreverentia per opinionem probabilem ſolam, quamvis eam ibi non approbaverim; modò autem ad incudē eam revocando, cenſeo improbandam poſitivè eſſe poſt Innocentij decretum, quia ea eſt, quæ præcipuè, aut unicè in prima eius propoſitione damnatur.

122 Quinto colliges ſimiliter circa dicta quæſt. 4. quòd non eſt contra damnationem ſententia à nobis tradita, quòd neceſſarium non ſit accedere ad Sacramentum pœnitentiæ cum contritione, aut cum attritione exiſtimata contritione, ſed ſufficiat pura attritio: 1. quia, ut dicebam ibid. num. 89. ea noſtra ſententia non eſt tantùm probabilis, ſed certa: unde eam ſequi, non eſt ſequi ſententiam probabilem, de qua eſt ſermo in propoſitione damnata, ſed certam.

123 Præterea, dato, quòd ea noſtra ſententia non eſſet omnino certa, adhuc in damnatione non comprehenderetur: Quia in propoſitione damnata nihil dicitur de ſuſcipientibus Sacramenta cum opinione, ſed de miniſtris, ut patet ex illis verbis, *in Sacramentis conferendis*, & tenent M. Hozes in explicatione huius propoſitionis num. 5. & 9. P. Corella ibid. num. 9. & P. Torrecilla num. 95. Dolor autem contritionis, aut attritionis non ſe tenet ex parte Miniſtri, ſed ex parte ſuſcipientis. Quod adhuc eſt magis notatu neceſſarium pro alijs opinionibus, quæ verſantur circa diſpoſitionem pœnitentis, veluti, quòd ſufficiat, quòd attritio præcedat abſolutionem, nec requiratur, quod præcedat confeſſionem. Quòd unus dolor ſufficiat aliquando, ſeu in aliquibus caſibus pro duplici confeſ-

ſio-

sione. Quòd sufficiat dolere de peccatis omnibus confusè unico dolore, & non sit necessarium de singulis habere singulos dolores. Hæ enim, & similes aliæ opiniones, quæ passim occurrunt, possunt ad praxim à pœnitentibus reduci, licet oppositæ tutiores sint. Quod expresse tenent Doctores citati; & si verùm non esset, in magnas angustias reducerentur confessarij, & in majores pœnitentes. Vnde M. Lumbier, quia differentiam istam inter ea, quæ apponenda sunt à Ministris, & ea, quæ à suscipientibus, non animadvertit, in pluribus casibus damnat usum opinionum respectu suscipientium, ut videri potest *pag. mihi* 23. *num* 26. in pluribusque alijs, in quibus illum damnare non audet, difficulter se expedit ab illis.

## QVÆSTIO VII.

### *An in prædicta prima propositione damnetur usus opinionis probabilis circa jurisdictionem?*

124 RESpondeo, non damnari. Quia licet à jurisdictione pendeat valor Sacramenti, sicut à materia, & forma, atque intentione Ministri, est tamen disparitas magna; quia tria ista ita sunt necessaria ex institutione Christi, ut suppleri ab Ecclesia non possint. Jurisdictio autem, etsi ad valorem necessaria sit, confertur ab Ecclesia, & ab ipsa suppleri potest: & defacto juxta communem sententiam suppletur, quando opinio probabilis tenet eam dari, si forte talis opinio defactò, & re ipsa vera non est.

125 Et quidem, ut propositio aliqua damnetur, ut temeraria, improbabilis, & scandalosa, sufficit, quòd talis sit in aliquibus casibus in eius universalitate comprehensis, quin, quòd in omnibus id eveniat, sit necessarium. Cum ergo propositio damnata universaliter asserat, illicitum non esse in alijs casibus, præter exceptos in illa, uti opinione probabili circa valorem, sufficit, quòd sit id scandalosum in opinionibus versantibus circa materiam, formam, & intentionem; quin sit necessarium damnationem extendere ad illas, quæ circa jurisdictionem versantur; cum damnatio, ut-

utpote odiosa, restringi potiùs, quàm ampliari, petat.

126 Dices tamen: ista ratione suaderi posse, quòd nec damnetur usus opinionis circa materiam, formam, & intentionem, cum sufficiat, ad falsificandam propositionem damnatam, quòd usus opinionis circa illarum alteram, & non circa omnes, illicitus dicatur. Respondeo tamen; verum esse ad falsitatem universalis, sufficere unius particularis falsitatem. Tamen, quando in pluribus particularibus eadem ratio militat, in omnibus illis falsificari est dicenda, quando falsa esse definitur, non tamen ita in alijs, in quibus eadem non militat ratio. Cum ergo in materia, forma, & intentione eadem militet ratio, quòd, scilicet, sint institutæ à Christo Domino, &, si deficiant, non possint ab Ecclesia suppleri, in omnibus illis, aut in earum nulla, est judicandus prohibitus, veluti scandalosus, &c. usus opinionis probabilis, relicta tutiore. Cumque dixerimus in jurisdictione aliam esse rationem, ad eam non debet extendi.

127 Sed dices iterum: quamvis fateamur, quòd Ecclesia potest jurisdictionem supplere, prodest id parum, si defactò eam non supplet: sed non est certum, quòd eam suppleat ratione opinionis probabilis: ergo adhuc manet Sacramentum pœnitentiæ nullitati expositum, si conferatur cum jurisdictione tantùm probabili. Si autem exponatur nullitati Sacramentum, adhuc secluso decreto Innocentij, id videtur illicitum, propterea, quòd pœnitens exponatur periculo carendi Sacramenti fructu. Minor, in qua potest esse difficultas, constat: quia gravissimi Doctores apud Dianam pluribus in locis, præsertim *part.* 9. *tract.* 7. *resol.* 57. tenent, in dicto casu non suppleri ab Ecclesia jurisdictionem: & hanc sententiam validis rationibus fulciri, fatetur, & (quamvis ipse oppositam teneat) hanc asserit in praxi non deserendam. Præterea N. P. Leander *tom.* 1. *tract.* 5 *disp.* 11. *quæst.* 103. quamvis jurisdictionem suppleri affirmet, id non dicit tanquam certum, sed tanquam probabilius; eodemque modo se gerit Tamburinus *tom.* 3. *lib.* 5. *cap.* 4. §. 8. Sive ergo sit contra damna-

mnationem, sive non, illicitum erit uti opinione probabili circa jurisdictionem: quia si talis opinio sit falsa, non est certum, quòd Ecclesia suppleat jurisdictionem, ac manet expositum Sacramentum nullitati, si forte vera sit in re sententia negans eam supplere.

128 Quamvis autem communiter Doctores hanc primã propositionem ab Innocentio damnatam exponentes, affirment casum hunc de jurisdictione probabili non comprehendi in damnatione; tamen hanc contra se objectionem non opponunt; sed rem totam absolvunt dicentes, Ecclesiam supplere jurisdictionem; tamen, quòd hæc suppletio non sit omnino certa, non animadvertunt, & ideo difficultati nunc propositæ non satisfaciunt. Sed jam id animadvertunt, & difficultatem propositam versant M. Lumbier, & P. Torrecilla; ille *à nu.* 27. *ad* 34. iste verò *tract.* 2. *consul.* 1. *num.* 8. *& sequentibus.* Et tandem ex eo, quòd opiniones probabiles circa jurisdictionem passim practicantur, & à Doctoribus, ut practicabiles, docentur, & ex eo, quòd ab Ecclesia tolerentur, putant moraliter certùm, eam jurisdictionem cõferre; cum passim Doctores clament: *Ecclesia supplet: Ecclesia supplet*, & in re tanti momenti videtur Ecclesia consentire, dũ oppositum non declarat. Similiter M. Moya *tom.* 1. *tract.* 1. *q.* 9. *n.* 22. refert, & approbat ex Verricelli. * Sacerdotem absolventem ex quacumq; opinione reverà probabili intrinsecè, vel extrinsecè, circa jurisdictionem validè absolvere, idque moraliter ita certùm esse, ut oppositum sit improbabile, & falsum. *

129 Et quidem ego observavi in N. P. Leandro *tom.* 1. *tract.* 5. *disp.* 11. *tantummodo à q.* 37. *ad* 99. ipsum percurrere viginti quatuor casus, in quibus asserit posse confessarium audire confessiones eò, quòd sufficientem habeat jurisdictionem: in quibus omnibus ea jurisdictio non est certa, etiam apud ipsum, sed solùm probabilis, aut probabilior, ac proinde in eis opposita sententia est probabilis, & proculdubiò tutior. Valde autem esset durum asserere, in omnibus illis Sacramentum exponi frustrationi, & ob id illicite

citè ministrari; præsertim, cum earum plures, aut potius omnes absque ullo scrupulo à timoratis etiam, practicentur, teste Tamburino, & alijs apud ipsum l. c. n. 3. ubi, inter alia, ad rem hæc habet verba: * Vniversali Ecclesiæ consuetudine omnes fere Sacerdotes (excipe paucos, & hos nimis timidos, vel indoctos nimis) absolvunt cum jurisdictione probabili * Ne ergo tot inconvenientibus latus aditus pateret, deberet planè Ecclesia dictas opiniones non tolerare; aut eas ad praxim reduci non posse, declarare: quare, quòd expresse non declaret, & praxim prædictam permittat, moralem certitudinem præbet dictæ sententiæ communi, asserenti Ecclesiam supplere jurisdictionem pro casibus, in quibus probabilis sententia, eam dari affirmans, est falsa. Quod præsertim credi debet in hoc nostro sæculo, in quo alijs inconvenientibus non tanti ponderis, ac istud, nec tam frequentibus, solicitè Summi Pastores occurrerunt. Quapropter forsan, qui certitudinem dictæ supletionis negarunt, eam modo concederent, si sub tanta Summorum Præsulum vigilantiâ tolerari adhuc viderent prædictarum opinionum usum. Quare consentio Magistris Moyæ, Lũberio, & Torrecillæ, dum aliud à Sede Apostolica non declaratur.

130 Licitus autem usus opinionis probabilis de jurisdictione confirmatur ab aliquibus, tum ante decretum SS. P. N. Innocentij, tum post illud, ex eo, quòd Sacerdos habens jurisdictionem probabilẽ circa mortalia, habet certam circa venialia, & etiam circa mortalia antea confessa: cum ergo pœnitentes plerumque aliquod veniale, aut mortale jam confessum confiteantur; quamvis opinio de jurisdictione circa mortalia sit falsa, non erit invalidum Sacramentum, sed validum, quamvis in re non remittat mortalia directè: jam ergo non frustrabitur, nec erit item obligatio repetendi mortalia, quia ad excusandum ab ista obligatione sufficiet sententia probabilis, quòd fuerint directè absoluta; quia opinio affirmans non teneri ea confiteri, quia probabiliter sunt directè absoluta, jam non versatur circa valorem; sed

circa integritatem ſubſequentis confeſſionis, ac proinde illicitus non eſt illius uſus juxta dicta num. 115.

131 Hanc tamen confirmationem locum non habere dicit M. Bernardus de Hozes in huius propoſitionis explicatione num. 25. quia N. SS. P. Innocentius XI. in decreto de communione quotidiana, quod affert Lumbier tom. 2. ſuorum opuſculorum à pag. 974. & vulgari lingua à pag. 1103. quæ per errorem inſcribitur 1203. prohibet confeſſionem fieri de venialibus ſimplici Sacerdoti, & idem, inquit, dicendum de mortalibus jam confeſſis propter rationis paritatem.

132 Sed per dictum decretum non annullari confeſſionem de venialibus, & conſequenter à fortiori, nec de mortalibus jam confeſſis, tenet P. Fr. Iacobus de Corella, in ſua praxi pag. 279. num. 198. per hæc verba: * 4. quòd non confiteantur peccata venialia corã ſimplici Sacerdote. Verùm eſt, quòd tales confeſſiones non annullat; ſed male operabuntur tam Sacerdos ſimplex permittendo, ſicut pœnitens operando. * Idéque tenet M. Lumbier num. 1518. & latius pag. 1210., quæ potius 1110 dici deberet num. 102. per hæc verba: * Ad ultimum quòd non confiteantur de venialibus coram ſimplici Sacerdote, reſpondet Sacra Congregatio quòd id non permittant loci Ordinarij. Intentum, juxta ea, quæ reſcivi à quodã gravi Theologo in Curia Romana exiſtenti, videlicet P. Eſparza, qui fuit præſens, quando tale expediebatur decretum, non fuit, quia confeſſio de venialibus eſſet invalida, ſed ad prohibendum, ne ſimplices Sacerdotes ſe exponant publicè ad audiendas confeſſiones, ac ſi eſſent approbati, ſpecialiter in Monialium eccleſijs; intentum fuit ergo hunc auferre abuſum. Invenietur hoc fol. 526. noſtri tomi propoſitionum typis traditi Cæſar Auguſtæ anno 1683. Vnde decretum non annullat confeſſionem; & ad minus, dum Ordinarij hoc permittant, confeſſio erit valida, ſed male faciet ſimplex Sacerdos ſe exponendo ad audiendas confeſſiones, & pœnitens etiam, ſi hoc ſcit. * Ita Lumbier.

133 Hac ergo doctrinâ ſup-

posita, subsistit Confirmatio supra posita: Quia ille, qui jurisdictionem probabilē erga mortalia habet, si audiat simul venialia, habet jurisdictionem certam erga illa, quia si ista adhuc in dicto decreto non tollitur Sacerdoti simplici, à fortiori non tollitur probabiliter approbato, seu probabilem jurisdictionem erga mortalia habenti. Prohibitio autem, quæ fit simplici Sacerdoti, non debet extendi ad probabiliter habentem jurisdictionem erga mortalia: &, dato, quòd extenderetur in casu de falsitate opinionis de sua jurisdictione, jam circa valorem absolutionis de venialibus non versaretur opinio probabilis, sed certa: & solùm posset versari opinio probabilis circa prohibitionem illi factam, quæ prohibitio, dato, & non admisso, quòd ad prædictum, qui propriè non est simplex Sacerdos, extenderetur, adhuc illicitam eam absolutionem non redderet; quia tunc vteretur opinione probabili circa licitū, qui usus licitus est, & minimè in 1. propositione damnatus. Vide infra à n. 744. ad 746. Vbi omnino consonam doctrinam doctrinæ in hac quæst. traditæ dictavi, & modò hanc, illius immemor scripsi, & post scriptam utramvis alteri vicissim cohærere animadverti.

## QVÆSTIO VIII.
### *An in præfata prima propositione damnata à SS. P. Innocentio damnetur usus opinionis probabilis circa valorem in Ministris Sacramenti matrimonij?*

134 RESpondet M. Bernardus de Hozes in huius propositionis explicatione num. 31. absolutè damnari: 1. quia propositio damnata est indefinita: propositio autem indefinita æquivalet universali. Secundo quia fit irreverentia. Et tandem quia seqvuntur inconvenientia nullitatis matrimonij. Additque num. 32. propterea Ordinarios non solere approbare dispensationes matrimonij tantùm probabiliter validas.

135 Sed ego sub distinctione respondeo primo; quòd, si usus opinionis probabilis circa valorem matrimonij sit circa aliquid ne-

necessariũ ex institutione Christi, & ab Ecclesia non supplebile, nec dispensabile, illicitus est independenter etiam à damnatione primæ propositionis propter inconveniens nullitatis nõ solum Sacramenti, sed etiam contractûs matrimonij. Post damnationem verò primæ propositionis est etiam illicitus, propter irreverentiam, non tamen graviter, sed leviter, ita, ut ex hac parte solùm sit peccatum veniale. Et ratio est: tum quia sufficit, quòd sit peccatum veniale, ut illicitum sit, per quod satisfit damnationi, quâ damnatur asserentes illicitum non esse. Quod etiam in alijs Sacramentis dici probabiliter posse saltim absque eo, quòd in damnatione comprehendatur, diximus num. 113. Dato tamen, quòd in aliis Sacramentis sustineri non possit, quòd ea irreverentia sit tãtum levis, & peccatum veniale; id tamen debet speciali ratione dici in matrimonio; quia Ministri eius non sunt consecrati, qua ratione satis communis sententia docet, quòd quamvis Sacerdos Ministrans aliquod Sacramentum in mortali, peccet mortaliter; contrahentes tamen matrimonium in mortali, præcisè ut Ministri, probabilius nõ peccant mortaliter, sed venialiter; de quo vide meum compend. oper. N. P. Leandri num. 364. ergo similiter dici potest, quòd etiamsi Sacerdos utens opinione probabili in administratione alicuius Sacramenti mortaliter peccet, non sic mortaliter peccent Ministri Sacramenti matrimonij similiter utentes opinione probabili.

136 Respondeo deinde 2. quòd, si usus opinionis probabilis sit circa valorem in materia, quæ suppleri, aut dispensari potest ab Ecclesia, nec ante decretum Innocentij, nec post ipsum est illicitus. Ratio est: quia, quando usus opinionis probabilis est circa jurisdictionem, licet ab illa verè dependeat valor Sacramenti pœnitentiæ, licitus est, quia casu, quo ea opinio sit falsa, Ecclesia supplet jurisdictionem: ergo similiter in matrimonio, quando usus opinionis est circa rem ab Ecclesia supplebilem, aut dispensabilem, si fortè opinio, est falsa, suppletur ab Ecclesia defectus, aut dispensatur. Quare enim Ecclesia supplet jurisdictionem?

Vtique eam supplet, quia potest, & velle censetur, ne Sacramentum exponatur nullitati, & sic illi fiat irreverentia, & fructu illius priventur fideles: hoc autem militat etiam in matrimonio; potest enim Ecclesia supplere defectum; cum de casu, in quo potest, loquamur modò, & censetur velle; quia aliàs nō solùm privarentur fideles fructu gratiæ Sacramento matrimonij respondenti, sed innumera etiam sequerentur peccata materialiter saltim talia, si opinio esset falsa.

137 Confirmatur: quia, quādo in judicio contenditur de nullitate alicuius matrimonij, si adsit opinio probabilis pro valore, quamvis adsit probabilior, aut longè probabilior pro nullitate, judex debet sentētiā ferre in favorem matrimonij, judicando illud fuisse validum, ut cum alijs docet P. Thomas Sanchez *lib. 1. de matrim. disp. 18. num. 7.* Non posset autem illud declarare validum, si validum non fuisset; nec validum esse potuit, si sententia probabilis de eius valore erat fortè falsa, nisi Ecclesia suppleret defectum: ergo dū Ecclesia disponit, quòd sententia in favorem Matrimonij proferatur, supponit ab ipsa suppleri, & dispensari pro casu, in quo opinio sit falsa, quidquid supplere, & dispensare potest.

138 Ad fundamenta autem M. Hozes, quatenus contra nostras responsiones militant, suo ordine respondeo. Ad primum fateor propositionem damnatam esse universalem, & id colligitur ex ipsa exceptione; quia *exceptio firmat regulam in contrarium in casibus non exceptis.* Sed potius ex eò, quòd universalis sit, sequitur, quòd, ut sit falsa, temeraria, & scandalosa, sufficiat, quòd in aliquo casu ex comprehensis in eius universalitate usus opinionis probabilis sit illicitus ita, ut eum asserere non illicitum, sit falsum, temerarium, & scandalosum, ut dicebamus sup. num. 125. Vnde deficit istud fundamentum, quia sufficit, quòd in alijs Sacramentis sit illicitus usus opinionis probabilis, & non probatur talis in Matrimonij Sacramento, nisi rursus probetur; quòd in eo militat eadem ratio, ac in alijs, juxta dicta citato *num. 125. & seq.*

139 Sed quamvis fatear pro-

positionem damnatam esse universalem, sentio male id probarià M. Hozes ex eò, quòd propositio indefinita universali æquivaleat; hoc enim est falsum absolutè, & solummodo verùm, quòd in materia necessaria æquivaleat universali, & in materia contingenti æquivaleat particulari, ut cum communi sententia dixi in meo cursu Trinitario num. 128. propositio autem damnata est in materia cõtingenti. Quare ego aliter, melius summulisticis regulis utendo, probo propositionem damnatam esse universalem sic: propositio indefinita in materia contingenti æquivalet particulari: ergo illa propositio, *est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem, &c.* est particularis, utpote, indefinita, & in materia contingenti. Nunc sic: propositio quævis affirmatiua, si ei præponatur negatio, redditur negativa; & insuper, si particularis erat, redditur uniuersalis: ergo cum prædictæ propositioni præponatur negatio, dum dicitur *non est illicitum*, ea redditur negativa, & universalis. Sed ex hoc, ut jam dixi, non infertur intentum M. Hozes, sed potius oppositum. ℣. in meo cursu num. 177. & 182.

140 Ad 2. & 3. fundamentum eiusdem M. respondeo, fieri irreverentiam Sacramento Matrimonij in usu opinionis probabilis circa materiam ab Ecclesia non supplebilem, & similiter in eo casu inconvenientia sequi; secus quando opinio versatur circa materiam supplebilem; quia tunc Ecclesia supplet, quo vitatur nullitas, & consequenter irreverentia, & inconvenientia ex nullitate sequuta.

141 Id verò, quod addit de dispensationum approbatione, credo omnino falsum esse; quia si ordinarij, ut approbarent dispensationes, requirerent evidentiam de valore illarum, & non illis satis esset probabilitas, innumeras reprobarent. Et utinam in omnibus, quæ approbant, probabilitas valoris earum reperiretur. A me etenim quæsitum fuit circa annum 1684. de quadam dispensatione, quam Ordinarius approbaverat, & matrimonium jam virtute illius contractum erat, an valida foret? erat autem dispensatio, ut contraherent supplicantes, qui

affines erant in 1. & 3. gradu lineæ transversalis, & in petitione dispensationis tantummodò gradus 3. declaratus fuerat. Ego autem dixi, esse certè nullam, & quia res erat publica, debere contrahentes separari, usque dum nova dispensatio obtineretur; & ita factum est, quia res ita est clara, ut nullus post meam responsionem de illius certitudine dubitaverit. Sed ex hoc argumento non deduco, quia est casus singularis; iterum tamen credo, quòd dispensationes probabiliter validas soleant Ordinarij approbare, & quòd, si solùm approbarent certè validas, multas reprobare deberent.

142 Post dicta in hac quæstione vidi secundam editionem consultorum moralium P. Martini de Torrecilla, & favet majori ex parte dictis à nobis; ait enim *tract.* 1. *consult.* 3. *num.* 122. * Præterea quia in dicta propositione damnata non includitur, nec damnatur, non sequi opinionem tutiorem circa dispensationem, sicuti neque damnatur, non sequi tutiorem circa jurisdictionem; nam Ecclesia potest dispensationē, sicut jurisdictionem supplere; & præsumitur eam supplere semper, quòd utitur opinione probabili; & quòd ista ita, ut dat jurisdictionem, dat etiam dispensationem. * Ita Torrecilla.

## QVÆSTIO IX.
## *Aliqua dubia de Contritione, & Attritione resolvuntur.*

143 PRimum dubium est: An ad valorem, & fructum Sacramenti pœnitentiæ debeat dolor contritionis, aut attritionis habere determinatam intensionem. Respondetur negativè cum nostro P. *disp.* 7. *q.* 18. Lugo *disp.* 5. *sec.* 7. *num.* 84. & Suarez *disp.* 4. *sec.* 4. Vnde dolor etiam remissus sufficit, non solùm ad attritionem, sed etiam ad contritionem, ut constat ex dictis *quæst.* 2. *à num.* 67: quod etiam verùm est, quamvis dolor sit unicus, & singularis, & peccata plura, & gravissima; cū enim quodcumque mortale peccatum gratiam etiam intensissimam expellat, sic dolor quantumcumque remissus, si ad essentiam contritionis, aut attritionis cum Sacramento perveniat, quæcumque peccata expel-

pel-

pellere debet. Dolor autem singularis potest ad plura peccata se extendere, quia, vel potest de omnibus in particulari, si memoriæ occurrant, uno actu dolere, vel si non occurrant, potest in confuso dolere de omnibus peccatis, vel denique si unũ occurrat, potest de illo dolere sub motivo omnia alia comprehendente; qua ratione talis dolor extenditur virtualiter ad omnia. Vnde pœnitens actum doloris potest elicere ante, vel post examen, vel in medio examinis, quia quocumque modò ex his ita fieri potest, ut omnia peccata comprehendat: & sic videtur à pœnitentibus practicari. ℣. Tambur. *lib.* 1. *meth. confes. cap.* 1. *num.* 4. *&* 5.

144 Vnde colliges, non esse necessarium magis dolere de graviori peccato, cum de quocumque sufficiat valde remissus dolor; unde dum ad majorem dolorem de gravioribus culpis nos hortantur Patres Sancti, solùm intendunt denotare, nos ad illum teneri ex decentia, non autem ex præcepto. Vnde dolor non debet proportionari peccato quo ad intensionem, sed solùm, quo ad essentiam; & ideò debet esse summus appretiativè, non tamen summus, nec magnus intensivè.

145 Secundum dubium est, An necessaria sit ad contritionem determinata doloris duratio. Respondetur; minimam etiam durationem sufficere, si minima datur. Ratio est, tum quia oppositum nulla potest ratione suaderi. Tum etiam, quia contritioni est promissa in scripturis remissio peccatorum, quin unquam mentio fiat alicuius durationis, aut intensionis, sed potiùs quamcumque sufficere denotatur. Sic noster P. *disp.* 7. *quæst.* 19. Lugo *disp.* 5. *sec.* 7. *num.* 88. & Suarez *disp.* 4. *sec.* 5.

146 Tertium dubium est, An ad valorem, & fructum Sacramenti pœnitentiæ dolor debeat præcedere confessionem. Respondetur cum Lugo *disp.* 14. *sec.* 2. Amico *disp.* 12. *sec.* 4. & cum nostro P. *disp.* 7. *q.* 3. Moya *disp.* 5. *q.* 10. Arriaga *disp.* 37. *sect.* 2. & cum communi sententia contra Cuninck, & alios à nostro P. relatos necessarium non esse, quòd dolor præcedat confessionem. Probatur responsio ex communi praxi; sæpe enĩ pœnitentes post confessionem fa-

factam dolorem eliciunt, & ad illum eos hortantur prudentes confessarij. Nec sufficit, si dicas; tunc uno verbo repeti confessionem, dum pœnitens dicit, se absolutionem desiderare. Nã contra est: quia frequenter nec unum verbum dicunt, nec de eo sunt soliciti prudentes confessarij.

147 Sed obijcies: dolor debet fieri sensibilis per confessionem; sed non potest fieri sensibilis per confessionem, quæ illum præcedit: ergo dolor elicitus post confessionem non sufficit ad hoc Sacramentum. Minor probatur; quia confessio solùm potest significare dolorem, quatenùs est causa confessionis; sed dolor subsequens confessionem, non est confessionis causa: ergo non potest per confessionem significari. Confirmatur: quia si sufficeret dolor confessionem subsequens, posset quis per modum historiæ sua peccata narrare, & postea merè internè dolere, & sic absolvi, quòd omnino videtur falsum.

148 Respondetur ad hoc argumentum permittendo majorem, quia quamvis dolor per confessionem possit fieri, & cõmuniter fiat sensibilis, tamen potest etiam per lachrimas, aut alia signa sensibilis fieri; & negando minorem, ad cuius probationem, nego etiam majorem; quia confessio non solùm potest significare dolorem, quatenùs est ipsius causa, sed etiam quatenùs procedit ab eadem causa, ac ipsa confessio, videlicet, à voluntate recipiendi Sacramentum pœnitentiæ; eo enĩ ipso, quòd quis vult confiteri, vult etiam omnia necessaria ad Sacramentum ponere, & consequenter dolorem, sive ante, sive post confessionem; sicut autem confessio potest significare dolorem paulo ante habitum, sic poterit significare dolorem paulo post habendum.

149 Ad confirmationem autem responderi poterat ex Amico *disp.* 14. *sec.* 4. *á num.* 62. concedendo sequelam, & negando illius falsitatem. Ait utique Amicus, sufficere ad hoc Sacramentum confessionem factam sine proposito dolendi adhuc post confessionem: & num. 65. ait in huius conclusionis confirmationem, quòd, si quis ebrius, aut phræneticus narret omnia sua peccata legitimo mini-

nistro, & postea sui compos factus advertat se, ea narrasse sufficere, ut absolvi possit; quòd habeat voluntatem ea peccata subijciendi clavibus, & quòd habeat dolorem.

150 Sed certè, si P. Amicus tantùm contenderet, quòd confessio facta sine dolore, & sine proposito dolendi poterat huic Sacramento deservire, mutata voluntate, & dolore concepto, dum tamen talis confessio dum fiebat, fieret per modum accusationis, non multum mihi displiceret; sed displicet valde cum meram narrationem adeò alienam à ratione accusationis, ut etiam sine usu rationis sit facta, sufficere existimat. Quapropter existimo confessionem factam per modum hystoriæ, aut narrationis, non posse huic Sacramento deservire per solam mutationem voluntatis, quia cum hoc Sacramentum fiat per modum judicij, accusatio debet præcedere, & non sola accusationis voluntas. Fateor tamen, quòd, qui narravit peccata per modum historiæ, non tenebitur ea repetere de verbo ad verbum, sed si confessarius illorum recordatur, sufficiet si dicat: *accuso me de narratis; aut peto á te, ut de peccatis, quæ tibi retuli, me absolvas*; quia hoc modo sufficienter se de novo accusat de omnibus illis. Vnde ad confirmationem respondendum est aliter, scilicet, negando sequelam propter rationem nuper attactam.

151 Doctrinam numeri præcedentis tenet, aut potiùs supponit Lugo *disp.* 14. *sect.* 4. *num.* 45. quamvis expresse defendat, quòd dolor sufficiens ad Sacramentum pœnitentiæ non debet necessario procedere ex intentione recipiendi Sacramentum, ait namque necessarium non esse, quòd omnes partes Sacramenti ponantur ex intentione conficiendi Sacramentum, sed solùm illæ, quæ deserviunt proximè Sacramento, & apponuntur à ministro illius; aliæ verò non, nisi in eis militet specialis ratio, ea autem ratio specialis militat in confessione, quæ, ut dicebamus debet esse judiciaria, in qua implicitè includitur intentio Sacramenti. In dolore autem non militat ulla specialis ratio; sed potiùs in oppositum; cum Tridentinum declarans, qualis esse debeat attritio,

ut sit sufficiens dispositio cum Sacramento, nunquam exigat, quòd habeatur ex intentione Sacramenti. Quare quòd non sit necessarium, quòd ex ea intentione procedat, tenet etiam M. Moya *tract.* 2. *disp.* 5. *q.* 9. *num.* 14. & apud ipsum N. P. Leander *disp.* 7. *q.* 7. *Tamburinus in method. conf. lib.* 1. *cap.* 2. §. 3. *&* *Arriaga disp.* 37. *sect.* 4. Et bene advertit Lugo, quòd perfectius se gerit, qui ex dolore peccati, ac detestatione movetur ad suscipiendum Sacramentum, quàm qui ex intentione suscipiendi Sacramentum excitat in se detestationem, & dolorem; quia primus videtur habere magis perfectam peccati detestationem, & magis ex corde illud odisse.

152 Hic nota 1. quòd dolor, etsi non debeat præcedere confessionem, debet tamen absolutionem præcedere. Ratio est, quia dolor se habet, ut dispositio ad absolutionem; unde, qui dolorem non habet, non debet absolvi, ut indispositus, & absolutione indignus. Secundò nota, quòd dolor, quamvis non debeat confessionem præcedere, illam tamen præcedere potest; quod omnes sine dubio supponunt. Est tamen difficultas, quantò tempore præcedere possit? Ad quod communis respõsio est, quòd possit tot diebus, aut tot horis præcedere, quot sufficiunt ad præsentiam moralem; multi tamen, quot isti sint, non definiunt; communiter tamen sentiunt in hoc Sacramento, atque etiam in matrimonio cum multò majori temporis distantia compati præsentiam, & coexistentiam moralem. Aliqui autem id limitant in nostro casu ad unum diem. Sed N. P. Leander *disp.* 7. *quæst.* 6. asserit sufficere, etsi per multùm tempus præcedat, dummodò nec formaliter, nec virtualiter retractetur. Videatur M. Moya *citata q.* 9. *Tamburinus cit. cap.* 2. §. 4. *&* *Arriaga disp.* 37. *sect.* 2.

153. Quartum dubium est, an unus dolor possit deservire pro duplici, aut multiplici confessione? Communis responsio est negativa. Affirmativa tamen, quàm tenet N. P. Leander *disp.* 7. *quæst.* 5. *Lugo disp.* 14. *sect.* 3. *Henriquez lib.* 1. *de pœnit. cap.* 26. *num.* 7. *M. Moya tom.* 1. *tract.* 3. *disp.* 5. *quæst.* 8. *á num.* 7. *Arriaga disp.* 37. *sect.* 3. & alij apud ipsos,

vide-

videtur mihi satis probabilis: quæ sic probatur. Si postquam quis doluit unico, & singulari dolore de quinque, v. g. mortalibus, quæ commisit, accedat ad Sacramentum, & oblivione inculpabili unum illorum omittat; si postquam absolutus est, illius recordetur, iterum illud confitendo, potest absolutionem recipere, novumq́; Sacramentum pœnitentiæ; sed hoc potest contingere absque dolore novo: ergo ille, quem elicuit pro 1. confessione, deservit etiam pro 2. ergo jam unus dolor pro duplici potest confessione deservire. Major huius probationis est casus frequenter contingens. Min. in qua est difficultas, probatur à Lugo loco citato ex praxi communi; nam in casu posito, nec pœnitentes solent novum dolorem elicere, nec confessarij prudentes solent ad talem dolorem exhortari: ergo contingere potest, immo frequenter continget, quòd 2. confessio in casu dicto sit sine dolore novo. Sed præterea.

154 Minor probationis positæ probatur ratione: si in casu posito ante 1. confessionem fuissent eliciti quinque actus doloris, quorum quilibet corresponderet alteri ex quinque peccatis, talis dolor sufficeret ad duplicem assignatam confessionem: ergo etiam sufficeret, casu quo ille dolor esset unicus, dolens tamen de quinque illis peccatis. Antecedens videtur certum, quia dolor quinti peccati, cum esset distinctus à doloribus quatuor peccatorum non deservivit primæ confessioni, in qua quatuor illa fuerunt confessa: ergo sine difficultate posset deservire ad secundam confessionem, in qua quintum peccatum manifestabatur. Consequentia verò probatur; quia unus, & singularis dolor de quinque peccatis æquivalet quinque doloribus distinctis de ijsdem quinque peccatis: ergo si isti sufficiunt pro duabus confessionibus, etiam ille. Probatur ista consequentia; quia si ob aliquam rationem in primo casu sufficiunt illi dolores, maximè, quia quintus actus doloris in prima confessione non deservivit, nec functus est suo munere; sed etiam in secundo actus doloris æquivalens quinque actibus non deservivit in prima confessione, prout æquivalet do-

dolori quinti peccati, seu prout quinto peccato correspondet: ergo poterit, prout quinto correspondet, secundæ confessioni deservire.

155 Sed contra nostram sententiam obijcies: ad novum Sacramentum semper requiritur nova materia, & nova forma; sed Sacramentum pœnitentiæ constat confessione, & dolore pro materia proxima: ergo ad novum Sacramentum pœnitentiæ, semper requiritur nova confessio, & novus dolor. Confirmatur, quia nemo negat, quòd ad novum Sacramentum pœnitentiæ sit necessaria nova confessio: ergo nemo debet negare, quòd sit necessarius dolor novus.

156 Respondetur ad hoc argumentum I. distinguendo majorem: ad novum Sacramentum semper requiritur nova materia, quando antiqua non est virtualiter multiplex, concedo majorem; quando antiqua est virtualiter multiplex, nego majorem, & concessa minori, nego consequentiam, Quia casus, in quo nos asserimus antiquum dolorem sufficere, est casus, in quo talis dolor est virtualiter multiplex. Vnde constat ad confirmationem; ideò namque una confessio non potest pro duplici Sacramento deservire, quia numquam una confessio est virtualiter duplex. Solutionis autem doctrina confirmatur, quia unū numero corpus Christi plura numero Eucharistiæ Sacramenta in pluribus hostijs componit, ut materia, non alia ratione nisi quia unum Christi corpus, etsi formaliter unum sit, est tamen virtualiter multiplex.

157 Secundò ad argumentum respondetur aliter distinguendo majorem: ad novum Sacramentum semper requiritur nova materia, inadæquatè nova, concedo majorem, adæquatè nova, nego majorem, & concessa minori, nego consequentiam. Quòd enim ad novum Sacramentum non requiratur totalis materiæ renovatio, sed aliqua pars materiæ proximæ possit duplici Sacramento deservire, constat I. quia in Eucharistia partialis materia est Christi corpus; & tamen unum, & idem numero plura Sacramenta numero componit. Deinde juxta sententiam asserentem posse opus, ad quod pœnitens ex præ-

cepto tenetur, injungi pro pœnitentia, poterit unum jeiunium à duplici confessario imponi: ergo jam una numero integralis materia pro duplici Sacramento pœnitentiæ potest deservire. Et si dicas; dari tunc jejuniũ formaliter diversum propter diversam impositionem. Contra est, quia eodem modo ego dicam, quòd in 2. confessine datur distinctus formaliter dolor, propter distinctam significationem.

158 Vbi nota, quòd juxta hanc 2. solutionem non solùm idem dolor potest pro duplici, aut multiplici confessione deservire, quando in 2. confessione afferuntur peccata in priori oblita; sed etiam quando 2. cõfessio fit de peccatis prius bene confessis, in quo etiam casu dolorem prioris confessionis deservire pro 2. posse tenet etiam noster P. q. 4. & inclinat in eam Lugo, uterque pro ea citans Petrum de Ledesma, Salas, & Ioannem à Cruce, eademque sequitur alios etiam referens M. Matheus de Moya *cit. q. 8. Arriagaq. cit. sect. 3. & Tambur. cit. cap. 2. §. 5.* Juxta hanc autem solutionem ad confirmationem respondendum est, negando cõsequentiam; ratio disparitatis est, quia hoc Sacramentum cõficitur per modum judicij; ad novum autem judicium requiritur necessariò nova accusatio, seu novus processus, non tamen necessariò semper requiritur novus dolor, sed sufficit nova illius significatio.

## QVÆSTIO X.

### *De dolore, & proposito peccatorum venialium.*

159 Circa dolorem, & propositum peccatorum venialium, quando de illis fit confessio, aliquæ sunt difficultates. Prima est, an ad confessionem de solis venialibus requiratur dolor efficax? Negatiuam sententiam tenent aliqui DD. apud P. M. Mathæum de Moya *tom. 1. tract. 3. disp. 5. quæst. 5. num 1.* asserentes, quòd quando confessio fit de solis venialibus, aut de mortalibus jam confessis, sola illorum displicentia est sufficiens dispositio, non solùm ad valorem, sed etiam ad fructum Sacramenti pœnitentiæ. Immo Tamburinus *in method. confess.*

*lib.* 1. *cap.* 3. §. 1. & alij apud eundem Moyam num. 2. & 3. dicunt, in confessione venialium non requiri formalem illorum displicentiam; sed sufficere virtualem, quæ continetur in voluntate confitendi venialia (sine illorum actuali complacentia,) seu in desiderio recipiendi Sacramentum, & eius effectum. Quam sententiam ipse Moya vocat piam, & probabilem, nullique periculo saltim culpabili irritandi Sacramentum expositam. Et ego adverto non damnari huius sententiæ usum in 1. propositione ex damnatis ab Innocentio; quia ea usum opinionis probabilis circa valorem prohibet Ministrantibus Sacramenta, non verò suscipientibus ipsa.

160 Respondeo ergo difficultati propositæ affirmativè cum Lugo *disp.* 14. *sect.* 8. *num.* 106. & cum N. P. Leandro *disp.* 7. *quæst.* 24. ac cum communi. Probatur autem: quia attritio necessaria juxta Tridentinum ad valorem, & fructum Sacramenti pœnitentiæ debet esse talis, ut voluntatem peccandi excludat: sed attritio, quæ solùm esset inefficax dolor non excluderet voluntatem peccandi: ergo non est sufficiens ad Sacramentum pœnitentiæ. Et quidem talis attritio non haberet essentiam attritionis; quomodo enim detestatio vera peccati dici potest, quæ cum voluntate peccandi est compatibilis?

161 Objicies tamen: si ad confessionem venialium requireretur dolor efficax, non possent unquam peccata venialia remitti per Sacramentum pœnitentiæ; sed hoc est falsum: ergo ad venialium confessionem necessarius non est dolor efficax. Probatur major: quia peccata venialia remittuntur per dolorem efficacem: ergo si iste ad confessionem illorum requiritur, quando absolutio confertur, jam supponuntur remissa, & consequenter nunquam per Sacramentum remittuntur. Antecedens probatur: quia peccata mortalia extra Sacramentum remittuntur per contritionem: sed peccata venialia remittuntur faciliùs, quàm mortalia: ergo remittuntur per solam attritionem, efficacemve dolorem.

162 Respondetur ad argumentum breviter, quia tangit difficultatem alterius loci, negan-

gando majorem. Ad cuius probationem aliqui, quibus suffragatur M. Thyrso *tom.* 3 *disp.* 33. *num.* 80. negant antecedens asserentes peccata venialia per solam contritionem extra Sacramentum remitti. Cùm communiori tamen sententia, admittendo aliter, quàm per contritionem, remitti extra Sacramentum peccata venialia, distinguo antecedens illud: peccata venialia remittuntur per dolorem efficacem quemcumq;, nego antecedens; proportionatæ intensionis, & fervoris cum peccati remittendi magnitudine, concedo antecedens. Vnde nego consequentiam; quia cum non semper dolor efficax sit futurus intensionis proportionatæ cum grauitate venialis, non semper per illum ante absolutionem remittetur peccatum veniale. Quod præterea non remittetur ante absolutionem, etsi detur dolor eius grauitati proportionatus, quando coniunctus fuerit cum aliquo mortali.

163 Nota tamen, quod M. Moya *l. c. n.* 22. concedit attritionem sufficere ad venialium remissionem extra Sacramentum; asserit tamen per Sacramentum pœnitentiæ remitti venialia, non quidem illa, quæ confitetur pœnitens cum vera, & efficaci attritione; cum jam ponantur remissa; sed alia, quæ confitetur sine efficaci dolore, cum sola displicentia formali, aut virtuali. Immo alia etiam, quæ non confitetur ex obliuione, aut industriâ. Ait tamen, quòd inter ea, quæ confitetur cum sola displicentia formali, aut virtuali, & ea, quæ non cōfitetur, versatur hæc differentia, quòd prima remittuntur ex virtute speciali Sacramenti pœnitentiæ; secunda verò ex generali, quam habent omnia Sacramenta: omnia enim, cum augmentum gratiæ conferant, remittunt aliqua venialia, & forsan omnia; legibus enim amicitiæ consentaneum est, inquit M. Moya ex Lugo *disp.* 9. *de pœnitentia num.* 54. ut quoties aliquis admittitur ad maius, & strictius amicitiæ vinculum, offensæ leves omnes, vel ex parte condonentur. De his tamen latè Theologi, agentes de virtute pœnitentiæ.

164 Sed obijcies iterum: in confessione venialium non re-

qui-

quiritur efficax propositum, sed inefficax sufficit: ergo sufficiet etiam inefficax dolor. Probatur antecedens: in confessione venialium sufficit supernaturale propositum vitandi omnia venialia: sed istud propositum est inefficax, nec efficax esse potest: ergo sufficit inefficax propositum. Minor probatur: quia vitare omnia venialia est moraliter impossibilè, ut colligitur ex Tridentino *sess.* 6. *Can.* 23. ita statuente: *si quis hominem semel justificatum dixerit posse in tota vita peccata omnia, etiam venialia vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodum de Beata Virgine tenet Ecclesia, anathema sit.* Ergo propositum de omnibus venialibus vitandis efficax esse nequit. Vnde etiam votum vitandi omnia venialia invalidum judicatur à pluribus eò, quòd sit de re moraliter impossibili.

165 Respondetur negando antecedens: ad cuius probationem nego minorem: & ad huius probationem concesso antecedenti, nego consequentiam. Quia, quamvis moraliter sit impossibile omnia venialia vitare; est tamen possibile physicè, quæ physica possibilitas, sicut sufficit, ad hoc, ut teneatur illa vitare, sic sufficit ad hoc, ut possit proponere efficaciter vitare illa. Ista autem efficacia non consistit in eo, quòd habeat spē vitandi omnia venialia, sed in eo, quòd tale propositum, dum durat, est incompatibile cum commissione alicuius venialis. Ista autem efficacia est sufficiens ad hoc Sacramentum; cum etiam communis sententia Theologorum teneat, quòd etiam cum efficaci proposito de vitandis mortalibus ad Sacramentum pœnitentiæ requisito compatitur, quòd pœnitens credat pro sua fragilitate iterum in peccata lapsurum, dummodò de præsenti propositum omnem voluntatem peccandi excludat. Quòd autem votum non obliget de vitandis omnibus venialibus, oritur ex eo, quòd ad votum necessaria est spes de eo, quòd possit adimpleri; aliàs enim, ut imprudens à Deo non acceptatur.

166 Sed adhuc ad argumentum respondetur 2. negando antecedens: ad cuius probationem distinguo maiorem: sufficit supernaturale propositum

vitandi omnia venialia, & requiritur, nego majorem: sufficit, & non requiritur concedo majorem: & permissa minori, nego consequentiam; quia dato, quòd propositum efficax vitandi omnia venialia sit impossibile; possibile tamen est propositum vitandi omnia illa, quæ pœnitens confitetur, (quia ea nunquam sunt omnia absolutè) illorum autem, seu illis similium propositum efficax haberi potest, & est ad Sacramentum sufficiens. Videatur Arriaga *disp.* 38. *sect.* 3.

167 Secunda difficultas est, An necessarium sit habere dolorem de omnibus venialibus, quæ quis confitetur. Respondetur affirmativè; quia omnia illa dantur pro absolutionis materia. Est tamen notandum, quòd de omnibus non dolere, nec proponere, non erit peccatum mortale, ut tenet N. P. Leander *disp.* 7. *quæst.* 26. *P. Suarez disp.* 20. *sect.* 6. *num.* 7. *& Lugo disp.* 14. *sect.* 8. *num.* 118. Ratio est, quia si dolet de aliquibus, quòd de omnibus non doleat, non facit, quòd forma Sacramenti frustretur, nec videtur esse mortale, quòd materiæ validæ pars invalidæ materiæ admisceatur: sicut non esset mortale, quòd parum olei benedicti admisceretur aquæ, in qua infans baptizatur. Hoc autem similiter intelligendum est de peccatis mortalibus antea bene confessis eò, quòd similiter, ac venialia, sint materia voluntaria. Servanda tamen est inter ea hæc disparitas, quòd licet non sit gravis obligatio in mortalibus ad habendum dolorem de omnibus; est tamen gravis obligatio ad non complacendum in aliquo illorum; quia in quolibet complacere, est peccatum mortale, & impedit valorem Sacramenti. Complacere autem in aliquo veniali, nec mortale peccatum est, nec impedit Sacramenti valorem, & fructum. Videatur M. Moya *tract.* 3. *disp.* 5. *quæst.* 6. *num.* 2.

168 Quòd autem non sit mortale non dolere de tota materia voluntaria confessionis, intelligendum est, etiamsi pœnitens non declaret se non dare pro materia peccata illa, de quibus non dolet; nam, si id declararet, non haberet resolutio difficultatem; sed potiùs, etiam sine veniali peccato id posset eve-

evenire. Immo etiam ſine illo evenire, quamvis non declaret pœnitens, ſe non dare pro materia peccata, de quibus non dolet, tenet M. Gonet *tom. 5. tract. de pœnit. diſp. 7. à num. 75. & Palao tom. 4. tract. 23. diſp. unic. punct. 7. num. 14.*

169 Sed obijcies 1. Si quis apponeret ad conſecrandum decem hoſtias, quarum aliquæ eſſent triticeæ, aliæ hordeaceæ, peccaret mortaliter: ergo ſimiliter mortaliter peccat, qui apponit pro materia aliqua peccata, de quibus dolet, & ſunt apta materia, & alia, de quibus non dolet, & conſequenter ſunt materia inepta. Reſpondetur, negando conſequentiam; ratio diſparitatis eſt, quia in caſu antecedentis falſificaretur conſecrationis forma, quæ de ſingulis hoſtijs affirmat, quòd ſint Corpus Chriſti; in caſu autem conſequentis non falſificaretur forma; quia iſta, aut non ſignificat remiſſionem peccatorum, ſed gratiam, quæ eſt effectus primarius, quæ tunc verè datur; aut ſi etiam ſignificat remiſſionem peccatorum, illam non omnino abſolutè ſignificat, ſed ſolùm quantum eſt ex parte miniſtri, quorum utrumque verùm eſt, etiamſi aliqua peccata non remitantur ex diſpoſitionis defectu, ſicut etiam verum eſt, cum non remittuntur, quia jam per contritionem ſupponuntur remiſſa. Sed de ſignificatione abſolutionis iterum fuſiùs ſuo loco.

170 Ex dictis colliges, quòd etiam mentiri in confeſſione circa aliquod veniale, ſi non ſit totalis materia, non eſt peccatum mortale, nec impedit valorem, & fructum Sacramenti. Ratio eſt, quia non falſificatur forma, & irreverentia non eſt gravis; ſi tamen mendacium ſit circa peccatum mortale, etiam dicendo illud antea confeſſum fuiſſe, erit peccatum mortale; quia quamvis non peccet graviter ſe infamando, committit tamen gravem irreverentiam, judicem in re gravi decipiendo, ut docet Lugo *diſp. 14. ſect. 9. num. 124.* & Tamburinus *lib. 2. methodi conf. c. 10. n. 37. 39. 40. & 43.*

171 Sed obijcies 2. Juramentum aſſertorium, etſi ſolùm in parte levi ſit falſum, eſt peccatum mortale, & irreverentia gravis: ergo mendacium, ſivè

ma-

materia falsa in Sacramento, etsi sit in re levi, erit irreverentia gravis. Respondetur, negando consequentiam; quia in juramento assertorio eo ipso, quòd sit falsum, quo ad partem etiam levem, adducitur Deus in testem falsi, quod gravem continet irreverentiam; quando verò aut dicitur mendacium circa veniale, aut venialia afferuntur sine dolore, nec adducitur Deus in testem falsi, nec forma, quæ nomine Christi profertur, falsificatur. Vbi nota, quòd in juramento promissorio, si deficiat intentio, quo ad partem levem, etiam est peccatum mortale, quia adducitur Deus in testem promissionis, & consequenter in eo casu in testem falsi. Si verò solùm deficiat exsecutio in re levi, non est peccatum mortale, quia tunc non adducitur Deus in testem, sed postquam adductus est, deficit fidelitas. Vnde juramentum assertorium, & promissorium, quantum ad intentionem, nunquam excusabuntur à mortali ob parvitatem materiæ, bene tamen promissorium, quantum ad exsecutionem.

172 Pro complemento huius quæstionis Inquires duo: 1. est, an possit quis dolere de uno peccato veniali, quin doleat de aliis eiusdem speciei? Respondetur cum nostro P. Leandro *disp.* 7. *quæst.* 29. & *cum Lugo disp.* 14. *sect.* 9. *num.* 141. posse, si tale veniale habet specialem deformitatem, aut gravitatem numericam, tunc enim, si ex ea movetur, solùm dolebit de illo, & propositum se extendet ad venialia similia in gravitate, non verò ad leviora. Secundum, quod inquires, est, an, quando quis se accusat de pluribus mendaciis, numerum non explicando, remittantur omnia? Respondeo, omnia, aut fere omnia remitti, si dolor ad illa se extendat; ratio est, quia ex circumstantijs personæ, & temporis confusè cognoscit confessarius, quanta sit multitudo. Ita noster P. *quæst.* 30. & *Lugo num.* 142. & *Arriaga disp.* 38. *sect.* 4. *num.* 23. qui bene addit, quòd etiamsi Sacerdos non cognoscat numerum ex circumstantijs, sat est, ut omnia remittantur, quòd de omnibus doleat pœnitens, velitq; se accusare, & confessarius etiam de omnibus velit absolvere.

## QVÆSTIO XI.

### Quando neganda sit absolutio pœnitenti non deserenti occasionem peccandi?

173 POEnitens non relinquens occasionem peccandi, quando ad eam deserendam tenetur, proculdubiò non habet dolorem, & propositum ad Sacramentum pœnitentiæ necessarium; quapropter ei deneganda est absolutio; cumque ea denegatio contingat ob defectum doloris, aut propositi, jure hæc quæstio ad hanc pertinet disputationem, quæ valde necessaria est pro communi praxi confessariorum: opus autem in ea, & labor in declarando, quam occasionem peccandi teneatur relinquere pœnitens, ut, si eam relinquere non proponat, aut aliquando ante confessionem non relinquat, sine absolutione dimittatur. Pro quo.

174 Notandũ est, quòd occasio peccandi alia dicitur proxima, alia remota. Occasio peccandi remota est illa, quâ creditur homo sæpè usurus sine peccato mortali, quamvis credatur, aut timeatur aliquando usurus illâ cum peccato mortali. Sic communiter reputantur occasio remota peccandi officia militum, negotiatorum, sartorum, & similia. Occasio autẽ proxima peccandi dicitur illa, quâ nunquam, vel raro creditur homo usurus sine peccato mortali: talis occasio dicitur communiter esse, domi concubinam habere. ℣. infra n. 213.

175 Communis ergo sententia tenet, non teneri pœnitentem relinquere occasionem remotam peccandi, teneri tamen relinquere occasionem proximam. Prima communis sententiæ pars constat; quia occasiones remotæ peccandi adeò frequentes sunt, ut, si illas vitare teneremur, oporteret nos de hoc mundo exire, ut Apostolus ait 1. *ad Cor. cap.* 5. cum quævis creatura occasio remota peccandi facilè possit esse. Secunda etiam pars communis sententiæ etiam constat, quia occasio proxima, nec est ita frequens, nec difficilis vitari, ac remota; & qui eam non vult relinquere, cum possit, convincitur efficax propositum non habere non peccandi; si enim illud haberet,

nollet manere in morali periculo peccandi.

176 Difficultas tamen est, An saltim per accidens, quia videlicet ex eo, quòd pœnitens relinquat occasionem proximã, sequetur grave damnum, veluti scandalum, infamia, aut amissio pecuniarum, excusari possit ab obligatione relinquendi occasionem proximam, & consequenter absolvi, quin eam relinquat. Negativam sententiam tenet Lopez 1. *p. instruct. cap.* 2. *notabili* 3. & alij citati à N. P. Leandro *disp.* 7. *quæst.* 36. licet non omnes æquè rigidè; plures enim illorum asserunt cogendum pœnitentem occasionem relinquere, si aliquoties absolutus nullam habuit emendationem. Lopez verò videtur intendere, quòd nec semel excusari possit pœnitens, propter temporalia bona, à relinquenda occasione proxima, si sit sui juris; & si sui juris non sit, adhuc asserit, quòd quamvis aliquoties cum debita cautela possit absolui, tandem, si non emmendetur, absolvendus non est, quin occasionem proximam deserat, quamvis ad hoc necesse illi sit domũ paternã deserere.

177 M. Lumbier *in explicatione propositionis* 63. præsertim num. 616. 623. & 628. valde favet sententiæ Lopecij, aut rigidiùs sentit, licet in casu aliquantulum diverso. Dixi *aliquantulum*, quia mihi parùm diversus est; quamvis enim quærere occasionem sit diversum ab hoc, quod est ab illa non recedere; tamen utrumque, moraliter loquendo, est tradere se periculo peccandi: sicut enim, qui vadit ad invisendam fœminam, cum qua periculum peccandi habiturus est, se tradere dicitur periculo: sic etiam, qui jam est invisens fœminam, & advertit periculum labendi, si eum non fugiat; sanè si potest eam deserere, & non deserit, similiter dicitur se tradere periculo. Præterea rationes, quibus de casu, de quo loquitur ipse Lumberius, probat non licere se tradere occasioni, probat, etiam, si efficaces sunt, de casu, de quo nos in præsenti. Meritò ergo pro sententia rigida citari potest, quidquid sit, an in alijs locis non ita rigidè loquatur; *tomo enim* 2. *pag. mihi* 665. *num.* 819. tenet affirmativam sententiam num. seq. à nobis tradendam.

 178

178 Affirmativa tamen sententia asserens in dicto casu excusari pœnitentem à relinquenda occasione, & posse consequenter, quin eam deserat, toties quoties absolvi, probabilior est, eamque tenent N. P. Leander *disp.* 7. *q.* 36. *& seq.* *Lugo disp.* 14. *sect.* 10. *num.* 152. *&* 156. *Sancius in selectis disp.* 10. & alij. Probatur autem ista sententia. Quia si ille, qui ex gravi causa non relinqueret occasionem proximam peccandi, absolvendus non esset, maximè, aut quia ipsa perseverantia in occasione esset peccatum, aut quia ex ipsa colligi poterat defectus doloris, aut propositi: sed neutrum dici potest: ergo nulla est ratio, cur neganda sit absolutio. Minor, in qua est difficultas, quo ad utramque partem probatur. Quo ad primam quidem; quia licet sit peccatum se tradere, sive exponere voluntariè periculo morali peccandi, propter quod *Ecclesiastici* 3. *cap.* dicitur: *qui amat periculum, peribit in illo*: tamen se exponere periculo peccandi ex justa causa peccatum non est, ut tradunt plurimi, quos citat Sancius *disp.* 10. *citata num.* 8. Et ratio est: quia, qui periculo peccandi se exponit ex justa, & urgenti causa, non dicitur amare periculum, in quo peccatum cosistit, sed illud permittere: quòd sine peccato fit. Vnde optimè D. Basilius *in constitut. Monastic.* sic ait: *qui urgente aliqua causa, & necessitate se periculo objicit, aut permittit se esse in illo, cum tamen aliàs nollet, non tam dicitur amare periculum, quàm invitus illud subire, & ideò magis providebit Deus, ne in illo pereat.* Non ergo neganda est absolutio nolenti ex justa, & gravi causa occasionem peccandi relinquere, eò, quòd talis occasio peccatum sit. Nunc ergo.

179 Secunda minoris pars probatur; qui si perseverante occasione proxima ex urgenti causa, non posset pœnitens habere verùm dolorem, & propositum, maximè quia creditur iterum in peccata lapsurum; sed cum eo, quòd credatur iterum in peccata lapsurum, stat, quòd de præsenti verè doleat, & proponat: ergo cum perseverantia occasionis ex justa causa stare potest verus dolor, & propositum. Minor probatur; quia ille, qui habet consuetudinem ve-

veterem peccandi, etiam creditur iterum in peccata lapsurus; & tamen cum hoc stare potest, quòd habeat verum dolorem, & propositum, ut communiter DD. fatentur: ergo similiter cum hoc, quòd pœnitens in occasione proxima ex justa causa credatur iterum peccaturus, stare potest verus dolor, & propositum: & ratio quidem utriusque est; quia quòd credatur talis peccator iterum peccaturus, non oritur ex compatibilitate peccati cum præsenti proposito; sed ex eò, quòd credatur pœnitens propositum mutaturus. ℣. Tambur *lib.* 1. *meth. cap.* 1. *num.* 9.

180 Contra nostram autem sententiam probatam, & explicatam à num. 178. objicies 1. Bonum conscientiæ debet præferri cuicumque bono temporali, sivè sit pecunia, sivè fama, sivè quodcumque aliud: ergo potiùs debet amitti fama, pecunia, & quodcumque aliud detrimentum subiri, quàm in occasione peccandi perseverare. Respondetur concesso antecedenti negando consequentiam: quia sufficienter præfertur bonum conscientiæ, si propter nullum bonum obtinendum, aut malum vitandum committatur peccatum. Perseverare autem in occasione peccandi, ne sequatur grave detrimentum, peccatum non est, ut probavimus n. 178.

181 Secundo objicies: Si ex mansione in aliqua domo immineret incendium illius, aut áliud mortis periculum, deberet homo ab illa exire, quamvis illi esset necessarium manere in illa domo: ergo quamvis filio familias necessarium sit manere in domo paterna; si tamen manendo in illa detur periculum peccandi, debet ab illa exire, ut occasionem peccandi deserat. Responderi poterat ad hoc argumentum negando antecedens; quia, si ex desertione domûs sequatur grave detrimentum, potest homo in illa manere adhuc cum vitæ periculo, si sit aliqua spes evadendi, sicut cum simili periculo defendere potest bona temporalia à latrone invadente: qui autem manet in occasione proxima, spem habet evadendi, cum possit non peccare. Contra istam tamen solutionem est; quòd, si tam parva esset spes evadendi ab incendio in casu antecedentis, sicut à peccato in casu consequentis,

de-

deberet homo è domo exire: ergo ſimiliter debet exire, qui habet occaſionem proximam. Quapropter ad argumentum conceſſo antecedenti in caſu replicæ, neganda eſt conſequentia propter dicenda in ſolutione ad tertium.

182 Tertio obijcies: ſi ſcires ex revelatione Divina te damnandum eſſe, ſi permaneres in aliqua domo, ab illa deberes exire: ergo ſimiliter exire debes, ſi ſcias te in tali domo peccaturum: ſed in domo occaſionis proximæ moraliter certò ſcitur, quòd peccabit homo, ſi permaneat: ergo debet etiam cum gravi detrimento ab illa exire. Prima conſequentia, in qua eſt difficultas, probatur, quia maius malum eſt peccatum, quàm infernus ipſe.

183 Reſpondetur tamen ad hoc argumentum negando primam conſequentiam; ad cuius probationem dico, maius malum eſſe peccatum, quàm infernum in ordine ad electionem, non verò in ordine ad permiſſionem; unde ſolum ſequitur, quòd debet homo in quocumque caſu potiùs eligere infernum; ſi optio ſit facienda, quàm peccatum, non verò, quòd potiùs permitti debeat infernus, quàm peccatum. Sic etiam peccatum veniale maius malum eſt, quàm mors quo ad electionem, non quo ad permiſſionem; unde licitè plures deſiderant diu vivere, vel propter naturalem vitæ amorem, vel propter merita cumulanda, quamvis ſciant, ſe aliqua venialia comiſſuros, nunquam tamen licebit eligere peccatum veniale etiam propter vitandam mortem. Videatur Lugo *diſp. 5. ſect. 3. á num. 33.* ubi plura affert in confirmationem huius doctrinæ paulò aliter ab ipſo declaratæ.

## QVÆSTIO XII.
## *Plura notantur, & reſolvuntur circa occaſionem proximam peccandi.*

184 PRo majori penetratione doctrinæ traditæ q. præcedenti, aliquas in hac quæſtione notationes ſubjungam. Primò ergo notandum eſt; faciliùs poſſe pœnitentem ſemel, & iterum ob juſtam cauſam relinqui in occaſione peccandi, quàm deinde poſtquam multoties eſt

admo-

admonitus, & nihil proficit in emendatione; quamvis enim tunc etiam possit absolvi, sine eo, quòd occasionem cogatur relinquere, requiritur tamen gravior causa, & quòd gravius sit detrimentum, quod sequetur, si relinquat occasionem. Quanta autem in hoc gravitas necessaria sit, arbitrio prudentis confessarij relinquendum est, qui optimè debet perpendere ex una parte quantitatem nocumenti, sivè detrimenti sequuturi ex relicta occasione, ex alia verò gravitatem, & frequentiam peccati. Advertere tamen debet, quòd pœnitentes solent magni facere, quæ nihili sunt facienda, & jacturam famæ imminere existimant, ubi nulla imminet; quapropter rem ipsam confessarius perpendat, & non existimationem pœnitentis.

185 Vnde benè P. Corella *tract.* 2. *num.* 237. ait * Infertur 2. quòd neque absolvi debet ille, qui non vult concubinam expellere, aut eius omittere visitationem, quiaipsi videtur sibi, aut mulieri aliquam futuram infamiam. Ratio est, quia causa ista est utilis tantùm, & non facit occasionem involuntariam; & persuasio talis infamiæ est solùm figmentum ad fomentandam passionem; nihil enim frequentiùs evenire solet, quàm indignari Dominum contra eius famulam, atque eam de domo eijcere, quin tunc aliqua infamiæ nota observetur: facere igitur talem observationem, in hoc, quod conducit ad salutem animæ, non erit quid ridiculum; & velle palliare vitium simulatione necessitatis? * Ita Apostolicus Prædicator.

186 Secundò notandum est, quòd quamvis ille, qui sæpius est absolutus perseverando in occasione proxima ex justa causa sine ulla emendatione, possit habere verùm dolorem, & propositum, tamen difficiliùs de ipso hoc credendum est, quàm de alijs; quia ipsa non emendatio signum vehemens est inefficaciæ doloris, & propositi; unde tam in eo, quam in illo, qui etiam sæpiùs absolutus perseverat in sua prava, & inveterata peccandi consuetudine inveniri debent, ut credantur verè efficaciter dolere, majora doloris signa. Vnde si in præsenti confessione non afferant majora doloris signa, quàm in præce-

cedentibus, à quibus nulla processit emendatio, credendum non est habere efficacem dolorem (nisi fortè in præcedentibus confessionibus signa doloris essent ingentia, & in præsenti essent æqualia;) ratio est; quia quamvis per se loquendo credendum sit pœnitenti dicenti se habere dolorem, eò, quòd sit accusator, & testis, ut cum communi sent. tenet M. Moya *tract. 3. disp. 7. quæst. 5. num. 3.* tamen per accidens credi non debet, quando, scilicet, adsunt fundamenta ad judicandum, ipsum pœnitentem decipi, dum se dolorem habere existimat.

187 Tertio notandum est, quòd quamvis aliquando cogendus sit pœnitens cum gravi detrimento relinquere occasionem, postquam multoties admonitus non est emmendatus; videlicet, cum præponderat gravitas, & frequentia peccati gravitati detrimenti, quod sequitur ex remotione occasionis, tamen priùs, quàm ad id pœnitens cogatur, supponi debent adhibita remedia ad talis peccati medicinam; quodsi ab alijs adhibita non sint, modò adhibenda sunt priùs, quàm cogatur cum gravi detrimento occasionem relinquere. Quodsi tandem omnibus adhibitis non emmendetur, & aliàs tanti sit momenti detrimentum, quòd non judicet prudens confessarius, quòd expediat cogere pœnitentem cum detrimento tanto occasionem relinquere, poterit tunc aliquoties differre absolutionem, quia, ut dicebamus num. præcedenti, potest judicari, quòd sufficientem dolorem non habeat.

188 Juvabit autem non parum ad dignoscendum etiam, an verùm dolorem habeat, inquirere motivum, à quo pœnitens movetur ad confitendum; an videlicet à consuetudine, vel quia pater, dominus, aut Pedagogus jubet, vel quia præceptum Ecclesiæ urget; si enim ex his moveatur motivis, faciliùs credi debet insufficientia doloris; si verò moveatur ex indignatione contra suam fragilitatem, & desiderio remedij, credi faciliùs poterit rectè dispositus, quamvis ob occasionem proximam, vel ob inveteratam consuetudinem, sæpius fuerit relapsus. Vbi etiam nota, quòd difficiliùs impertiri debet absolutio

tio, quando peccata, quibus pœnitens est assuetus, sunt publica, ut blasphemiæ, perjuria, frequentes ebrietates, quàm si occulta essent; quia ex talibus peccatis in sæpius ad confessionem accedentibus non emendatis scandalum oritur, & aliqualis contra Sacramentum irreverentia.

189 Ex dictis colliges, quòd pœnitens existens in occasione, aut qui consuetudinem habet peccandi, si sæpius admonitus, & remedijs congruis adhibitis nullam affert emendationem, aliàsque non habet specialia doloris signa, talis pœnitens est judicandus indispositus, & sine absolutione dimittendus.

190 Inquires tamen primò, Quæ sint remedia, quæ adhiberi debent illi, qui non valet ob detrimentum eijcere occasionem peccandi? Respondeo; ea esse recitationem Rosarij, aut Coronæ Beatæ Virginis, visitationem Altarium, frequentiam Sacramentorum, meditationem novissimorum, lectionem librorum spiritualium, recursum ad Patres Spirituales, eleemosynam, corporis castigationes: & si occasio sit ex fœmina domestica, non confabulari solùm cum sola, abesse à domo magna diei parte, aut si possit hebdomadæ. Hæc, aut similia alia remedia, si occurrant, debent applicari, tum non valenti eijcere occasionem, tum etiam servata proportione, habenti consuetudinem inveteratam peccandi.

191 Inquires tamen 2. An etiam quando pœnitens, licet non emendatus, tamen ob signa specialia doloris judicatur sufficientem dolorem habere, ei tamen non prosunt alia remedia ad emendationem adhibita, an tunc possit dimitti sine absolutione, dilatione absolutionis ei tanquam remedium applicata. Respondeo cum communi sententia contra Ioannem Sanctium *disp. 9. num. 6. & 13.* posse in dicto casu absolutionem differri per se loquendo, quia confessarius non solùm judex est, sed etiam medicus, unde potest aliquando judicare expedire ad salutem ipsius pœnitentis ægroti absolutionem differre, ut terrore dilatæ absolutionis à peccatis resipiscat; si verò emendatio non speretur, sed potiùs quòd pœnitens ad confessionem

nem non sit rediturus, sed vitijs potiùs habenas laxaturus, tunc per se patet jam, quòd hoc remedio utendum non sit. Legatur Lugo *disput. 14. sect. 10. á num. 167. & noster P. Leand. disput. 7. quæst. 50. atque M. Moya tract. 3. disp. 7. q. 5. n. 11. & Tāburinus lib. 3. cap. 3. §. 6.*

## QVÆSTIO XIII.
### *Explicatur 60. propositio damnata à SS. P. N. Innocentio XI.*

192 PRopositio 60. damnata à SS. P. N. Innocentio XI. est hæc. * Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ, aut Ecclesiæ, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est neganda, nec differenda absolutio, dummodò ore proferat se dolere, & proponere emendationem. *

193 Plura circa propositionem istam dicunt aliqui illam explicantes; alij satis pauca. Ego vero plura excusabo, quia dicta sunt, aut dicenda in hoc tractatu num. videlicet, 165. 186. 188. & tribus sequentibus, ac etiam num. 210. 212. 627. & 632. Omnia enim in eis contenta conducunt ad huius propositionis explicationem. Quæ quidem non intendit, quòd neganda sit absolutio pœnitenti habenti consuetudinem peccandi, quando confessarius prudenter judicat, quòd pœnitens habeat dolorem efficacem, efficaxque propositum emendationis; sed solùm, quòd neganda, aut differenda sit, quando confessarius judicat talem dolorem, ac propositum non habere.

194 Vnde tota doctrina à nobis tradita numeris proximè citatis magis confirmatur ex prædictæ propositionis damnatione; siquidem nos pœnitenti indisposito, aut tali à confessario judicato semper asserimus absolutionem negandam: quo ad hanc ergo partem damnatio propositionis nostram doctrinam confirmat. Quâ verò parte asserimus, quòd, si confessarius judicet prudenter pœnitentem dispositum, non debeat negari absolutio, nec differri, nihil statuitur in propositione, aut in eius damnatione, ac proinde nihil, ex à nobis dictis, in ea damnatur, sed relinquitur in

veritate, aut probabilitate, quã ante damnationem habebat. Attenta autem necessitate explicationis, quam habet propositio, hæc pro illius declaratione sufficiebant; attentâ tamen doctrinâ, quam aliqui eam explicantes tradiderunt, aut indicarunt, aliqua addenda sunt.

195 Addendum ergo est primo, eum qui, cum habeat consuetudinem peccandi, judicatur prudenter à confessario, quòd dolorem habet efficacem, efficaxque propositum, non prohiberi, quominùs absolvatur, quamvis pœnitens credat pro sua fragilitate, & prava consuetudine se iterum in peccata lapsurum, & quamvis de illo idem credat confessarius. Quia ea credulitas solùm posset obstare absolutioni, quatenùs non posset compati cum vero dolore, & proposito: sed posse compati n. 165. & 179. ex communi sententia probavimus, & modò supponimus; cum casus ipse propositus involuat simul, & quòd adsit dolor, & propositum efficax, & quòd pœnitens credat, & creditur à confessario iterum in peccato lapsurus, talis ergo credulitas non obstat, quominùs possit absolvi.

196 Quare quamvis, quòd prædictus pœnitens non sit absolvendus, sed ei sit neganda, aut differenda absolutio, doceat M. Lumbier *in dicta propositione* 60. *à num.* 556. *& num.* 610. videns tamen rei difficultatem retrocedit num. 565. per hæc verbá. * Fateor tamen, quòd non possum me resolvere, nec determinare, si damnatio pervenit ad tantum, vel si dat locum ad hoc, quòd, si pœnitens promitit emendationem, & confessarius invenit aliquid, quo sit securus de propositi serietate & efficacia, illum potest absolvere. * Ita Lumbier. Expressè tamen, quòd absolvi pœnitens in eo casu possit tenet P. Fr. Iacobus de Corella *tract.* 2. *num.* 218. fundatus in eadem doctrina à nobis nunc, & citatis num. 165. & 179. insinuata: addensque num. 219. non damnari propositionem 60. propter illa verba: *etsi emendationis spes nulla appareat*; sed quia simul asserit, quòd sufficiat, *quòd ore proferat se dolere.* Quod satis probabile mihi videtur. Sed adhuc etiam probabile videtur, quòd, etsi damnaretur propter illa verba: *etsi emendationis spes nulla appareat*, non deberet in ca-

casu dicto absolutio negari; quia quamvis habens efficax propositum credat se iterum lapsurum, & consequenter non habeat firmam spem emendationis; tamen judico, quòd ipsa doloris, & propositi efficacia sit aliqualis emendationis spes, & sufficiens ad valorem, & fructum Sacramenti; cum à Concilio solùm requiratur talis dolor, & propositum, quod voluntatem peccandi excludat: unde solùm, quando etiam ista aliqualis spes deficit, & consequenter dolor, & propositum efficax, negari debet absolutio; quia tunc solùm verum est, quòd nulla appareat emendationis spes. Cui doctrinæ favet omnino Torrecilla in suis consultationibus *tract.* 1. *consult.* 17. *num.* 108.

197 Addendum est secundò, quod M. Hozes in dictæ propositionis explicatione num. 9. P. Corella *ibid. conc.* 1. *n.* 208. *ac Torrecilla num.* 115. afferunt, utendum non esse remedio denegationis absolutionis, sed posse eam conferri, donec pœnitens ter, vel quater sit admonitus de suo statu, de gravitate, & fœditate suorum peccatorum, & de gravissimo, & assiduo suæ damnationis periculo.

198 Ego verò dico 1. Absolutionem negandam non esse, etiamsi centies fuerit pœnitens admonitus, si non solùm ore dicat se habere dolorem, & propositum, sed etiam talia signa afferat doloris, & propositi, ut prudenter à confessario credatur illa habere juxta dicta num. 186. & alijs in locis huius tractatus; quia tunc ex una parte est rectè dispositus, & ex alia nihil habet commune cum casu contento in propositione damnata, ut ex dictis constat, & tenet Torrecilla l. c. præcipuè num. 110.

199 Non autem excludo in conclusione ista, quòd possit differri pœnitenti etiam rectè disposito absolutio, quando ad remedium, & emendationem ipsius expediens judicatur, quod & tradidi supra num. 191. & approbant P. P. Corrella *l. c. num.* 216. & 217. & *Torrecilla num.* 111.

200 Secundò dico, etiamsi pœnitens nunquam fuerit admonitus, si tantum ore dicit se dolere, & emendationem proponere, & re ipsa dolorem verum, & efficacem non habet, nec semel absolvi potest. Ratio est 1; quia evidenter est indispositus; cum non habeat dolorem

à Tridentino requisitum. 2. Quia id est, cuius oppositum damnatur in 60. propositione. Vnde ad negandam, aut concedendam absolutionem parum conducit directè, quod præcesserit, aut non præcesserit admonitio; indirectè verò non parum conducit, quatenùs proculdubiò conducere potest, quod ea præcesserit sæpiùs, & nulla emendatio fuerit subsecuta, ad inferendam doloris debiti carentiam; & è contrario quatenùs, quòd non præcesserit conducere potest, ut faciliùs credatur pœnitens, dum dolorem verum, efficaxque propositum emendationis habere affirmat, quod jam nos advertimus supra num. 189.

201 Tertiò addendum est, quòd quamvis prædictam doctrinam traditam à P. Corella in 1. conclusione benignè interpretari studuerim, & posse ad nostram reduci insinuaverim; non tamen ita benignè interpretari possum eam, quam tradit in 7. conclusione num. 214. & 215. Quare eam cogor impugnare. Quod ut fideliùs prestem, primò eam transcribam, ac deinde quidquid in ea minus verùm repererim, contendam impugnare.

202 Numeris ergo citatis sic fatur Apostolicus Prædicator. * Dico 7. semper quod pœnitens affert fundamentum ad se persuadendum, quòd venit cum dolore extraordinario, v. g. si venerit cum lachrymis extraordinarijs, vel ex motivo alicuius infortunij; vel in aliquo emendatus fuerit, ac adhibuerit diligentias ad eius malam evincendam consuetudinem; vel confessus fuerit in articulo, seu periculo mortis: in his casibus cum dolore, & proposito extraordinario interrupit consuetudinem, quam antea habebat; atque pro futuris confessionibus judicandum est de illo, ac si tunc inciperet consuetudo. Ita sentit in simili loquendo de occasione proxima Cardin. de Lugo *disp.* 14. *sect.* 10. *num.* 151. & in simili etiam de occasione proxima eruditissimus Moya *tom.* 1. *tract.* 3. *disp.* 7. *quæst.* 5. *num.* 8. cum Layman, Navarro, & alijs. Ratio est; quia sicuti habitus virtutum amittuntur per actus contrarios: v. g. habitus fidei per actum formalem hæresis; ita habitus vitiosi per actus virtutum contrarios; atqui actus pœnitentiæ, vel dolor est contra-

trarius habitui, seu consuetudini vitij: ergo &c.

203. Vnde infertur quòd, si pœnitens, qui prima vice pervenit ad confitendum, quin admonitus fuisset de eius mala consuetudine, poterit bis, aut ter absolvi, quamvis prima & secunda vice, præmissa admonitione emendatus non fuerit. Infertur etiam, quòd, qui cum dolore extraordinario interrupit consuetudinem præcedentem, poterit, postquam sit præmonitus, absolvi secundâ, & tertiâ vice, quamvis in illis emendatus non sit. Supposito, quòd cum illo extraordinario dolore interrupit consuetudinem, reputaturque, ac si illam non habuisset. Atque si post istam tertiam absolutionem venit iterum cum dolore extraordinario, interrupit iterum consuetudinem, & absolvi poterit alijs tribus vicibus; & sic pariformiter semper, quod habuerit particularem pænitudinem, & dolorem. * Ita Corella.

204 Nunc ego iterum repeto, quòd si habens consuetudinem peccandi, sivè sit prima, sivè, eâ destructâ, sit secunda, vel etiam tertia, aut quarta, nec semel est absolvendus, si confessarius non habet prudens fundamentum, ad judicandum dolorem, & propositum requisita habere. Et similiter repeto, quòdsi etiam postquam centies admonitus est, afferat fundamentum, ut confessarius judicet ea requisita habere, potest absolvi. Quod constat ex dictis num. 108. & 200.

205 Displicet autem magis hæc 7. conclusio P. Correllæ, quàm 1. quia hæc clariùs indicat, quòd semel, iterum, ac tertiò potest absolvi pœnitens, si priùs non fuerat admonitus, & quartò etiam, si jam afferat aliquam emendationem, vel aliud signum ad prudenter judicandum habere dolorem; unde & clarè indicat, quòd illis tribus vicibus, etiam sine fundamento ad dolorem prudenter præsumendum, absolvi possit. Immo, si in quarta vice illud afferat, postea, cum denuo incipiat consuetudo, poterit ter absolvi, dum monitiones fiunt, & sic in infinitum. Hoc tamen, prætérquam, quòd manet sufficienter impugnatum, non video, quomodo non sit apertè damnatum in dicta 60. propositione. Quare

re quòd prima concluſio prædi-ⴀi Patris non fuerit à me, ut damnata rejecta; ſed ad veritatem reduci poſſe indicaverim per duas meas poſitas concluſiones, illam quaſi explicando, locum non habet modò, nec in illa prima, nec in hac ſeptima, cum in utraque ſit eadem authoris mens, & in ſeptima adeò ſit explicata, ut nullam interpretationem benignam admittat.

206 Sed non minus diſplicet illa conſuetudinis, ſivè habitûs tam facilis extinctio, aut interruptio. Sentio enim, tanquam veriſſimum, in caſibus aſſignatis à P. Corella non deſtrui priorem conſuetudinem; ac proinde non generari novam, ſed priorem illam augeri, dum peccator redit ad antiqua peccata. Vnde corruit tota doctrina eius ſeptimæ concluſionis. Quòd autem antiqua perſeveret conſuetudo probo, deſtruendo fundamentum ad oppoſitum, quod incipit ab illis verbis: Ratio eſt, & plures continet falſitates quàm clauſulas.

207 Primò ergo, quod aſſerit, aut potiùs, & certum ſupponit: *ſicut habitus virtutum amittuntur per actus contrarios*, in recta Theologia falſum omnino eſt; quia habitus non contrariantur actibus, nec actus habitibus, ſed ſolùm actus cum actibus, & habitus cum habitibus contrariari dici poſſunt. Et ratio eſt 1. quia contraria debent eſſe in eodem genere, cum definiantur communiter ſic: contraria ſunt, *quæ ſub eodem genere maximè diſtant, & ab eodem ſubjecto mutuò ſe expellunt.* De quo ℣. meũ curſum Trinitarium n. 1079. Secundò, quia id experientiâ eſt compertum; qui enim habet habitum vitioſum intemperantiæ in cibo, & potu, non deſtruet eum habitum per hoc, quòd unum actum temperantiæ eliciat. Quamvis enim uno die in pane tantùm & aqua jejunet, non abijciet illam inclinationem habitûs intemperantiæ, & ſolùm illam eradicabit, ſi tot temperantiæ actus eliciat, ut temperantiæ habitus generetur, tunc enim eò magis diſcedet, & eradicabitur intemperantiæ habitus, quò magis acquiratur de habitu temperantiæ. Et ſimiliter vice verſa diſcurrendum eſt; ut habitus temperantiæ ſemel acquiſitus deſtruatur; non enim

per unum actum intemperantiæ deperditur, sed per actus plures habitum intemperantiæ producentes, quo producto abscedit habitus temperantiæ ei contrarius. Vnde similiter falsum est, quod subiungit. *Ita habitus vitiosi per actus virtutum contrarios.*

208 Secundò exemplum, quod adducit de fide, extra rem est. Nam in hac doctrina loquitur, aut loqui debet, de habitibus acquisitis virtutum, aut vitiorum; fides autem non est habitus acquisitus, sed à Deo infusus; immo in eius infusione, & destructione servatur diversus modus, ac in infusione, & destructione aliarum virtutum infusarum; eò, quòd tam iste habitus quàm habitus spei inveniri possint in peccatore, ac proinde sine gratia infundi, ac sine illa permanere, quòd in alijs virtutibus infusis non contingit.

209 Tertiò, quod addit: *atqui actus pœnitentiæ, seu dolor est contrarius habitui, seu consvetudini vitij: ergo &c.* Difficilius adhuc intelligitur, indicat enim, & quidem manifestè; aliàs ratio non convinceret intentum, quòd omni vitio opponatur, quod falsissimum est; quia actus, sivè habitus pœnitentiæ non opponitur cuicumque vitio, sed vitio impænitentiæ. Nec multum miror, quòd in multis brevis probatio deficiat; quia, ut communiter dicitur, *malæ causæ malum solet esse patrocinium.* Miror tamen amplius, quod P. Torrecilla *in 2. suarum consultationum editione* tum malam Corellæ causam, tum malum eiusdem causæ patrocinium referat, & approbet *in consultatione 17. num.* 118. Sed valeat uterque.

## *QVÆSTIO XIV.*

### *Quoddam dubium circa occasionem proximam resolvitur, & plures illationes deducuntur.*

210 PRo complemento doctrinæ de occasione proxima dubitabis, an, quando pœnitens sine detrimento potest occasionem relinquere, v. g. expellere concubinam, eam teneatur expellere ante confessionem; an verò sufficiat, quòd in ea proponat expellere illã? Teneri eam ante confessionem expellere judicant aliqui, qui ci-

tan-

tantur à Sancio *disp.* 10. *num.* 4. *& á N. P. Leandro quæst.* 35. Alii apud ipsos judicant, sufficere quòd proponat, & promittat illam statim expellere, quamvis iterum, immo ter, vel quater id ipsum promiserit, & non impleverit: quam sententiam etiam Sancius, & N. P. Leander amplectuntur. Mihi tamen videtur probabiliùs cum Doctoribus primæ sententiæ, quòd per se loquendo, nec semel absolvi debeat dictus pœnitens, antequàm occasionem deserat, & expellat concubinam. Ratio est; quia credi non debet, si pænitens, cum posset sine detrimento expellere concubinam, eam non expulit ante confessionē, quòd propositum eam expellendi post absolutionem sit verum, & efficax, & quamvis efficax esset, posset facilè credi, quòd illud mutaret absolutione obtenta: ratio est, quia multò faciliùs quamlibet præstat diligentiam pœnitens, ut absolutionem consequatur, quàm postquam illam est consecutus: ergo dum pœnitens ita inefficaciter detestatur peccatum, & peccandi occasionem, quòd non movetur ex detestatione ad pellendam concubinam, ut expedite absolutionem consequatur, facilè credi non debet, quòd propositum eam postea expellendi sit efficax, & quòd jam absolutione obtenta, sit eam expulsurus.

211 Nostram autem sententiam fere semper practicandam à prudente confessario docet novissimè P. Corella *in sua praxi tract.* 2. *à num.* 230. quamvis oppositam non damnari in propositione 61. Innocentij fateatur, & meritò: quod etiam tenet Torrecilla *tract.* 1. *consult.* 17. *n.* 46. *in* 2. *editione.* Vnde immeritò eam damnari existimat licentiatus Prado in eadem propositione à num. 11. Quæ autē affert, probant utique nostram sententiam practicandam; nihil tamen dicit, quo probetur oppositam esse damnatam, nec ullum authorem refert pro sua existimatione, eamque contrariam esse litterali sensui propositionis, est mihi ferè clarissimum.

212 Dixi autem in responsione per se loquendo, quia per accidens prima vice potest contingere, quòd pœnitens non expulerit occasionem ob ignorantiam suæ obligationis, ad-mo-

monitus tamen à confessario, efficaciter eam expellere proponat, in quo casu absolvendus est, quia ex non expulsione ante confessionem colligi non potest propositi inefficacia. Immo etiam aliquando contingere potest, quòd possit pœnitens absolvi, quin, etiam post absolutionem sit cogendus occasionē deserere, quia potest adeò extraordinarium dolorem habere, & propositum non peccandi, & adhibendi media omnia ad non cadendum, ut probabiliter speretur victoriam consecuturus, & jam illa non censeatur occasio proxima: Quod etiam similiter dici potest, quando ex alijs capitibus cessat peccandi periculum; ut, quia jam odio habet fœminam, aut deformis facta est; aut ex qualibet alia causa, ex qua tale periculum absit.

213 Ex dictis in hac, & præcedentibus quæstionibus inferes 1. posse absolvi fœminam cohabitantem cum viro, quin cogatur domum illam deserere, si semel, aut iterum peccavit, pluries tamen restitit: quia ista non censetur occasio proxima. Ita tenet Leander de Murcia *lib. 2. disp. 1. resol. 8. num. 7. ac N. P. Leander disp. 7. quæst. 40.* quem refert, & sequitur M. Joannes Anastasius de Arana in suo indice verborum, verbo *occasio: p. mihi 182.* & M. Lumbier *tom. 2. p. mihi 666 n. 820.*

214 Secundò inferes probabiliter cum N. P. Leandro *disp. 7. quæst. 34. & cum Lugo disp. 14. num. 150*, adolescentes, qui conversando, aut laborando cum fœminis sæpè in peccata incidunt, posse absolvi, quin omnino proponant abstinere à conversatione, dummodò in eadem domo non cohabitent, quia talis occasio difficile vitari potest, & proxima non videtur.

215 Tertiò inferes cum Santio *disp. 10. num. 13. & nostro P. disp. 7. quæst. 42.* eum, qui sæpè concupiscit fœminam secum cohabitantem, & sæpè admonitus non desistit, absolvendum non esse. Ratio est, quia talis cohabitatio censenda est occasio proxima. Admitto tamen modò sæpiùs prius admonendum, quamvis id non admiserim contra eosdem Doctores num. 210. de concubinario loquendo; quia dum solùm committuntur desideria, & ad opera janua non-

dum

dum est aperta, mihi videtur non omnino compertum, quòd ea sit proxima occasio; forsan enim ex fragilitate propria nascuntur desideria illa, potiùs quàm ex præsentia fœminæ, & saltim nequit dubitari, quin multò minus influat occasio illa, quàm alia, in qua etiam ad opera aditus est apertus. Vnde mirum non est, si in hoc casu majorem quandam latitudinem ego admittam. Immo etiam consequenter judico, quòd in hoc casu minus detrimentum necessarium esset, etiam post repetitam monitionem ad excusandam permanentiam in illa domo, ac in casu absoluti concubinatûs.

216 Inferas 4 confessarium, qui ex auditis lascivijs in confessione sumit occasionem ruendi frequenter in voluntarias pollutiones, non esse absolvendum, nisi proponat confessiones amplius non audire; quia auditio confessionum censenda est occasio proxima; excusari tamen potest à tali proposito eliciendo, si, aut sit Parochus, aut sequatur infamia. Nec enim tenetur famam amittere, nec officium deserere, ut occasionem fugiat: unde tunc sufficit, quòd proponat in futurum non consentire in similia peccata. Sic tenet cum alijs Sancius, *disp.* 10. *num.* 18. *N. P. Leander disp.* 7. *quæst.* 46. *&* 47. & novissimè *P. Corella tract.* 2. *num.* 238.

217 Vltimò inferes, similiter Chirurgum, qui in medendís fœminis in partibus secretioribus versatus sæpius in peccata ruit, posse absolvi cum solo proposito non peccandi, quin cogatur proponere à curatione abstinere. Quod similiter est dicendum de fœmina, quæ se curari sinit, cum periculo etiam consensus. Ratio utriusq; est; quia, licet uterque in ipsa curatione se exponat peccandi periculo, contingit tamen ex justa causa. Sic N. P. Leander *quæst.* 48. *& Sancius disp.* 21. *num.* 9. & licet oppositum de Chirurgo, ac etiam de Parocho, de quo nu. præcedenti, teneat M. Lumberius *tom.* 3. *p.* 244. n. 590. & 609. tamen n. 627. tenet de Chirurgo sententiam nostram.

## *QVÆSTIO XV.*

*Resolvitur dubium circa peccandi consvetudinem, & expli-*

### *plicatur propositio 58. damnata à SS. P. N. Innocentio XI.*

218 DVbitari etiam in præsenti potest, an, si confessarius inquirat, an peccata, quæ pœnitens confitetur, sint reincidentiæ, seu an consuetudinem peccandi habeat, teneatur pœnitens id aperire. Negat Ioannes Sancius *disp.* 9. *num.* 6. *& sequentibus*, dicens, posse pœnitentem eam consuetudinem negare utendo æquivocatione. Communis tamen sententia oppositum tenet, quæ per se loquendo probabilior est, quia dum confessarius interrogat, id necessarium esse solet, vel ad cognoscendum dolorem, vel ad adhibenda remedia efficaciora, per accidens autem, ut quando, aut consuetudo jam est abolita, vel pœnitens cognoscit prudenter se habere dolorem, & paratum esse adhibere remedia efficacia ad non peccandum, quin indigeat confessarij monitione, aut remedijs, potest excusari à manifestatione talis consuetudinis.

219 Dices tamen: nemo potest cogi ad confitendum peccata jam benè confessa: sed declarare præteritam consuetudinem est confiteri peccata jam confessa: ergo non potest pœnitens ad eam declarandam teneri. Respondetur; pœnitentem obligari posse ad confitendum peccatum præteritum jam confessum, quia id opportet, vel ad declarationẽ prœsentis peccati, vel ad eius curationem. Sic enim obligatur ad declarandum peccatum præteritum, quãdo ratione illius peccatũ, quod modò confitetur habet circumstantiam mutantem speciem.

220 Nota tamen 1. Quòd prima pars responsionis nostræ est jam non solùm probabilior, sed certa, quia oppositum damnatur à SS. P. N. Innocentio XI. propositio enim 58. ab ipso damnata est hæc: *Non tenemur confessario interroganti, fateri peccati alicuius consvetudinem.*

221 Secundò nota, quòd nostræ responsionis pars secunda, etiam post decretum Innocentij potest sustineri, & defendi; quia solùm damnatur propositio in sensu absoluto, & sine ulla limitatione, ex qua damnatione non valet consequentia,

ut

ut comprehensa intelligatur nō absolutè, sed cum limitatione, & moderatione adhibita, prolata. Quare eam secundam nostræ responsionis partem tenuerunt M. Moya *tom. 1. tract. 3. disp. 3. quæst. 5. á num. 13.* & apud ipsum Dicastillo, & G. Hurtado ante Innocentij decretum. Sed post ipsum etiam eam tenet P. Torrecilla *in dictæ 58. propositionis explicatione, conclusione 3.* & Filgueras in eiusdem propositionis explicatione *§. post hæc scripta.* Et implicite saltim Lūbier in eiusdem etiam propositionis explicatione. Idemq; similiter tenet licenciatus Prado ibid. num. 16. Et innuit satis M. Thyrso *tom. 3. disp. 42. num. 9.* licet oppositum teneat M. Hozes dictam explicando propositionem.

222 Tertiò nota, quòd in dicta propositione non damnatur sententia asserentium, quòd pœnitens absolutè non teneatur confiteri consuetudinem peccandi. Quia aliud est, quòd non teneatur absolutè; aliud verò, quòd non teneatur, dum interrogatur à confessario, ut constat ex M. Moya apud quem 1. quæstio examinatur *disp. 3. de pœnit. quæst. 5. cap. 1.* ubi sententiam negantem obligationem tenet, ut communem, & veram. Et 2. examinatur cap. 2. ubi sententiam obligationem affirmantem, etiam ut communem, & veram statuit num. 13. Dum ergo propositio damnata solùm agit de sententia negante obligationem in casu secundæ quæstionis, non est damnatio extendenda ad casum primæ. Quia á diversis non fit illatio, & odia amplianda non sunt, sed potiùs restringenda. Quare, quòd non comprehendatur ea sententia in damnatione, supponunt potiùs, quàm doceant, M. Lumbier, M. Thyrso, Torrecilla, & Hozes locis cit. P. Corella *in eadem proposit. 58. nu. 201.* Eademq; sententiam non damnari, tenent licenciatus Prado ibid. num. 31. quamvis à num. 25. oppositam verissimam esse, defendat.

## *QVÆSTIO XVI.*
### *An Devoti Monialium sint in occasione proxima peccādi.*

223 DE huius quæstionis materia tractat M. Lumberi-

berius *tom. 1. pag.* 466. *a nu.* 480. & in codice, quem habet in calce eiusdem tomi, & inscribitur: *destierro de ignorancias. Desenganos para todo genero de personas Religiosas, & in tomo 3. in explicatione propositionis* 61. *pag.* 239. *num.* 580. In primo ergo loco ex relatis num. 489. sic respondet. * Nunc respondeo, quod, si devotio esset talis, quòd frequentes visitationes mediarent, aut literæ amatoriæ repeterentur, ( ac multò magis, si aliæ adessent demonstrationes exteriores sensuales) essent in statu peccati mortalis, & non deberent absolvi, si postquam præmoniti fuerint semel, & iterum, non emendarentur; nam essent in occasione proxima incidendi, & non est credibile, quòd habeant verum emendationis propositum. Ego paucas huius generis personas audivi in confessione, sed ex eo, quòd tales flere solent in senectute, & ex varijs consultationibus mihi factis, possum asserere istud esse verum. Ita Lumberius, qui postea *tom.* 3. *num.* 580. sic ait. * Ideo diximus in memorato codice, qui est in fine tom. 1. quòd tam devoti, quàm ipsæ moniales sunt in occasione proxima peccandi, si non opere, cogitatione. Itaque post binam, vel trinam admonitionem confessarius, qui eos absolvit comittit unum sacrilegium, & tales personæ si veniunt cum tribus, redeunt cum quatuor.

224 Videbitur alicui nimis rigida doctrina Lumberij, & zelo eradicandi Monialium devotiones per exagerationem locutum. Mihi tamen potiùs displicet; quia nimis laxe loquatur. Supposito enim, quòd devotus ( idem de devota intellige ) semper, aut sæpiùs, ac Monialem invisit, peccet mortaliter, quamvis visitationes non sint frequentes, sed raræ, non est devotus, nec devota, absolvendus, nec semel, nisi proponat à visitationibus abstinere. Sicut enim, qui expertus est se semper, aut fere semper, ac ingreditur in domum fœminæ solutæ, aut conjugatæ, mortaliter peccare, non sufficit, ut absolvatur, adhuc semel, quod proponat se cum tali fœmina non peccaturum; sed debet insuper proponere, quòd in eius domum non ingredietur; quia ingressus ipse periculum est proximum peccandi, ac proinde

pec-

peccatum: sic etiam in devoto non sufficit, quòd proponat nõ amplius cum devota peccaturum; sed insuper, ut absolvatur, debet proponere, se Monialem non invisurum: quodsi non velit proponere ; cum ipsa visitatio sit peccatum mortale; ut pote, quia est periculum proximum illius, absolvendus non est, cum dispositionem ad absolutionem non habeat, quia dolorem, & propositum, quòd omnem voluntatem peccandi excludat, non habet. Vnde meritò jam diu ego absolutionem negavi cuidam dovoto, qui cũ visitaret Monialem, longam experientiam habebat, quòd in mortalia rueret, quia licet mihi proponeret se non amplius cum ea peccaturum, noluit tamen proponere, se illam non invisurum.

225 Aliud autem esset, si devotus non solùm proponeret non peccaturum cum devota opere, nec cogitatione; sed etiam proponeret firmiter, se eam amplius non invisurum ; tunc enim, si non habeat confessarius fundamentum ad judicandum illud propositum verum, & efficax non esse, potest devotum absolvere; & non solùm iterum, ac tertiò, si promissis non stet, absolvi poterit, si similiter proponat, sed sæpiùs, quoties credatur verum propositum adducere. Hæc autem est differentia inter priores occasiones, in quibus propositum adducit pœnitens devotam non invisendi, & inter posteriores, quòd eò difficiliùs credi à confessario prudenter potest, quòd verum, & efficax sit propositum, quò pluries illud elicuit, & illi non stetit. Si tamen reverà, omnibus pensatis, fundamenta sint ad credendum propositum esse verum, etiamsi centies illi non steterit, absolvendus est; in hoc enim eodem modò discurrendum, ac in illo, qui consuetudinem habet peccandi, aut etiam in eo, qui diutiùs perseverat in occasione proxima peccandi, quam ob gravia incommoda, & proportionata, expellere non tenetur: de quo vide dicta q. 13. In hoc ergo sensu intelligenda est doctrina Lumberij, ne nimis sit benigna: in quo tamen non est coarctanda ad secundam, aut tertiam absolutionem, sed arbitrio prudentis confessarij, qui omnia juxta nunc, & alibi in

hoc tract. dicta, & dicenda, prudenter perpendat, relinquendum.

226 Nota tamen, quòd adhuc, quando nec Monialis, nec devotus peccant, dum se visitant, si visitationes sunt frequentes ita, ut meritò illicitæ reputentur, non est absolvenda Monialis, nec devotus, nisi proponant ab eis abstinere. Ratio autem est, quia, sicut, qui habet domi concubinam, aut eam frequenter visitat, quamvis jam cum illa non peccet, si tamen alijs non constet, ideoque scandalum detur, tenetur illam, è domo eijcere, aut à visitationibus abstinere, sic in Monialis visitatione discurrendum est; cum non minus in ea scandalum detur, sed maius, utpotè quia per eas visitationes non solùm sæcularibus, sed etiam monialibus scandalum præbetur, & quia prava devotionum consuetudo fovetur, & continuatur. Vnde forsan unius Monialis devotus particeps erit omnium peccatorum, quæ in illo Conventu committenda sunt multis adhuc annis, aut etiam sæculis post ipsius devoti mortem, non quidem, quia post mortem peccabit, sed quia modò suis peccatis cooperando ad conservationem, & continuationem pravæ consuetudinis devotionum, ex consequenti cooperantur omnibus peccatis, quæ occasione illius consuetudinis cõmittenda sunt.

227 Est tamen differentia observanda inter casum propositum, in hac notatione, & inter præcedentem, quòd qui peccant communiter, dum se visitant, tenentur proponere ab omni visitatione abstinere; quia nec semel potest quis, sine urgenti causa, periculo peccandi se tradere. Qui verò inhoneste non peccant; sed ob scandalum tantum abstinere coguntur, sufficiet, ut non peccent, quòd visitationes minuant tantùm, quãtum necessarium fuerit, ut scandalum cesset; non verò ut ab omni visitatione abstineant, ac proinde sufficiet, quòd talem diminutionem proponant, ut scandalum cesset; quæ tamen diminutio magna proculdubiò debet esse præsertim in principio.

228 Si quis autem pro Moniali devotum nolente deserere dicat, contingere posse, quòd ipsa grave damnum patiatur, si de-

devotum respuat. Audiat N. P. Leandrum *tom.* 1. *tract.* 5. *disp.* 7. *quæst.* 72. Vbi inquirit. * An Monialis, quæ est in occasione proxima peccandi cum suo devoto; per tactus inhonestos; v. g. possit absolvi, casu, quo ex dimissione talis occasionis amittat magnam aliquam commoditatem temporalem, qua dicta Monialis maximè indiget. * Et sic respondet. * Sed ut quid certissimum respondeo: non posse absolvi, quin tollat occasionem peccandi, quia verè est proxima, & non potest dici involuntaria ex eo, quòd ex dimissione illius correspondentiæ, sequi possit aliqua nota, aut scandalum, aut detrimentum, ut si vir devotus esset magnæ authoritatis, & utilis toti Monasterio, & præcipue Moniali devotæ, si est pauper. Nam hæc omnia ficta sunt, ab amore nimis inordinato, cum revera potiùs ex correspondentia prædicta nascatur nota, & scandalum apud omnes Dei timorem habentes. Nec fas est dicere, sed nefas abominabile, quòd Monialis, quæ reliquit omnia, ut sequeretur suum sponsum Christum pauperem à juventute sua, licitè possit persistere in occasione lasciviendi, ne amittat, quæ voluntariè reliquit, & reputavit, ut stercora, ut Christum lucrifaceret. * Ita N. P. & mirifice qnidem.

229 Dicta in hac quæstione verissima, ac certissima sunt, & satis clara: sed multa satis clara ignorant multi confessarij, ideoque vix unquam desunt, qui Moniales devotas absolvant. Et si quis illorum dicat. Quid facturus sum, si Monialis est communicatura, quodsi non faciat, scandalum dabit, & se ipsam infamabit. Respondeo, quòd eò ipso, quòd disposita non sit, absolvi non potest, quamvis aliàs in mortali sciatur communicatura; minus enim malum est sacrilegium unum malæ communionis, quàm duo, alterum malæ communionis, & alterum malæ Confessionis.

230 Sed numquid, inquies, tali Moniali nullum datur remedium? nunquid eam conijciemus in desperationem? Minimè quidem. Absolutè utique remedium habet: ex suppositione verò remedium non habet. Habet utique absolutè, quia potest proponere non solùm cum de-

devoto non peccare, ſed etiam periculo peccandi cum illo ſe non exponere proponere valet. Ex ſuppoſitione, quòd hoc proponere non vult, remedium nō habet. Sed hoc durum non eſt, ſed commune omni peccatori; nemo enim juſtificari poteſt ſine vera pœnitentia, ſivè ſit contritio, ſivè attritio cum Sacramento, quæ includit propoſitum nunquam peccandi: ſi quis verò nolit eam habere, quia nō vult efficaciter proponere non peccare, nunquid hoc eſt durum? minimè quidem. Durum enim eſt, quòd quis velit, & nō poſſit evadere tyrannidem peccati. Quòd verò non poſſit, quia non vult, duriſſimum quidem eſt, non quia Deus, aut confeſſarius durè ſe gerant cum illo; ſed quia ipſe, aut ipſa pœnitens duriſſimè ſecum, & cum Deo ſe gerit, ut nec apparenter durè ſe gerat cum ſuo devoto; aut ne temporali aliquo bono, & commoditate careat, ſibi ergo imputet. Nec utique quiſquam dicet, quòd ſi ego eſſem incluſus in altiſſima turri, a qua non poſſem exire, niſi me præcipitando, deberem, aut poſſem me præcipitare, ut ſic liberarem proximum volentem ſe iniĳcere in puteum, cum & ipſe poſſet ſe liberare voluntatem illam deponendo, aut mutando, & ego adhuc me præcipitando illum liberare non poſſem, ſed potiùs cum eo perirem. Hoc igitur, & amplius contingit confeſſario, qui, ſi pœnitenti indiſpoſito abſolutionem conferat, ſe ipſum in peccatum præcipitat, & inſuper non ſolùm non eripit ab eo proximum, ſed potiùs illum in aliud de novo peccatum coniĳcit.

231 Sed dices iterum: nemo peccat neceſſariò: ſed ſi vera ſint dicta, Monialis neceſſariò peccabit: ergo vera eſſe non poſſunt. Probatur minor: ſi poſtquam Monialem indiſpoſitam non abſolui, illa ſic cogitet: ego ſum in peccato, quia confeſſarius me non abſolvit, utpotè indiſpoſitam: ergo: ſi communionem accipio, pecco: ſed aliàs etiā pecco, ſi non communico, quia ſcandalizabuntur multæ: ergo neceſſariò peccatura ſum. Quā ergo ei dabimus evaſionem?

232 Reſpondeo dari poſſe evaſionem, & ideo Monialem nunquam neceſſariò peccare. Primò namque ſæpè ſcandalum time-

timetur, ubi non adest, quia, si devotus cras venturus est illicitè cum Moniali tractaturus, maius hoc scandalum Monialibus est, quam si Monialis non communicaret; quia sic judicarent eam peccare visitationem devoti admittendo; non vero insuper indignè communicando. Dato tamen casu, quòd aliquando non communicando scandalizet, & ideò non communicare sit peccatum, potest tamen communicare sine peccato; quia si ipsa velit proponere non admittere visitationem devoti, & redeat ad me, ego absolvam illam; si autem tempus non habeat redeundi, aut si redeat, non absoluatur, quia confessarius non credit propositum reijciendi devotum esse efficax: tunc potest se gerere, sicut ille, qui dum non potest non communicare, non habet copiam confessarij, quia revera ita est, quòd copiam Confessarij non habet. Vnde si contritionem eliciat, non peccabit communicando. Immo etiamsi attritionem habeat existimatam contritionem, etiam non peccabit, & Eucharistiæ Sacramentum conferet ei primam gratiam, licet per accidens. Hæc ita declaravi, quia non solùm pro casu dicto; sed etiam pro similibus alijs possunt deservire.

233 Advertat lector, in quantas, & quales angustias reducitur Monialis devota, præsertim cum, ne eligat carere devoti frequentiâ, & id serio confessario proponere, eligat potiùs remedio carere, & non solùm peccata inhonesta inhonestis peccatis addere, sed etiam sacrilegia sacrilegijs. Quod ita horrendum videtur, ut vix contingere posse credi deberet, si experientia ita non raró evenire non persuaderet. Sed adhuc mirandum magis, quòd id ipsum eveniat Sacerdotibus tum sæcularibus, tum etiam regularibus, qui nec oculos claudendo, ignorare possunt, quòd sunt in statu peccati mortalis, & quòd male, ac sacrilege confitentur, peiusque, & magis sacrilegè sacrificium Corporis, & Sanguinis Christi celebrent, & communicent, nec vereantur alijs ista, & alia Sacramenta ministrare. Hæc utique omnia eveniunt Sacerdotibus Monialium devotis, aut alia occasione proxima peccandi irretitis; vel consuetudinem peccandi

di habentibus, quàm non ſerio, & efficaciter extirpare proponunt, & curant: quòd certè in eam conſuetudinem habentibus frequens eſt. Dicant mihi huiuſmodi Sacerdotes, ſi ipſis infernus paratus non eſt quibus paratus ſit? certè ego judico eò certiùs ipſis paratum, quò minus ipſi hoc cogitant.

## QVÆSTIO XVII.

### *Explicatur 41. propoſitio damnata à SS. P. N. Alexandro VII.*

234 INter agendum de occaſione proxima peccandi explicavimus propoſitiones 58. & 60. damnatas à SS. P. N. Innocentio XI. Quia tamen adhuc doctrinam de occaſione proxima peccandi concernunt aliæ propoſitiones damnatæ, videlicet, 41. Alexandri, 61. 62. & 63. Innocentij, has quatuor propoſitiones explicabo in hac, & ſequentibus quæſtionibus, ut omnino completa ſit doctrina, quæ ad dictam occaſionem peccandi proximam poteſt ſpectare.

235 Quadrageſima prima: ergo propoſitio damnata à SS. P. N. Alexandro VII. eſt * Non eſt obligandus concubinarius ad eijciendam concubinam, ſi hæc nimis utilis eſſet ad oblectamentum concubinarij, vulgò regalo, dum deficiente illo, nimis ægrè ageret vitam, & aliæ epulæ tædio magno concubinarium afficerent, & alia famula nimis difficile inveniretur. *

236 In hac propoſitione damnantur aſſerentes ſufficere pro cauſa ad non eijciendam concubinam, quòd ſit nimis utilis ad oblectamentum concubinarij; & alia famula facilè non inveniatur. Quia certè hæc cauſa gravis non eſt: & dato, quòd ſit gravis, non tamen eſt adeò, ut proportionata ſit ad excuſandam perſeverantiam in occaſione adeò periculoſa, & tot, tantorumque peccatorum, qualia in concubinatu committuntur. Ad majorem namque mortificationem tenetur concubinarius, ut evitet periculum peccandi, quàm ſit illa, quæ ex defectu talis concubinæ ſequi poteſt: & aliàs nunquam tenerentur concubinarij eijcere concubinas; ſemper enim ſimilem mortificationem in illarum eiectione,

aut majorem amor inordinatus illarum effingeret: & quantumvis epulæ ab ipsis conditæ insipidiores forent, eis sapidiores apparerent. Quare propositionis damnatæ doctrina etiam ante damnationem reprobari debere constat ex doctrina generali data circa materiam occasionis proximæ à quæstione 11. usque modò.

## *QVÆSTIO XVIII.*

### *Explicatur propositio 61. damnata à SS. P. N. Innocentio XI.*

237 PRopositio 61. damnata à SS. P. N. Innocentio XI. hæc est. * Potest aliquando absolvi, qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest, & non vult omittere, quinimo directè, & ex proposito quærit, aut ei se ingerit. *

238 Hæc propositio, seu, ut melius dicam, eius damnatio est confirmatio doctrinæ à nobis traditæ quæst. 11. ibi enim diximus non absolvendum existentem in occasione proxima, nisi eam dimittat, si potest, sine gravi incomodo, & consequenter à fortiori idem dicendum est de eo, qui directè occasionem prædictam quærit, aut ei se ingerit. Quod autem, quando non potest sine gravi incommodo occasionem omittere, possit absolvi, non damnatur: quia sicut tunc in ea perseverare non est amare periculum; sed illud permittere, aut invitum pati: sic nec est occasionem velle, sed eam permittere, & invitum pati. Quare nostram doctrinam in hac parte tenent post decretum Innocentij in expositione huius propositionis Patres Corella, & Torrecilla, ille num. 233. iste verò *consult.* 17. *conc.* 3. *num.* 63.

239 An autem doctrina à nobis commemorata, & reprobata num. 210. damnetur in hac propositione, num. 211? breviter respondimus negativè contra Licentiatum Prado: nec modò existimamus longiori eius Pradi doctrinam indigere impugnatione.

## *QVÆSTIO XIX.*

### *Explicatur propositio 62. damnata à SS. P. N. Innocentio.*

240 PRopositio 62. ab eodem Pontifice N. Innocentio damnata est. * Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua utilis, aut honesta non fugiendi occurrit. *

241 Hanc propositionem ita intelligit Licentiatus Prado, ut sensus illius sit, quòd, quando adest causa utilis, aut honesta non fugiendi occasionem, melius sit, & consulendum, quòd ea non fugiatur. Vnde, qui diceret causas aliquas utiles, sed non magni momenti, sufficere, ut habens occasionem proximam non peccet eam non fugiendo, non comprehenderetur in damnatione istius propositionis; quia iste non diceret, quòd melius esset eam non fugere, sed solùm, quòd peccatum non esset; ac proinde in damnatione propositionis, quæ melius esse non fugere, ait, non comprehenderetur; licet aliàs esset falsa, quia contra rationem, & communem sententiam.

242 Sed mihi verùm omninò videtur, quòd alius sit sensus propositionis damnatæ, scilicet, quòd non sit *sub peccato*, aut *necessariò* fugienda occasio, quando ad eam non fugiendam adest causa utilis, aut honesta.

243 Ratio est 1. quia parum ad praxim conduceret ea propositio, si non esset obligatio fugiendi occasionem, quòd esset melius, aut non esset melius eam fugere: & consequenter similiter eius damnatio parum ad praxim interesset; & aliàs difficilè inveniri posset, qui tali propositioni damnatæ assensum unquam præbuisset.

244 Secunda est ratio: quia in moralibus satis vsitatus est loquendi modus, quòd dicatur non faciendum id, quod necessario, & ex precepto fieri non debet; quamvis melius esset non facere. Sic, qui diceret non esse confitendas circumstantias aggravantes, sed solas mutantes speciem, à nemine intelligeretur, quòd eas non confiteri esset melius; sed solùm, quòd eas confiteri necessarium, aut sub obligatione non esset. Quare sensum istum deberi propositioni damnatæ docent, aut apertè supponunt M. Hozes, Lumbier, Corrella, & Torrecilla in explicatione huius propositionis.

245 Nota tamen, quòd per huius propositionis damnationem

nem non excluduntur causæ graves, in quibus excusari pœnitentem ab occasione proxima fugienda diximus quæst. 11. & illis similes; sed aliæ, aut illarum aliquæ, illiusve similes, quas ad excusandum illum insufficientes ibidem reputavimus.

246 Vnde bene P. Corella in huius propositionis explicatione num. 235. inquit. * Vt occasio involuntaria dicatur, debet concurrere urgens causa, ac talis, ut sine gravi incommodo amittendi vitam, honorem, aut quantitatem bonorum temporalium, non possit evitari. * Ita Corella. Vbi occasionem involuntariam vocat illam, quam ex gravi causa non tenemur vitare: & eam involuntariam occasionem etiam post decretum SS. P. N. Innocentij non esse illicitam, seu illicitum non esse in ea permanere, tenet. Nota tamen, quòd ut occasio sit involuntaria, & liceat in ea permanere ad vitandum inconveniens grave amissionis vitæ, honoris, aut bonorum temporalium, non sufficit, quòd permanere in tali occasione sit medium utile, & efficax, ad vitanda prædicta incommoda; sed necessarium est, quòd sit unicum; quia, si aliud suppetat, illud potiùs adhibendum est, & deserenda occasio: quod ex terminis ipsis notum est.

247 Hinc mihi placet, quod ait M. Hozes, scilicet, quòd huius propositionis damnatio sit extensio damnationis propositionis 41. ab Alexandro VII. damnatæ, unde non solùm in casu in ea propositione 41. memorato, sed in alijs etiam, qui, etsi diversi sint, non tamen habent maius pondus ad excusandam perseverantiam in occasione peccandi, in vi damnationis huius propositionis 62. dicendum, non dari sufficientem causam excusandi illam.

248 Concludo ergo solùm damnari in proposit. 62. sententiam aliquorum arbitrantium, quamcumque honestam, aut utilem causam, esse sufficientem ad occasionem peccandi non fugiendam. Non verò damnari eas causas, quæ graves, & proportionatæ ad excusandum periculum peccandi, quod ex occasione incurritur, usque modò reputabantur.

***

*

## QVÆSTIO XX.

### Explicatur propositio, 63. damnata à SS. P. N. Innocentio.

249 PRopositio 63. damnata à SS. P. N. Innocentio est. * Licitum est quærere directè occasionem proximam peccandi pro bono spirituali, vel temporali nostro, vel proximi.*

250 Difficillimum mihi est, quid sit quærere directè occasionem peccandi, nec video ab alijs satis explicari. Primò namque P. Corella sic id explicat. * Quærere illam directè est quando primò, & per se desideratur talis occasio, & secundariò, aut quasi per accidens desideratur aliud bonum spirituale, vel temporale; v. g. qui haberet amicitiam illicitam cum quadam muliere propter satiandum suum appetitum venereum, & prætere a propter talis mulieris alimoniam: de isto diceretur, quòd directè volebat occasionem, & indirectè alimentum dictæ mulieris. Quærere indirectè occasionem est, quando primariò intenditur aliquod bonum spirituale, vel temporale, & secundariò occasio; v. g. Pater familias, qui conducit unam famulam ad domesticum servitium cum periculo vivendi lascivè in eius societate, iste directè vult servitium famulæ, & indirectè occasionem peccandi. * Ita Corella.

251 Sed explicationem istã, quæ alijs satis clara videbitur ego non percipio. Primò enim si homo quærit primario fœminam, ut satiet appetitum venereum: ergo non quærit occasionem, sed peccatum ipsum, & de isto non potest loqui propositio damnata; quia non loquitur de intendente fornicationem; qui enim assereret, intendere directè, & primariò fornicationem esse licitum propter bonũ quodvis, damnatione non indigeret Innocentij, quia ipso sexto, & nono decalogi præcepto satis damnatus esset. Vnde exemplum ad rem non est.

252 Deinde, qui intendit occasionem pro bono spirituali, vel temporali, &c. Primariò, & per se intendit bonum illud, & solùm secundario, & per accidens occasionem ipsam; cum bonum illud se habeat, ut finis, & occasio veluti medium:

ergo

ergo si occasionem quærere directè esset illam intendere primario, & per se, implicaret in terminis propositio damnata; quia vellet directè intendi occasionem, quod est intendi propter se, & aliàs non intendi propter se, quia intenditur pro bono spirituali, &c.

253 Tertiò non magis placet declaratio quæsitionis indirectæ; nam si paterfamilias quærit, & vocat ancillam, ut serviat ipsi, prævidens ipsi occasionem peccandi futuram, directè quærit ancillam illam domi suæ habere: sed illam habere domi, est ipsa occasio: ergo directè quærit occasionem.

254 Deinde Licentiatus Prado non explicat, quid sit quærere occasionem, quasi id sit res per se nota, nec ulla indigens explicatione. Probat verò, meritò damnari propositionem. Primò quia, qui quærit directè occasionem, quærit peccatum. Secundò quia, qui eam quærit amat periculum. Tertiò, quia, qui quærit directè occasionem peccandi, quærit rem intrinsecè malam, non minus, quàm perjurium, blasphemia, &c.

255 Ego in dubium non verto, quòd propositio sit jure meritò damnata: ad quod sufficit, quòd à Summo Pastore, & veritatis regula, damnata sit. Quare tam in hac, quàm in alijs propositionibus damnatis non sum solicitus rationes quærere damnationis; nisi forte id necessarium ulterius sit ad magis cõperiendum, quid in quavis propositione damnetur, aut damnatum sit. Rationes tamen allatæ à Licentiato Prado mihi insufficientes videntur; quia ad illas facilè responderi potest juxta satis receptam doctrinam in hac materia de occasione proxima.

256 Ad primam ergo respõdeo esse petitionem principij. Aut enim quærere occasionem excusatur, *propter bonum &c.* aut non? si excusatur? peccatum non erit. Si non excusatur? dicat, quare non excusatur? & ea erit melior ratio. Supponere autem, quòd non excusatur, non est probare, sed supponere, quod probandum erat.

257 Secunda ratio etiam petit principium; nam, qui ex justa causa permanet in occasione, non dicitur amare periculum, sed permittere: ergo si *bonum spirituale aut temporala* sit justa cau-

causa quærendi occasionem, illam quærere non erit amare periculum, sed permittere. Si autem tale bonum justa causa non est, hoc erat probandum.

258 Tertia denique ratio non solùm petit principium utcumque; sed principium apertè falsum. Occasio namque proxima à peccato aliquando excusari debet apud omnes, vel fere omnes: sed sic non potest excusari perjurium blasphemia &c. ergo falsum est, quòd sit intrinsecè mala, sicut sunt ista.

259 M. Lumbier circa hanc propositionem quatuor asserit. Primum nullum posse quærere directè occasionem peccandi propter bonum spirituale proprium, vel alienum, & oppositum damnari. Secundum, posse quæri ex urgentissima causa, quando licet periculum persistat, tamen ratione circumstantiarum jam non est periculum morale. Tertium, quòd si periculum morale persistat, etiam ex urgentissima causa non potest quis occasionem quærere. Quartum denique, quòd ea causa urgentissima interveniente occasionem proximam peccandi amplecti non est directè occasionem quærere, sed indirectè, ideoque asserere id licere in eo casu non est damnatum.

260 Primum quidem ex his quatuor verum est; sed non tam explicat, quàm repetit propositionem damnatam. Secundum continet doctrinam nimis veram; quando enim periculum licet persistat in esse physico, tamen ob circumstantias extrinsecas desinit esse periculum, sanè non solùm ex urgentissima causa, sed etiam sine illa potest amplecti; quia tunc jam non est periculum proximum, sivè occasio proxima peccandi, ut dicebamus num. 212. & ipse Lumberius docet *tom.* 2. *pag.* 666. *nu.* 820. Tertium, quod asserit, consonat omnino sententiæ Patris Lopez, & aliorum asserentium ob nullam causam, quantumvis gravissimam, posse permitti pœnitentem persistere in occasione peccandi proxima, ut notavimus sup. num. 177.

261 Quartū denique, quod asserit, videtur explicare, quid sit directè occasionem quærere, scilicet, eam amplecti absque urgentissima causa. Vnde, cum ex urgentissima causa quis eam quærit, quærit eam non directè,

sed

sed indirectè; quia ea occasio est præter intentionem quærentis illam. Sed mihi adhuc per hæc non satis explicatur, quid sit directè quærere. Quia sicut quærenti occasionem ex gravissima causa, est ipsa occasio præter intentionem, sic est, præter illam, ei, qui eam quærit ex gravi causa, præsertim proportionata juxta dicta supra à nu. 178. Immo alius dicere poterit, quòd est præter intentionem occasio, si eam non intendat, sed tantùm bonum proprium, aut proximi spirituale, vel temporale.

262 Ego dum ab alio non accipio meliorem explicationē existimo sub aliorum correctione, aliud esse directè intendere occasionem, aliud eam quærere directè. Directè quidem intendere occasionem est eam velle propter ipsam: quòd ita clarè est illicitum, quòd oppositum damnatione non egeat. Indirectè verò illam intendere, est eam intendere, & velle propter aliud, quod etiam est illicitum clarè; nisi illud aliud tanti momenti sit, ut valeat illam indirectam intentionem cohonestare. De natura tamen ex his intentionibus non loquitur propositio, sed de quæsitione.

263 De quæsitione ergo sentio, esse directam, cum quis pergit ad domum fœminæ, v. g. cum qua periculum peccandi sibi imminere cognoscit: Indirectā verò, si pergat ad domum fœminæ cum qua occasionem peccandi non habebit, tamen quia in eadem domo est alia fœmina, videlicet, aut filia, aut soror, aut ancilla fœminæ, ad quam pergit, per accidens concomitanter, & indirectè, quærit eam occasionem, dum per se, & directè quærit fœminam, cū qua nullam peccandi occasionem habebit. Hoc ergo modo indirecto occasionem peccandi quærere licitum esse, non assero, sed id judicandum affirmo juxta regulas generales explicatas sup. quæst. 11. & seq. Iudico tamen id asserentē non damnari *in hac proposit.* 63.

264 Quærere autem directè, modò explicato, occasionem peccandi, existimo damnari in propositione ista, ita tamen, ut intelligantur damnari asserentes eam quæsitionem esse licitam indiscriminatim propter bonum spirituale, vel tempora-le,

le, noſtrum, aut alienum. Quia ſic vix unquam eſſet illicita quæſitio occaſionis; quia vix unquam deeſſet aliquod bonum, cuius prætextu poſſet quis occaſionis peccandi quæſitionem cohoneſtare. At verò illam directè quæri poſſe ex urgentiſſima cauſa, qualis eſſet bonum temporale, aut ſpirituale totius Provinciæ aut Regni, non damnatur. Immo nec damnatur aſſerere licitam eſſe eam quæſitionem ex cauſa, licet non urgentiſſima, urgenti tamen, & proportionata juxta regulas generales à nobis traditas à quæſt. 11. quia hæc doctrina eſt ſatis communis, & rationabilis, nec eſt conſcientiarum relaxativa, nec eam comprehendere eſt neceſſarium, ad ſalvandum rigoroſum ſenſum propoſitionis damnatæ, & eius damnationis.

## QVÆSTIO XXI.
### *An ex defectu doloris dari poſſit Sacramentum Pœnitentiæ validum, & informe?*

265 Sacramentum Pœnitentiæ validum, & informe eſt Sacramentum pœnitentiæ, quòd omnibus partibus eſſentialibus conſtat; non tamen cauſat gratiam propter obicem, ſeu impedimentum in ſubiecto repertum. Quæſtio ergo inquirit, an aliquando contingere poſſit talis defectus in dolore requiſito ad hoc Sacramentum, ut propter talem defectum Sacramentum non deficiat quò ad eſſentiam, & ſubſtantiam, non tamen ſortiatur gratiæ effectum, quod eſt eſſe validum, & informe. Prima ergo ſententia eſt negativa, quæ conſequenter aſſerit, quòd, eò ipſo, quòd pœnitens non habeat dolorem neceſſarium ad conſequendum effectum Sacramenti pœnitentiæ, nec habet dolorem ad Sacramenti valorem, & ſubſtantiam neceſſarium. Hanc ſententiã tenet P. Vazquez *quæſt.* 92. *art.* 2. *dub. unic. num.* 13. *Conink diſp.* 4. *dub.* 11. *Amicus diſp.* 12. *ſec.* 6. *Palao tom.* 4. *tract.* 23. *diſp. unic. p.* 7. *à n.* 3. *Fulienſis* 2. *p. lib.* 3. *cap.* 2. *reſol.* 6. *M. Moya tom.* 1. *tract.* 3. *diſp.* 2. *q.* 3. *M. Thyrſo tom.* 3. *diſp.* 37. *ſect.* 2. & alij apud ipſos, & apud noſtrum P. Leandrum *diſp.* 7. *quæſt.* 23.

266 Communior tamen, & verior ſẽtẽtia tenet, poſſe ex defe-

fectu doloris dari Sacramentum pœnitentiæ validum, & informe. Hanc tenet noster P. Leander nuper citatus, ac noster Ludovicus à Conceptione: *tom.* 1. *examinis tract.* 5. *q.* 2. Lugo, Suarez, & alij communiter, quorum aliquos referemus inferiùs. Probatur autem communis sententia: reliqua Sacramenta possunt esse valida, & informia: ergo etiam Sacramentum pœnitentiæ; sed ex nullo capite hoc vero similiùs contingit, quàm ex defectu doloris: ergo ex doloris defectu potest dari Sacramentum pœnitentiæ validum, & informe. Consequentia ista ultima est bona, minorque subsumpta communiter admissa, & amplius ex dicendis constabit; primum autē antecedens omnibus constat; prima verò consequentia, in qua est difficultas probatur: quia sic redditur hoc Sacramentum, ex se difficillimum, suavius, cum in casibus, quibus dicitur Sacramentum pœnitentiæ informe, liberentur pœnitentes ab iterum confitendis peccatis in eis confessis. Secundò probatur consequentia; quia quamvis conentur adversarij reddere dis sparitatem, dicendo, dolorem esse de essentia Sacramenti pœnitentiæ; unde eò ipso, quòd deficiat dolor necessarius ad fructum, deficit necessarius ad essentiam, & substantiam Sacramenti; adhuc tamen datur locus, ut probabiliter distingui possit dolor necessarius ad fructum Sacramenti, à dolore ad valorem, & substantiam illius necessario: ergo cum hoc sit favorabilius, ea distinctio admittenda est. Antecedens probatur assignando casum, in quo dari possit dolor ad valorem Sacramenti necessarius, non tamen sufficiens ad eius consequendū effectum, in cuius probabili assignatione tota secundæ, & nostræ sententiæ probatio consistit. Non tamen sunt in ea cōcordes nostræ sententiæ DD. Qua propter.

267 Aliqui dicunt, tunc cōtingere Sacramentum pœnitentiæ validum, & informe, quando pœnitens accedit sine ullo dolore. Hanc sententiam tenent Sotus, Pesantius, Ludovicus de San Iuan, D. Thomas, & Torreblanca à N. P. Leandro citati, eamdemque tenet N. Ludovicus à Conceptione *tom.* 1. *exa-*

*examinis tract.* 5. *quæst.* 2. & alij. Diversimode tamen hunc explicant casum sui defensores. Alij namque dicunt requiri dolorem existimatum. Ita Sotus *in* 4. *dist.* 18. *q.* 3. *art.* 3. *Navarrus cap.* 1. *n.* 18. *& cap.* 9. *n.* 10. *& in cap. Fratres de pœnit. dist.* 5. *n.* 35. *Bonacin. disp.* 5. *de Sacramentis q.* 3. *p.* 2. *num.* 12. *apud Palao tom.* 4. *tract.* 23. *disp. unic. punct.* 7. *nu.* 3. Alij requirunt, quòd carentia doloris sit inculpabilis, quia, videlicet, ignoratur. Alij deinde existimant, quòd, etiamsi sit culpabilis, non obstet; requirunt tamen, quòd detur erubescentia, displicentiave naturalis, in ipso confitendi modo significata. Quem modum expresè tenet N. Ludovicus: illam autem erubescentiam requirit, ut non solùm historicè peccata referantur; alium autem dolorem non requirit, nec propositum ullum; immo ait posse etiam confici validum Sacramentum cum proposito mortaliter peccandi. Et si dicas talem confessionem futuram nullam, quia non confitetur pœnitens defectum doloris, quem supponimus culpabilem. Respondet, posse talem confessionem esse integram formaliter, quia pœnitens potest invincibiliter ignorare, talem doloris defectum esse tunc confitendum eò, quòd judicet peccatum non confitendum, usque dum sit consummatum, & talem defectum non consummari ante absolutionem. Præterea dicit, quòd, si pœnitens talem defectum confiteatur, & velit confessarius cum absolvere, sacrilegè id faciet, erit tamen Sacramentum validum; talem autem defectum tenetur confiteri in alia confessione, non tamen reliqua peccata, quia defectum solùm potuit in prima confiteri, quantum ad illius propositum; quantum ad executionem verò non, quia nondum erat patratum usque ad absolutionem. Refert autem pro se D. Thomam *in* 4. *dist.* 17. *q.* 3. *art* 4. *quæst.* 1. *in corp.* cuius verbo affert *num.* 26. *Pesantium in addit. ad D. Thomam q.* 10. *disp.* 2. *de dolore pag.* 968. *in fin. primæ sent. & p.* 969. *conc.* 3. *& N. P. Franciscum a S. Iuliano in M. S. de pœnit.* Pro eadem sententia referuntur à N. P. Leandro Ludovicus de San Iuan *de pœnit. q.* 8. *ar.* 2. *dis.* 2. *pag.* 498. & Victoria *in sum. num.* 163. & tandem illam

tenet

tenet N. Christophorus à S. Ioseph *tom. 1. recept. opinion. pag. 382. num. 4.*

268 Deinde alij existimant Sacramentum pœnitentiæ tunc dari validum, & informe, quãdo adest dolor inefficax. Pro hoc dicendi modo aliquos refert P. Suarez *disp. 20. sect. 4. nu. 1. & M. Gonet disp. 10. de pœnit. artic. 1. num. 2.* citat pro eo Ledesmam, Nugnum Candidum, & M. Ioannem à S. Thoma, & pro eodem citat M. Thyrso *disp. 44. sect. 2. Navarrum in c. fratres dist. 5. num. 35. & in Manuali cap. 9. num. 13. Sotum in 4. dist. 18. quæst. 3. art. 3. a n. 5. Victoriam in sum. num. 157. M. Cano relect. de pœnit. p. 5. pag. 130 & 131. Henriquez lib. 2. de Sacram. pœnit. cap. 11. num. 3. Toletum lib. 3. sum. cap. 10. & Granados de pœnit. tract. 3. disp. 3. sect. 3. num. 19.* Ait tamen ipse Thyrso num. 91. hanc sententiam sibi probabilẽ non videri: num. tamen 92. ait, probabile esse valere Sacramentum cum proposito inefficaci bona fide. Alij deinde aliter sentiunt dicentes, requiri dolorem efficacem, non tamen necessarium esse ad valorem, quòd talis dolor supernaturalis sit. Sic sentiunt apud P. Suarez, Sotus, & Navarrus, & apud M. Thyrso *disp. 43. num. 43. Granados controversiá de pœnitentia tract. 3. disp. 3. sect. 3. num. 22.*

269 Contra omnes tamen numeratos dicendi modos est, quòd Tridentinum, & alia Cõcilia non distingvunt inter dolorem neccessarium ad valorem Sacramenti, & inter dolorem neccessarium ad eius fructum: ergo, cum dolor, qui à Concilijs requiritur, sit supernaturalis, cùm Tridentinum etiam attritionis dolorem supernaturalem vocet, & efficacem, cum dicat debere excludere voluntatem peccandi, dicendum est, adhuc ad Sacramenti valorem necessarium esse dolorem supernaturalem, & efficacem; nec sufficit, quòd talis existimetur, si revera non est; quia cum pertineat ad substantiam Sacramenti, debet esse, & non solùm existimari, ut requiritur; sicut materia Baptismi debet esse vera aqua, & non solùm existimata, sicque in alijs Sacramentis.

270 Sed pro dolore existimato obiicies: sententia, quæ profertur secundum allegata, & probata bona fide, valida est; sed

sed quando datur existimatio doloris requisiti, sic datur absolutio: ergo est valida. Confirmatur; quia materia huius Sacramenti est confessio integra; sed confessio, quæ inculpabiliter non sit integra, sufficit ad Sacramenti valorem: ergo similiter sufficiet confessio, quæ inculpabiliter non sit dolorosa.

271 Respondetur tamen ad obiectionem, distinguendo majorem: sententia, quæ profertur secundum allegata, & probata bona fide, valida est, si non adsit defectus substantialis, concedo majorem: si adsit, nego majorem, & similiter distincta minori, nego consequentiam, quia defectus veri doloris est defectus substantialis. Ad confirmationem autem respondetur etiam distinguendo majorem: materia huius Sacramenti est confessio integra in re, & materialiter, nego majorem, in existimatione, & formaliter, concedo majorem, & concessa minori, nego consequentiam; quia eo ipso, quòd confessio sit non integra inculpabiliter, est solùm materialiter non integra, & formaliter integra est. Ratio autem, cur ad Sacramentum sit necessarius dolor in re, & non confessio in re integra, est, quia confessio integra in re sæpè non expedit, sæpeq; est impossibilis humano modo; unde est incapax, ut sub necessitate constituatur, dolor autem semper est in re moraliter possibilis semper expediens, imò necessarium est ex natura rei, quòd detur formaliter, aut virtualiter ad remissionem peccati, unde mirùm non est, quòd sub necessitate ponatur.

272 Deinde obijcies ad probandum nullum requiri dolorem; quia ex institutione huius Sacramenti Ioannis 20. *quorum remiseritis peccata, &c.* solùm colligitur esse de huius Sacramenti essentia confessionem, & absolutionem: ergo dolor non erit necessarius ad substantiam, & valorem Sacramenti. Respondeo negando antecedens, quia etiam colligitur dolor; accusatio enim verè non est accusatio, si dolorosa non sit: cumq; hoc judicium sit internum, debet dari verus, internusque dolor, & non sola exterior apparentia: & cum iste dolor assignetur à Tridentino efficax, & supernaturalis, quin de alio men-

tionem faciat, talis erit necessarius ad substantiam, & valorem Sacramenti.

273 Denique pro dolore naturali obijcies. Confessio naturalis sufficit ad hoc Sacramentum; immo ad Baptismũ aqua, & verba naturalia: ergo etiam sufficiet naturalis dolor. Multum probat argumentum, scilicet, quòd etiam ad fructum sufficiat. Respondeo negando cõsequentiam. Disparitas est, quia dicta in antecedenti non concurrunt ut dispositio ex natura rei ad gratiam, sed ut per accidens elevata; attritio autem concurrit, ut dispositio ex natura rei, unde supernaturalis debet esse, quia dispositio, & forma debent esse in eodem ordine.

## QVÆSTIO XXII.

### *In quo tandem casu dari possit Sacramentum pœnitentiæ validum, & informe ex defectu doloris.*

274 Siquidem in nullo ex casibus assignatis *q. præced. num.* 267. & 268. judicamus dari posse ex defectu doloris Sacramentum pœnitentiæ validũ, & informe, restat nobis assignare alium casum, in quo validum, & informe Sacramentum evadat ob doloris defectum. Dicimus ergo, Sacramentum pœnitentiæ validum, & informe tunc contingere, quando datur verus dolor efficax, & supernaturalis, non tamen se extendit ad omnia mortalia commissa, inculpabiliter tamen. Sic sentiunt N. P. Leander *quæst.* 23. *citata. Lugo disp.* 14. *sect.* 6. *Suarez disp.* 20. *de pœnit. sect.* 5. *Granados tract.* 3. *disp.* 3. *sect.* 3. *num.* 17. & novissime M. Gonet *disp.* 10. *de pœnit. num.* 11. pro ea referens Philipum à SS. Trinitate, atque etiam Ledesmam, Nugnum, & Candidum, eamque M. Thyrso absq; dubio probabilem esse dicit *disp.* 43. *num.* 48. Probatur autem nostra conclusio; quia in posito casu habet Sacramentum quidquid requiritur ad eius valorem, & essentiam, & non habet quidquid requiritur ad causandam gratiam: ergo est validum, & informe. Consequentia patet. Antecedens probatur quò ad primam partem; quia cum detur confessio aliquorum peccatorum cum efficaci, & super-

pernaturali dolore, nihil ex essentialibus deficit ad Sacramentum, posita absolutione. Secunda autem pars probatur; quia nullum peccatum potest remitti sine dolore ipsum retractante, cumque in dicto casu sint aliqua peccata mortalia, ad quæ dolor non extenditur, non retractantur, & consequenter non remittuntur, cumque illis non remissis, nequeat gratia infundi, aut alia mortalia remitti, in dicto casu nec gratia infunditur, nec remittitur ullum peccatum, & consequenter non habet in eo casu Sacramentum, quidquid requiritur ad causandam gratiam.

275 Sed inquires? quomodo contingere potest, quòd dolor non se extendat ad omnia peccata, sed solùm ad aliqua. Respondeo id contingere, cum quis dolet ob motiva particularia, quæ non ad omnia peccata se extendant. Sit exemplum: commisit quis decem furta & duo sacrilegia; cum autem ad confessionem accedit, non recordatur sacrilegiorum, sed solùm furtorum, dolet autem de illis propter specialem injustitiæ turpitudinem, iste dolor non extenditur ad sacrilegia, quia in illis non est turpitudo injustitiæ: hic ergo est casus noster Sacramenti pœnitentiæ validi, & informis. Si autem dolor furtorum esset ob motivum universale, videlicet, quia sunt offensa Dei, vel quia merentur inferni pænam, aut amissionem gloriæ; jam dolor virtualiter se extenderet ad sacrilegia, & Sacramẽtum fieret formatum.

276 Sed objicies primo: implicat dari dolorem sufficientem ad valorem Sacramenti, qui non extendatur ad omnia peccata commissa: ergo implicat casus assignatus à nobis. Probatur antecedens: dolor sufficiens ad huius Sacramenti valorem, est reconciliativus; sed eo ipso se extendit ad omnia peccata commissa: ergo implicat dolor ad valorem huius Sacramenti sufficiens, qui non se extendat ad omnia peccata commissa. Major constat; quia hoc Sacramentum vocatur à Tridentino reconciliativum. Minor autem probatur. Eo ipso, quòd dolor sit reconciliativus, videlicet, elicitus ex desiderio se reconciliandi cum Deo, peccator habet veram peccati detestationẽ,

& propositum non offendendi amplius Deum: ergo talis dolor se extendit ad omnia peccata. Antecedens constat, aliàs dolor non esset verè, sed fictè reconciliativus; consequentia verò probatur; quia qui verè detestatur peccatum, ut se cum Deo reconciliet, licet possit non cogitare de aliquo peccato commisso, tamen omnino paratus est, quodcumque peccatum detestari, si menti occurrant: ergo virtualiter omne peccatum detestatur. Hoc argumento utitur Conich *disp*.4. *num*. 73. illudque etiam valde urget Amicus citata *disp*. 12. *sect*. 6. *a num*. 104. *usq;* 107. cuius doctrinam amplius declarat num. 113.

277 Respondetur tamen negando antecedens; ad cuius probationem nego minorem, & ad huius probationem nego consequentiam, ad cuius probationem, concesso antecedenti, distinguo consequens: ergo virtualiter omne peccatum detestatur, virtualiter impropriè concedo consequentiam; virtualiter propriè, nego consequentiam. Explico distinctionem, & dico, quòd quando quis habet actum sufficientem imperare detestationem cuiuscumq; peccati, quod menti occurrat, potest dici virtualiter detestari illud peccatum, impropriè tamen quantum ad præsens attinet. Quando verò actus aliquis non solùm potest imperare detestationem, sed eam implicitè in se imbibit, talis actus dicitur virtualiter detestatio propriè, quantum ad præsens attinet: sic actus amoris Dei super omnia virtualis est detestatio cuiuscumque peccati commissi, quia non solùm eam potest imperare, sed etiam eam implicitè includit; eò enim ipso, quòd diligit Deum super omnia, est paratus perdere omnia, ne Deum offendat, & odit implicitè quamcumque eius offensam; sicut qui se diligit, sua mala implicitè odit, quod est implicitè respicere objectum detestationis, illiq; æquivalere. Vide citatum Lugum num. 78. & 79. atque etiam 85.

278 Secundò obijcies: cum affectu ad peccatum mortale nequit stare validum Sacramentum pœnitentiæ; sed cum dolore, qui se non extendit ad omnia peccata est compossibilis affectus ad aliquod mortale ex illis, ad quæ non se extendit doloris mo-

motivum: ergo talis dolor sufficiens non est ad valorem Sacramenti. Respondetur concedēdo majorem, & minorem, & negando consequentiam; quia cū dolor ille possit etiam reperiri sine affectu ad ullum peccatum, potest aliquando ad validum Sacramentum sufficere; quòd enim, quando coniungitur cum tali affectu, non sufficiat, non provenit ex non extensione doloris, sed ex eo, quòd juxta cōmunem sententiam satis fundatam in verbis Tridentini, quamvis ad Sacramentum pœnitentiæ non requiratur dolor universalis, requiritur tamen propositum universale; unde in eo casu defectu universalitatis propositi deficit Sacramentum. Quod si dicatur cum quibusdam Recentioribus apud Lugo, etiā non requiri propositum universale, sed solùm de peccatis confessis; dicendum tamen, quòd requiritur, saltim, quòd excludatur omnis voluntas peccandi; unde, quia ista non excluditur, & non quia dolor non extenditur, erit invalidum Sacramentum in argumenti casu.

279 Et si inquiras? cur potius requiratur propositum universale, quàm dolor universalis? respondeo cum Lugo à nu. 81. rationem esse 1. quia id ita videtur præscribi à Tridentino, cum dolorem dicat esse debere de peccato non absolutè, sed præterito, propositum autem dicat absolute non peccandi de cætero. Secundo est ratio natura utriusque actus, quia dolor cum sit retractativus, solùm fertur ad peccata commissa, quia ea tantum sunt apta retractari; propositum autem æqualiter potest ad omnia ferri. Tertio est ratio, quia homo admittitur per reconciliationem ad Dei amicitiam: ad hoc autem magis per se est necessarium propositum circa futura, quàm dolor circa præterita; quia qui se tradit in servum, vel amicum, proponere debet in omnibus, & non tātum in aliquibus, amici, aut domini exequi voluntatem, dolere autem de præteritis non ita absolutè requiritur, sed solùm sub conditione, quòd commissa fuerint.

280 Sed dices: eo ipso, quòd quis habeat propositum universale, habet etiam universalem dolorem: ergo non stat requiri propositum universale, & non re-

requiri universalem dolorem. Antecedens probatur: propositum universale habet motivum universale; sed illud motivum non solùm movet ad propositum, sed etiam ad dolorem, quia non stat proponere efficaciter non committere peccata, quin detur etiam dolor, quòd similia peccata commiserit: ergo non stat propositum universale sine universali dolore.

281 Respondetur tamen negando antecedens, ad cuius probationem primò permissa majori, nego minorem; quia quamvis, qui detestatur peccatum ex motivo universali, virtualiter habeat propositum universale, non tamen ita, qui proponit ex universali motivo, detestatur, & dolet de peccato universaliter. Ratio est: quia non ita est de ratione propositi dolor, & detestatio præteriti, sicut de ratione detestationis propositum futuri; qui enim de præteritis culpis dolet, easque detestatur, vult iterum, saltim virtualiter, similes non committere, quia in vi illius actus si modo aliquam culpam similem eis, de quibus dolet, commiteret, sibi contradiceret, cum vi detestationis velit furtum verbi gratia, quantum est de se, destruere, & nunc novum furtum velit existere. Secundò ad antecedentis probationem respondeo, distinguendo majorem, propositum universale habet motivum universale, circa futura, concedo majorem; circa præterita, nego majorem; non enim semper motivum, quod est universale circa futura, universale etiam est circa præterita; nam potest moveri ad proponendum ex ingratitudine, quæ resplendet in reincidentia, quæ non comprehendit primum peccatum præteritum, quòd non habet reincidentiæ malitiam: unde quamvis possit movere ad proponendum de omnibus peccatis in futurum, non tamen ad dolendum de omnibus præteritis.

282 Vltimò obijcies, quòd, ut nos ipsi dicebamus num. 269. Concilia non distingvunt inter dolorem necessarium ad valorem Sacramenti, & inter necessarium ad illius fructum: ergo dolor cum extensionis defectu, aut erit insufficiens ad valorem, aut sufficiens ad Sacramenti fructum. Respondetur, concesso antecedenti, distinguendo con-

consequens, illudque concedendo de dolore illo secundum se sumpto, negando tamen de illo dolore, ut per accidens coniuncto cum peccato, ad quod non se extendit. Itaque dolor ille, qui se extendit ad peccata furti, habet quidquid Concilia requirunt ad valorem, & fructum, quia est efficax, & supernaturalis; quòd autem non cōsequatur fructum convenit ei, ex eo, quòd in pœnitente non solùm præterierint peccata furti, sed etiam sacrilegij, & quia horum non datur dolor, ponitur obex ad gratiam; unde si pœnitens recordaretur peccatorum sacrilegij, & doleret etiam propter speciale motivum, dolor peccatorum furti non mutaretur; & tamen deserviret ad Sacramentum, non solùm validum, sed etiam fructuosum. Vide Lugum *sect.* 7. *a num.* 90. *usq. ad* 97.

283 Pro huius quæstionis complemento nota 1. Paulò aliter posse casum nostræ conclusionis assignari, videlicet casu quo, quamvis nullius peccati pœnitens obliviscatur, tamen aliquorum peccatorum, quæ cōfitetur dolorem non habet, invincibiliter, quod ad illum teneatur, ignorans, tunc enim locum habet tota doctrina à nobis in casu oblivionis tradita.

284 Nota 2. aliquos Doctores ex alio valde diverso capite assignare Sacramentum pœnitentiæ validum, & informe, videlicet, ex defectu examinis. Ita tenet Ledesma, Nugno, Cādidus, & M. Ioannes à S. Thoma apud M. Gonet *disp.* 10. *de pœnit. art.* 1. *num.* 2. & alij commemorati à M. Thyrso *disp.* 43. *num* 80. Contra istam tamen sententiam, quam iudico falsā, est quòd ille defectus si non est culpabilis, aut est culpabilis solùm venialiter, non potest impedire fructum Sacramenti; si vero sit mortaliter culpabilis, aut advertit pœnitens defectum ante absolutionem, aut non: si non advertit, Sacramentum erit validum, & formatum, si cætera adsint requisita: sicut validum, & formatum efficitur, cū quodvis aliud peccatum non advertitur inculpabiliter. Si autem talem defectum culpabilem advertat ante absolutionem, aut illud confitetur, aut non: si non confitetur, validum non erit Sacramentum, sicut, dum quodvis

vis mortale scienter omittitur, defectu integritatis confessionis. Si verò illum confitetur defectum cum dolore requisito, efficiet Sacramentum validum & formatum. Notandum tamen; quòd tunc non sufficiet dolor elicitus antequam committeretur defectus, quia ille retractatus est per peccatum in defectu examinis commissum; sed novus dolor post ipsum defectũ est necessarius. Deinde notandum, quòd, si, dum advertit defectum, potest illum supplere amplius se examinando, debet illum supplere, nec sufficiet tũc defectum confiteri, sed solùm quando res ita se habet, ut oporteat jam illum confiteri, non expectando maius examen.

## QVÆSTIO XXIII.

### *Explicatur propositio 57. damnata à SS. P. N. Innocentio XI.*

285 PRopositio 57. à SS. P. N. Innocentio XI. damnata est. * Probabile est sufficere attritionem naturalem modò honestam. * Probabile quidem esse, sufficere attritionem naturalem ad valorem Sacramenti pœnitentiæ dicere debent Doctores asserentes Sacramentum pœnitentiæ validum, & informe contingere, quando pœnitens accedit cum dolore naturali, quos commemoravimus supra n. 268. Immo alij etiam non pauci, qui quamvis eam sententiam non judicent veram, eam judicant probabilem. Deinde probabile esse, aut etiam verum, quòd ad fructum Sacramenti pœnitentiæ sufficiat dolor, sive attritio naturalis, tenuerunt aliqui apud M. Moya *tom.* 1. *tract.* 3. *disp.* 5. *quæst.* 4. *à num.* 6. dicentes attritionem naturalem, quamvis extra Sacramentum non sufficiat ad consequendam gratiam, ad illam tamen; in Sacramento cõsequendam sufficere.

286 Est ergo difficultas vix superabilis, quodnam istorum affirmet propositio damnata? & consequenter, quodnam istorũ sit in ea damnatum reputandũ? Cum enim possit affirmari, sive verè, sive falsò, attritionem naturalem sufficere ad aliquod istorum, vel ad utrumque, & propositio dicat esse probabile sufficere, non explicando, aut ullatenus indicando ad quodnam illo-

illorum sufficiat, videtur non posse, nisi divinando, dici, quodnam istorum affirmet propositio, seu quòd idem est, quodnã sit damnatum.

287 Damnari sufficientiam doloris naturalis ad valorem affirmant M. Hozes, Lumbier, & Corella, licet Lumbier oppositam santentiam supponat ut veram tom. 2. n. 1237. Inclinat tamen in negativam sententiã Torrecilla, licet tandem se nihil decernere protestetur. Adhæreo ego communi sententiæ affirmanti damnari eam sufficientiam attritionis naturalis ad valorem. Quod sic probo: propositio damnata eo ipso, quòd sit damnata, debet esse falsa: sed si non damnaretur sufficere ad valorem, sed solùm sufficere ad fructum, non esset falsa: ergo damnatur sufficere ad valorẽ. Minor probatur: si non damnaretur sufficere ad valorem, verum esset, quòd sufficeret ad valorem, saltim ex vi damnationis: ergo etiam, quòd sufficeret absolutè, & indeterminatè, hoc est, non determinando, an ad valorem, an ad fructum; quia indeterminatum verificatur per determinatum, sic enim verificatur, quòd aliquis homo currit, ex eo quòd Petrus currit. Sed propositio ipsa damnata sic indeterminate affirmat esse probabile, quòd attritio naturalis sufficiat: ergo, si non damnaretur sufficientia ad valorem, propositio damnata esset vera, & minimè falsa. Cum ergo hoc dici non possit, de primo ad ultimum dicendum damnari sufficientiam ad valorem.

288 Quòd autem sufficientia ad fructum etiam damnetur, supponunt omnes explicantes hanc propositionem, præter Magistrum Hozes, qui ex eo probat damnari sufficientiam ad valorem, quòd sufficientia ad fructũ non potest dici damnari, quia ea non eget damnatione. Sed ratio ista firma non est. Tum quia, cum aliqui Doctores antiqui tenuerint attritionem naturalem sufficere ad fructum Sacramenti; quamvis ea sententia jam probabilis non reputaretur, forsan aliquis potuit eam suscitare velle, vel saltim probabilẽ esse contendere, & cum nobis non constet, an ita factum sit, vel non, non potest constare, quòd damnatione non egeat. Tum etiam, quia dicta ratio probat,

hat, quòd non sit damnata sola sufficientia ad fructum, non verò, quòd ea simul cum sufficientia ad valorem damnata non sit. Et hoc solùm forsan intendit Hozes.

289 Sentio ergo damnari etiam sufficientiam ad fructum. Ratio est, quia ut in decreto damnetur sufficientia ad fructũ, sufficit, quòd in eo decreto ea sufficientia decernatur, ut falsa, & improbabilis; sed talis decernitur in decreto: ergo damnatur. Probo minorem; sufficientia ad fructum includit necessariò, & indispensabiliter sufficientiam ad valorem: sed sufficientia ad valorem decernitur in decreto falsa, improbabilis, & scandalosa: ergo etiam sufficientia ad fructum. Vnde, etiam dato, quòd sufficientia ad fructum non damnetur immediatè, & in se, quia damnatione non indiget; necessariò tamen damnatur eo, quòd eius falsitas, & damnatio contineatur in falsitate, & damnatione sufficientiæ ad valorem.

290 Ex dictis inferes 1. damnari in hac propositione sententiam asserentem, quòd, quando datur dolor efficax non supernaturalis, sed naturalis, detur Sacramentum pœnitentiæ validum, & informe; cum expressè damnetur, quòd dolor naturalis sufficit ad Sacramenti valorem: quam sententiam cõmemoravimus supra n. 268.

291 Secundò inferes damnari etiam sententiam asserentem dari Sacramentum pœnitentiæ validum, & informe, quando pœnitens nullum affert dolorem, sive culpabiliter, sive inculpabiliter; sive habeat dolorem existimatum, sive non; atque etiam; sive habeat erubescentiam naturalem, sive illâ careat, de quibus mentionem fecimus num. 267. Ratio autẽ est, quia omnia, & singula prædicta sunt minus, quàm dolor efficax naturalis: ergo dum damnatur, quòd ad valorem sufficiat dolor efficax naturalis, damnatum intelligitur, quòd ea omnia, aut singula similiter ad valorem sufficiant.

292 Tertiò inferes non damnari absolutè sententiam asserentem dari posse Sacramentum pœnitentiæ validum, & informe, quia ex damnatione solùm sequitur, quòd illud non efficiatur, cum dolor est naturalis, & à for-

fortiori cum nullus. Vnde probabile est modo, sicut ante decretum, quòd possit dari Sacramentum pœnitentiæ validum, & informe ex defectu extensionis doloris: quàm sententiam nos defensavimus quæst. præcedenti. Deinde probabilis est, sicut ante decretum, sententia affirmans fieri Sacramentum validum, & informe, quando dolor est inefficax, est tamen supernaturalis: quam sententiã commemoravimus num. 268. eamque impugnavimus à n. 269. Denique est similiter probabilis sicut antea sententia affirmans, dari posse Sacramentum pœnitentiæ validum, & informe ex defectu examinis, quam commemoravimus, & impugnavimus num. 284.

293 Nota tamen; quòd P. Corrella *tract.* 2. *num.* 8. ex eo, quòd non sit damnata sententia, affirmans dari posse Sacramentum pœnitentiæ validum, & informe, infert duas resolutiones sic. * Vnde infertur, quòd qui multo tempore permansit in cõsuetudine, seu occasione peccãdi, & bona fide confitebatur, non debet repetere illius temporis confessiones, quamvis aliàs essent informes. Infertur 2. quòd qui propter ignorantiam (licet vincibilem) omisit in confessione aliquod peccatum, judicando erroneè, quòd non erat peccatum, sive quòd non erat mortale, non tenebitur reiterare confessiones, in quibus illud omisit, sed sufficit, quòd accusetur de tali peccato omisso. Ita cum Navarro, Vazquez, & alijs Diana *pag.* 3. *tract.* 4. *resol.* 108. * Ita Corella.

294 Sed circa 1. illationem nota, quòd supposita bona fide, quàm supponit ipse Corella, si pœnitens in eis confessionibus habuit verum dolorem supernaturalem, & efficacem, confessiones non solùm fuerunt validæ, sed etiam fructuosæ. Si verò habuit dolorem solùm naturalem, nec validæ, nec fructuosæ fuerunt, ut ex dictis in hac quæst. constat. Si verò habuit dolorem supernaturalem, sed inefficacem, juxta nostram sententiam sunt invalidæ, & repetendæ; juxta sententiam verò asserentem ad validum, & informe Sacramentum sufficere talem dolorem, quam non damnari diximus num. 282. excusari-

ri potest repetitio, ut affirmat Corella.

295 Secunda autem Corellæ illatio displicet omnino: quia eo ipso, quòd ignorantia sit vincibilis, non excusat à mortali omittentem confiteri peccatum; si autem à culpa non excusat eam omissionem, ergo culpabiliter omittit mortale in confessione: quòd sufficit, ut tota confessio sit nulla, & omnino iteranda, ut constabit ex dicendis *disp. seq. quæst.* 23. Nec verum est, quòd sententiam Corella teneat, Diana, & DD. ab ipso citati; tam enim ipse Diana l. c. quàm Navarrus *in c. fratres de pœnit. dist.* 5. *num.* 82. *Vazquez q.* 92. *in* 3. *p. art.* 3. *dub.* 1. *num.* 7. *&* 8. *Reginoldus tom.* 1. *lib.* 6. *cap.* 5. *sect.* 3. *num.* 153. *& Sylvest. ℣. Confess. q.* 3. mentionem faciunt de quodam errore, seu conscientia erronea, & de quadam ignorantia in eo errore quasi fundata: v. g. puer putabat pollutionem voluntariam non esse peccatum, aut mortale non esse; & quamvis iste error fuerit vincibilis, & ideo á mortali non excusarentur pollutiones, postea ex isto errore, cum ad confessionem accedebat, ignorantiam habebat, quòd illas pollutiones confiteri teneretur. De hac ergo ignorantia non dicunt, quòd *quamvis fuerit vincibilis*, sed solùm de illo errore; P. vero Corella id ignorantiæ applicauit: & ideo aliam doctrinam tradit, quam nec tenet, nec refert Diana, nec DD. ab ipso commemorati; sed potius oppositam non tam tradunt, quam supponunt.

## *QVÆSTIO XXIV.*

### *An ex alio adhuc capite possit dari Sacramentum pœnitentiæ validum, & informe. Vbi explicantur propositiones 17. 64. & 65. damnatæ à SS. P. N. Innocentio XI.*

296 PAter Gaspar Hurtadus de poenitentia *disp.* 6. *diff.* 8. Pœnitentiæ Sacramentum validum & informe contingere posse affirmat ex defectu actus expressi fidei, vel spei. Existimat enim harum virtutum actus necessariò eliciendos expresse, ad recipiendam primam gratiam in Sacramento pœnitentiæ; quia sine illis non potest peccator justificari: cumque possit

sit habere attritionem, & alias partes essentiales Sacramenti pœnitentiæ, sine actibus expressis fidei, & spei, sequitur, quòd ex una parte, sine istis, sit Sacramentum validum, & ex alia, sine eisdem, non sit fructuosum, aut conferens gratiam. quod est esse validum, & informe.

297 Sed oppositam sententiam, ut sibi certissimam docet N. P. Leander *tom.* 1. *tract.* 5. *disp.* 1. *q.* 49. Quia ut homo in mortali existens justificetur, sive per contritionem, sive per attritionem, cum Sacramento, non est necessarium, quòd actualiter explicitè eliciat actus fidei, & spei, sed sufficit, vel quòd virtualiter, & implicitè eliciat illos, vel quòd illos elicuerit. Virtualiter autem, aut implicitè eliciuntur eo ipso, quòd contritio, vel attritio eliciatur; quia attritio includit spem veniæ, & spes sine fide stare non potest. Vnde, præterquam, quòd elicuisse actus prædictos explicite aliquando sufficit, dummodo per contrarios actus non fuerint retractati; præter hoc, inquam, non stat dari attritionem sufficientem ad valorem Sacramenti pœnitentiæ, & non dari actus implicitos fidei, & spei ad justificationem necessarios.

298 Quam doctrinam, quia in materia gravissima versatur, etsi firma non esset, plurimis scrupulis aditum aperiret, pluribus confirmat N. P. Leander *citata q.* 49. *& antecedenti* 48. inter quas, ad omnes, sedandos scrupulos satis est ea, quam tertio loco adducit quæst. 49. per hæc verba. * Tertiò id ipsum probo clarè, ex praxi omnium fere hominum, etiam sapientium, & timoratæ conscientiæ (quos plurimos vidi, consului, & cum quibus serio de hac re tractavi) qui cum ad justificationē recipiendam per Sacramentum pœnitentiæ se præparant, nunquam de eliciendis his actibus expressis curant; nec aliquando de defectu horum actuum explicatorum, nempè fidei, & spei, in confessione se accusant; neq; confessarij, etiamsi doctissimi, de præfato defectu interrogant: signum ergo evidens morale est, illos actus explicitos requiri nunquam ad hoc, ut Sacramentum pœnitentiæ sit formatum. *Ita N. P. & P. Torrecilla tenet eius sententiam in expositione propositionis 65. *num.* 5. *&*

*& tract. 2. conſulta. 12. ſecundæ edit.* & utrobique ex ipſo, ratione à nobis nunc allata, confirmat.

299 Nota tamen, quòd oppoſitam ſententiam tenet M. Lumbier *in explicatione propoſitionis 64. num.* 653. ubi dicit ſibi indubitabile, quòd quoties quis de novo ſuſcipit Sacramentum pœnitentiæ, debet etiam de novo actum explicitum fidei elicere. Nihilominus ex eius doctrina magis confirmatur doctrina ipſa N. P. Leandri. Ipſe enī Lumbierius dicit actus fidei, & ſpei contineri in contritione, aut attritione: cumque ſemper iſta neceſſaria ſit ad Sacramentum pœnitentiæ, ſemper etiam erunt neceſſarij actus fidei, & ſpei expreſsè eliciti. Cum ergo N. P. Leander non neget requiri ad Sacramentum attritionem ſaltē, & fateatur in ipſa implicitos actus elici fidei, & ſpei, jam ſolo nomine differunt, dum explicitos eos actus vocat Lumbier, quos N. P. vocat implicitos, quia in attritione ita ſunt imbibiti, ut neque ab ipſo pœnitente diſcernantur. Vnde N. P. melius loquitur ad ſedandos ſcrupulos. Et non ſolum melius loquitur, ſed etiam proprius, & formalius, ſi attendamus ad intentum ipſius. Ipſe utiq; diſputat contra Hurtadum aſſerentem requiri actus expreſſos fidei, & ſpei ad Sacramentum pœnitentiæ formatum, ſeu fructuoſum, & utique diſtinctos ab actu attritionis, cum dicat poſſe iſtum ſine illis reperiri, & tunc contingere Sacramentum informe. Hos ergo actus expreſſos diſtinctos ab actibus imbibitis in actu contritionis, vel attritionis negat N. P. Leander requiri ad juſtificationem in Sacramento pœnitentiæ, quidquid ſit, an illi, qui imbibiti ſunt in attritione, dici in alio ſenſu non improprio poſſint expliciti, ſive expreſſi.

300 Et quidem P. Corella *in ſua praxi tract.* 1. *num.* 22. exiſtimat per eos actus in attritione imbibitos ſatisfieri præceptis fidei, & ſpei: *& in tr. 2. nu.* 253. Idem repetit, & N. P. Leandro annuit, quatenus concludit dicens. * Itaque ſufficit excitare, & movere nos ad contritionem, ſeu attritionem, quin attendamus directè ad actum fidei unius Dei remuneratoris. * Conſonat etiam ſibi, & doctrinæ P.

Corellæ, N. P. Leander *tom. 6. tract. 3. disp. 2. in fine:* ubi tradit doctrinam, quam ego in operũ illius compendio n. 1014. his verbis refero. * Præcepto affirmativo ſpei facillimo negotio fit ſatis. Primò enim ei ſatisfaciunt fideles, cum propoſitum habent nunquam peccandi mortaliter. Secundò, cum de peccatis dolent. Tertio, cum pia opera piè exercent. * Ita comp.

301 Suppoſito tamen, quòd ſufficiat ad juſtificationem obtinendam ſemel credidiſſe myſteria fidei, ſemelque actum ſpei elicuiſſe, adhuc in hac materia non raro occurrere poſſunt difficultates non leues circa fidei actum explicitum. Si enim occurrat puer, vel quod peius eſt, homo nimis ruſticus, qui neſciat myſteria fidei, adhuc illa, quæ neceſſitate medij credenda ſunt, nec illa unquam ſciuerit, quid faciet cum eo confeſſarius? Reſpondeo, quòd de his, quæ tum neceſſitate medij, tum neceſſitate præcepti credenda ſunt, ac de obligatione ea ſciendi, tractat N. P. Leander *tom. 6. tract. 2. disp. 2. per totam, & habentur in meo comp. a num. 975. ad num.* 990. Et ad rem præſentem faciunt ibi tradita n. 988. per ſequentia verba.

302 Pœnitẽs ignorãs ea, quæ neceſſitate medij ſunt ad ſalutẽ neceſſaria, certè abſolvi non poteſt, niſi prius á confeſſario inſtruatur, ita, ut eorum fidem explicitam concipiat, & accuratius, & plenius ea addiſcere proponat; qui autem neceſſaria ſolùm neceſſitate præcepti ignorat ſolùm quò ad uerba, ſcit verò quo ad res, eſt abſque dubio abſoluendus; ſi verò etiam quo ad res ea ignoret, ſi dolet de negligentia, & propoſitum habet emendæ, abſolvendus, ſicut alij relapſi; ſi tamen ſæpeſæpius admonitus nullam diligentiam adhibeat, differenda eſt abſolutio, quo uſque ſupradicta ſciat, vel ſaltem ſcire incæperit. Et addit Sanchez in praxi, numquam, aut rariſſimè denegandam abſolutionem ob doctrinæ Chriſtianæ ignorantiam; quia ruſtici ignorantes non habent commode Doctorem: & confeſſor poteſt illos inſtruere, nec ipſi majorem addiſcendi capacitatem habent. Confeſſarij autem tenentur interrogare pœnitentes doctrinã Chriſtianam, non omnes, ſed eos, quos probabiliter judicant

eam ignorare, quia tenetur interrogare peccata, quæ, verisimile est, pœnitentem commisisse. Ita compendium.

303 Sed ad rem etiam facit, quod habetur in eodem compendio num. 986. per hæc verba. * Qui autem ita rudes sunt, & agrestes, ut ea, quæ in symbolo, aut articulis continentur, nec memoriâ percipere, nec sensum intelligere possunt, excusantur ab eis explicitè credendis, atque sciendis; quibus tamen non sufficit, si semel audiant ea, & non intelligant; sed curare debent sæpius de illis instrui, & cogitare. *

304 Objicies tamen: semel credidisse, & semel actum spei elicuisse satis esse, videri jam improbabile, & scandalosum; cum propositio 17. damnata à SS. P. N. Innocentio XI. sit. * Satis est actum fidei semel in vita elicere. * Et similiter propositio 65. ab eodem Pontifice N. damnata sit. * Sufficit illa Mysteria semel credidisse. * Loquitur autem de Mysterijs Fidei, & præcipuè de Mysterijs SS. Trinitatis, & Incarnationis.

305 Respondeo in dicta propositione 17. damnari eum, qui dixerit esse satis actum fidei semel in vita elicere, quin per se, nec per accidens ad amplius teneatur. Quod nec est contra dicta in hac quæstione à nobis, nec contra dicta à N. P. Leandro in tota disput. 2. citata. Ibi enim pluries teneri, saltim per accidens, fidelem ad actus fidei eliciendos docet. Et adhuc ipse damnat asserentes per se semel tantum ad eum actum teneri in vita, non determinando tempus. Ipse utique designat tempus obligationis, videlicet, statim post rationis usum, & propositionem Mysteriorum, ac obligationis ea credendi. Vnde ex utroque capite eius doctrinā non comprehendit damnatio.

306. 65ta autem propositio similiter non comprehendit doctrinam traditam à N. P. Leandro in ea disput. 2. quia, cum ipse plures casus assignet, in quibus saltim per accidens, tenetur homo elicere actus fidei, etiam postquam semel illos elicuit, dici minimè potest ipsum affirmare, quòd sufficiat mysteria fidei semel credidisse. Quòd autem nos asservimus, etiam cum ipso, sufficere ad justificationē in Sacramento pœni-

nitentiæ, quòd pœnitens ſemel crediderit, differt valde à doctrina huius propoſitionins 65. quia in hac aſſeritur ſatis eſſe ea myſteria ſemel credidiſſe; unde infertur, quòd non tenebitur illa ſecundò, & tertiò credere, nec per ſe, nec per accidens; nos verò aſſerentes ſufficere illa myſteria ſemel crediſſe, & aſſenſum non retractaſſe, ut poſſit juſtificari in Sacramento pœnitentiæ, nec excludimus actũ fidei in ipſa elicientia attritionis imbibitum, nec obligationem eliciendi in alijs occaſionibus ſive per ſe, ſive per accidens, actus fidei; ſed ſolam obligationem eliciendi actum expreſſum fidei non imbibitum in attritione, & ab ea ſeparabilem, quem contendebat Hurtadus, ut Sacramentum pœnitentiæ gratiam conferat, & conſequenter ſit validum, & fructuoſum. Vnde non tollimus, quòd ex aliis capitibus, & ad alios fines pluſquam ſemel, & iterum ſit neceſſarium talem actum elicere.

307 Secundò objicies; Propoſitio 64. damnata ab eodem Pontifice N. Innocentio eſt. * Abſolutionis capax eſt homo, quantumvis laboret ignorantiâ Myſteriorum fidei, & etiamſi per negligentiam, etiam culpabilem, neſciat Myſterium SS. Trinitatis, & Incarnationis Domini N. Ieſu Chriſti. * Sed nos dicimus ex N. P. Leandro, quòd poteſt abſolvi: ergo incidimus in propoſitionem damnatam.

308 Reſpondeo; in ea propoſitione damnari aſſerentem abſolutè capacem eſſe abſolutionis prædictum culpabiliter ignorantem: quod falſum eſt, & damnatur, utpote, quia talis pœnitens eſt in peccato mortali, & in illo actualiter perſeverat. Nos autem cum N. P. Leandro, aut ex ipſo dicimus poſſe abſolvi, ſi prius inſtruatur in præcipuis Myſterijs, & circa illa actũ fidei eliciat, proponatque ſatisfacere obligationi ea addiſcendi: quod valde diverſum eſt, & in hoc caſu ceſſat peccatum mortale, cum ignorantiæ pœniteat, eam auferre proponat, & jam actum fidei eliciat. Quare eandẽ doctrinam à N. P. Leandro traditam diu ante decretum tradunt etiã poſt decretũ comuniter DD. explicãtes eã 64. propoſitionẽ, judicãtes eã nõ damnári, aut prohiberi in dicta propoſitione, aut eius damnatione.

DI-

# DISPVTATIO III.

## *De Confessione Sacramentali.*

CONfessio, quæ est altera materialis pars Sacramenti Pœnitentiæ, *est dolorosa peccatorum accusatio legitimo Sacerdoti facta ad consequendam peccatorum remissionem.* Veritas & intelligentia huius definitionis constat ex dictis præcedenti disputatione; ad bonam autem confessionem decem, & sex communiter Doctores assignant conditiones, seu qualitates, quæ his versiculis continentur.

Sit simplex, humilis confessio, pura, fidelis,
Atque frequens, nuda, discreta, libens, & verecunda,
Integra, secreta, lacrimabilis, accelerata,
Fortis, & accusans, et sit parere parata.

Istæ autem conditiones singillatim in hac disputatione sunt explicandæ; inter eas autem explicandas totam doctrinam, quæ ad hanc disputationem spectat, curabimus tradere, eas autem declarabo ordine, quem in versiculis servant, aliquando plures conditiones in una quæstione explicando, aliquando verò in una sola conditione explicanda plures quæstiones insumendo, prout materia postulaverit. Quamvis autem permulta sint, quæ in his explicandis occurrunt, ideò non omittenda, sed perstringenda sunt; quia valde utilia, utinam ita tractentur, ut & onus sublevetur, & utilitas lectoris, & Dei gloria sequatur.

### *QVÆSTIO I. Quatuor primæ confessionis conditiones explicantur.*

310 PRima confessionis qualitas sive cōditio est, quòd sit simplex, id est verborum artificio carens, unde superflua, præambula, atque eloquentia erunt peccatum veniale, nisi ignorantiâ excusentur. Secunda conditio est, quòd sit humilis, habitu videlicet & gestu. Vnde pec-

peccatum veniale esset sine causa confiteri non flexis genibus, aut capite cooperto, atque etiã cum ense, & pugione, nisi in Religiosis militaribus.

311 Tertia Confessionis conditio est, quòd sit pura, videlicet ab intentione vanæ gloriæ, aut alio respectu malo, aut impertinenti immunis. Vnde cõmunis sententia tenet, eum, qui confitetur ex fine mortaliter malo, invalidam confessionem efficere: ratio est; quia peccat mortaliter in ipsa confessione, unde non habet dolorem, & propositum necessarium. Est tamen difficultas, an sit valida, & fructuosa confessio facta ex fine venialiter malo. Respondetur affirmativè cum nostro P. Leandro *disp.* 4. *quæst.* 9. *Lugo disp.* 15. *sect.* 9. cum communi sententia, contra quosdam à nostro P. relatos. Ratio autem est, quia stat, quòd quis ex fine venialiter malo confessionem faciat, & quòd simul habeat finẽ honestum consequendi veniam peccatorum; si autem finem istũ intendat, quamvis minus principaliter, potest habere omnia alia requisita ad Sacramentum: ergo potest illud recipere; nec enim peccatum veniale, quod committit, sufficit impedire valorem, aut fructum Sacramenti.

312 Sed contra doctrinam istam stat argumentum gravissimum. Nam ad validum Sacramentum pœnitentiæ necessarius est dolor supernaturalis, & consequenter honestus, & meritorius; sed quando quis confitetur ex fine venialiter malo, non habet dolorem honestum, & meritorium: ergo non potest validum Sacramentũ recipere. Minor probatur; quia in eo casu dolor se habet, ut actus imperatus ab intentione finis venialiter mala vanæ gloriæ, exempli gratiâ: sed actus, qui imperatur ab intentione mala, malus est, & non bonus, & honestus: ergo talis dolor non est honestus, & meritorius, sed potius malus. Minor constat exemplo de eleemosyna imperata ab intentione vanæ gloriæ, quæ nullatenùs est bona, sed potius mala.

313 Difficile sanè argumentum est; sed nihilominùs omnino durum videtur propter illud asserere invalidas, & sacrilegas esse confessiones omnium illorum, qui ob inanem gloriam, aut alios similes fines ad hoc

pœnitentiæ Sacramentum accedunt. Qua propter communiter Doctores conantur argumẽtum poſitum ſolvere. Primò ergo Magiſter Ioannes à Sancto Thoma 1. 2. *quæſt.* 18. *diſp.* 9. *a* 4. §. *ad illud exemplum.* reſpondet, quòd quando quis in confeſſione intendit vanam gloriã, aut alium finem venialiter malum, nullatenus attritio oriri poteſt, aut imperari à tali intentione; neque talis intentio poteſt eſſe attritionis circumſtantia, ſed ſe habet, quaſi diſparate talis intentio reſpectu attritionis. Ratio autem eſt, quia attritio, cum ſit ſupernaturalis, omnino ſtare non poteſt cum motivo, aut circumſtantia mala, etiam venialiter.

314 Deinde alij apud Lugũ *diſp.* 15. *ſect.* 9. *num.* 227. reſpondent in dicto caſu non imperari attritionem ab intentione vanæ gloriæ, ſed confeſſionem ſolam, quia ſola confeſſio, quæ ab alijs videtur, & non attritio, quæ omnino eſt interna, ad finem vanæ gloriæ conducit. Contra iſtam tamen ſolutionem obijcit Lugo; quòd ex fine vanæ gloriæ nemo eligeret confeſſionem invalidam, & ſacrilegam: unde dicendum, quòd eligat, ſeu imperet confeſſionem doloroſam, ac proinde ipſam attritionem, quæ dici poteſt mediatè conducere ad finem vanæ gloriæ, quatenus cõfeſſio, quæ conducit immediatè, eſt ineligibilis ſine illa, & cum illa eligibilis redditur. Nihilominus P. Arriaga *diſp.* 38. *de pœnit. ſect.* 7. *num. ultim.* hanc ſuſtinet reſponſionem, & ad replicam reſpondet, quòd poſito imperio vanæ gloriæ in confeſſionem, verum eſt, quòd nolit pœnitens confeſſionem ſacrilegam, & ſine dolore; vana gloria tamen non imperat eum dolorem, qui ad ipſam impertinens eſt; ſed actus alius diſparate ad illam ſe habens, quo homo vult Deum graviter non offendere.

315 Deinde alij, inter quos ſunt Salas, & Zumel citati à Lugo *diſp.* 15. *citata num.* 229. & *num.* 238. concedunt attritionem illam eſſe malam ob finis vanæ gloriæ malitiam, hoc tamen non obſtante, exiſtimant ſufficere ad juſtificationem in Sacramento, immo etiam extra ipſum, ſi eſſet contritio. Impugnat tamen ſolutionem iſtam Lugo à n. 289. ex eo, quòd contri-

tritio, sive attritio, juxta concilia ad gratiam disponit impetratorie, & moraliter, quod fieri nequit si sit mala, & nullatenus honesta. Propter hæc ergo,

316 Inter Recentiores Iesuitas aliter satisfieri solet argumento; existimant namque frequenter, præsertim Lugo, Ripalda, Arriaga, Oviedus, & alij, etiam actum supernaturalem bonum imperari posse ab actu malo, tuncque, retenta propria bonitate intrinseca, extrinsecè solùm denominari, & esse malum. Juxta hanc autem doctrinam responderi potest ad argumentum positum in forma negando minorem, ad cuius probationem minor etiam est neganda pro secunda parte: quia actus ex obiecto bonus, si imperetur á malo, non desinit esse bonus bonitate intrinseca, quamvis malus sit malitiâ extrinsecâ, quod non tam est ipsum esse malum, quàm malum esse actum imperantem ipsum. Ad exemplum autem de eleemosyna respondetur, quòd cum eleemosyna sit actus exterior, & exteriores actus totam formalem bonitatem habeant ab interioribus, eo ipso, quòd imperetur ab intentione mala, malitiam habet, & non est, unde bonitatem sortiatur, nisi simul ab alio fine bono imperetur, tunc enim forsàn dici etiam poterit satis probabiliter simul mala, & bona: videatur Ripalda *tom.* 1. *de ente supernaturali disp.* 50. *Lugo jam citatus Arriaga tract. de actibus humanis disp.* 18. *Oviedus tract. de bonitate, & malitia controvers.* 7. *punct.* 1. *&* 2.

317 Sufficiat modo pro argumenti solutione tres, vel quatuor solutiones insinuasse, cum maiori quadam ad ultimam inclinatione. Quamvis autem alia *in primam secundæ* remittam, hîc duo observari oportere judicavi. Primum est, valde diversimodè explicare Doctores ultimæ solutionis, quomodo in casu illius stet bonitas intrinseca actus imperati. Alijs autem omissis dicendi modis, referam duos. Primus est Arriagæ ajentis rem esse sine multa difficultate; quia quamvis actus imperatus non habeat distinctam libertatem, habet tamen distinctam bonitatem, quia libertas non est de essentia bonitatis, sed solùm de essentia moralitatis. Sed adhuc difficile est, quomodo ista bonitas, quæ moralis non

est,

est, possit disponere ad justifica-tionem, quamvis in Sacramen-to, saltem; facilius id intelligi possit, quàm quod supra nu. 315. asserebant Salas, & Zumel.

318 Lugo autem à nu. 203. asserit actum imperatum habere novam, seu propriam bonita-tem, etiam moralem, eò, quòd imperium, rarò vel nunquam solet imperare pro eodem in-stanti, in quo est, sed cum ali-qua temporis latitudine; unde sequitur, quòd actus imperatus non eliciatur necessariò, sed li-berè, quia imperium, cum non imperet pro hoc instanti, non necessitat pro illo; cumque pro sequentibus possit voluntas ab imperio desistere, pro omnibus relinquitur libera ad actum im-peratum, adhuc supposito, quòd efficax sit, imperium. Si autem aliquando attritio imperaretur pro eodem instanti determina-te, & efficaciter, tunc si impera-retur ab actu malo, non posset adhuc cum Sacramento ad ju-stificationem disponere; si verò à bono, posset judicari dispone-re ex Divina acceptatione, quã-vis non haberet honestatem pro-priam attritionis, sed actus im-perantis illam.

319 Secundum notandum est, quòd aliud est imperari a-ctum ab actu malo, aliud esse medium ad finem malum; hoc autem secundum semper tollit bonitatem intrinsecam actûs, & illum reddit absolutè malũ; quia & est amor finis mali, & est causa illius, cum amor me-dij ut talis, implicitè saltim sit amor finis. Quare hanc doctri-nam optimè notat Lugo *disp. citata num.* 231. *&* *Arriaga disp.* 18. *citata sect* 4. *sub sect.* 1. Est ta-men modò difficultas, quia in casu argumenti non solùm at-tritio imperatur à vana gloria, sed etiam est medium ad ipsam vanã gloriã cõsequendã, & in eo videtur consistere, imperiũ quòd habet intentio gloriæ vanæ in attritionem, quòd eam eligat pœnitens ut medium ad ipsam, quod omnino tota sect. 9. vide-tur Lugo supponere, *&* *num. ultimo, ac penultimo illius* tacite sibi per notationem commemo-ratam contradicere. Immo uni-versaliter videtur esse omnino idem actum bonum imperari ab actu malo, & actum bonum in finem malum ordinari, & ut me-dium, ad illum deservire.

320 Nihilominus tamen Ar-ria-

riaga citatus optimè huic occurrit difficultati. Primò, quia aſſerit poſſe actum bonum à malo imperari, quin in malum finem ordinetur, ſi videlicet, actus imperans non ſit ex obiecto ſuo malus, ſed quia prohibitus; verbi gratiâ, ſi Deus prohiberet actum imperantem amorem, tunc talis actus imperans amorem malus eſſet, ſed ipſe amor tunc non ordinaretur in finem malum, eò quòd actus imperans malum finem non haberet, ſed ſolùm eſſet malus ob prohibitionem terminatam ad ipſum. Addit tamen præterea magis ad rem noſtram num. 16. poſſe actũ imperatum ordinari ad finem imperantis mali, & hoc non obſtante, non vitiari intrinſecè, eò quòd finis in ſe malus non eſt, ſed ſola illius intentio, quæ eſt actus imperans: unde quòd ad illum finem conducat, malum non eſt, ſed tota malitia ſiſtit in intentione, quæ illum antecedit. Et ſi quæras, quomodo intentio poſſit eſſe mala, ſi finis non ſit malus? reſpondet num. 18. poſſe eſſe malum ex modo tendendi, aut quia rem præfert alteri meliori, aut quia nimia intenſione ſibi nocet, aut retrahitur ab alijs actibus, ad quos tenebatur. Sed quia hæc aliena ſunt ab hoc loco, præſertim quia nimis Scholaſtica, dicta ſatis.

321 Pro conditionis autem huius ultimo complemento nota, eum, qui ut bonam retineat famam apud Confeſſarium notum, alteri confitetur omnia mortalia, & illi venialia, per ſe loquendo, non peccare; peccabit tamen, ſi id faciat ex intentione mali finis, venialiter quidem, ſi venialiter ſit malus, & mortaliter, ſi mortaliter malus ſit: unde in hoc caſù nulla erit confeſſio. Sic N. P. Leander diſp. 4. q. 11.

Quarta conditio, quòd ſcilicet confeſſio ſit fidelis; petit, quòd ſit verax, & mendacio carens. Quodnam autem mendacium ſit peccatum veniale, & valori Sacramenti non oppoſitum, & quodnam mortale, & oppoſitum valori Sacramenti, diximus diſp. præced. quæſt. 10. num. 170.

322 Addendum tamen eſt 1. mendacium aliàs non grave prolatum in confeſſione de rebus ad illam non pertinentibus mortale non eſſe; quia ſi mortale

le non est mentiri circa veniale, si non sit totalis materia cōfessionis, a fortiori mortale non erit mentiri circa id, quod ad confessionem est impertinens. Ita Tamburinus *lib.* 2. *methodi confess. cap.* 10. *num.* 42. & apud ipsum Suarez, & Vazquez relati à Lugo *disp.* 16. *de pœnit. sect.* 2.

323 Secundò addendum est, quòd mentiri in confessione circa mortale aliàs rite absolutum, mortale non est, nisi casu, quo confessarius de illo interroget, ut Medicus, vel ut Iudex, tanquam de aliquo, quod ad præsentem pertinet confessionem. Ita Tamburinus cum alijs num. 38. & 44.

324 Tertiò denique addendum est, quòd, si quis mentiatur in confessione circa mortale, nunquam confessum unum individuum peccatum pro alio æqualis malitiæ subrogando, homicidium, v. g. Petri pro homicidio Pauli juxta dicenda nu. 461. veniale tantum peccatum committit, quod non impedit valorem, & fructum confessionis, ut docet Arriaga *disp.* 34. *n.* 15. *& disp.* 35. *num.* 39.

## *QVÆSTIO II.*

### *De quinta conditione confessionis Sacramentalis, & de præcepto divino illius.*

325 QVinta conditio Confessionis est, quòd sit frequens, id est, quòd frequenter fiat, ea tamen frequentia cōter fiat, ea tamen frequentia cō-
silium est, si propriè sumatur; si verò impropriè sumatur frequentia pro eo, quód est aliquoties confiteri, sub præcepto esse potest divino, & Ecclesiastico: quapropter de his præceptis est modo nobis agendum, de primò quidem in hac quæst. & in sequenti de secundo.

326 Primò igitur certum est secundùm fidē, dari præceptum divinum confessionis, ut tenet Lugo in præsenti *disp.* 15. *sect.* 1. N. P. Leander *disp.* 3. *q.* 6. *Conich. disp.* 5. *dub.* 1. & alij communiter. Colligitur autem hoc divinum præceptum ex ipsa Sacramenti institutione; institutum enim est per modum judicij, ad quòd necessariò requiritur accusatio: & cum non sit institutum, ut voluntariè suscipiendum, sed necessariò, ut constat ex verbis: *& quorum retinueritis*

*ritus &c.* constat inde confessionis obligatio. Circa huius autem præcepti obligationem aliqua declaranda sunt.

327 Primò ergo certum est obligare hoc præceptum divinum eos, qui post Baptismum mortale commiserunt, saltem in articulo mortis, sive periculo ipsius, quale est bellum imminens, partus, periculosa infirmitas, & similia. Ratio autem est; quia hoc præceptum divinum aliquando impleri debet in vita, & nullus datur casus urgentior.

328 Præterea præceptum divinum confessionis obligat secundum fidem eum, qui cum conscientia mortalis vult Eucharistiam accipere, etiamsi certus sit de sua contritione. Hoc autem constat ex Tridentino *sess.* 13. *cap.* 7. *& can.* 11. Quod autem peccatori non sufficiat contritio ad Eucharistiam suscipiendam, sicut sufficit ad alia Sacramenta, provenit à Sacramenti Eucharistiæ excellentia, propter quam in eo, non in alijs est impositum præceptum.

329 Est præterea difficultas circa hoc divinum Confessionis præceptum, an obliget statim post commissum peccatum. Affirmativè respondent aliqui, inter quos est D. Bonaventura, qui citantur à N. P. Leandro *disp.* 3. *q.* 14. *& disp.* 1. *quæst.* 31. Videtur tamen, quòd dicti DD. non obligant determinatè ad confessionem; sed ad illam, vel contritionem habendam; quàm tamen obligationem specialiter religiosis imponit D. Bonaventura. Dicendum tamen est, cū communi sententia neminem obligari ad confessionem, aut contritionem statim post commissum peccatum. Constat 1. ex communi usu fidelium, quia nullus, etsi doctus, se cognoscit hoc præcepto ligatum. Secundò ex præcepto Ecclesiæ; si enim statim teneretur peccator ad confessionem per Divinum præceptum, incongruè Ecclesia præciperet confiteri semel in anno, sicut incongruè præciperet Episcopus auditionem Missæ semel in mense, quia frequentiùs ad id tenentur iam communi Ecclesiæ præcepto.

330 Sed obijcies 1. statim si fieri possit, tenemur proximo restituere famam, aut pecuniam ablatam: ergo etiam Deo statim tenebimur restituere honorem, ei

ei satisfaciendo pro peccato; sed satisfactio fit per contritionem, aut attritionem cum Sacramento: ergo tenemur ad istarum alteram statim ponendam. Respondetur negando consequentiam 1. quia dum homini non restituitur fama, aut pecunia, fit ei damnum per se loquendo, Deo autem nullum fit damnum, quantumvis satisfactio differatur: unde, si aliquando per accidens ex non restitutione famæ, aut pecuniæ nullum sequatur proximo damnum, potest restitutio differri. E contra etiamsi aliquando per accidens ex non satisfactione pro peccato periclitetur honor Dei, aut scandalizetur proximus, tenebitur peccator Deo satisfacere eo modo, quo ad tollendum scandalum, & vitandam inhonorationem fuerit necessarium.

331 Secundò obijcies; magis tenetur unusquisque ex charitate erga se ipsum, quam erga proximum: sed ex charitate tenetur proximi lapsum, quàm primum possit, corrigere: ergo, & se ipsũ statim corrigere tenebitur, hoc est, suam justitiam per contritionem, vel Sacramentum procurare. Respondetur concedendo majorem, & distinguendo minorem: unusquisque tenetur proximi lapsum statim corrigere, si ex lapsu proximi immineat novum aliquod peccatum, aut periculum gravissimum, concedo minorem; si tale periculum non immineat, nego minorem, & consequentiam.

332 Tertiò obijcies: quilibet tenetur se liberare à malo temporali, ut à morte, aut alicuius membri jactura, quàm primùm possit: ergo & à malo spirituali, quod est peccatum. Respondetur distinguendo antecedens: quilibet tenetur se liberare à malo temporali, quàm primùm possit, si nondum illatum sit, concedo antecedens; si jam illatum, & non immineat novum damnum, nego antecedens: & similiter consequens distinguendum est. Tenetur ergo homo ante brachii abscissionem curare, ut non abscindatur; post ipsam verò, si ex non curatione non immineret novum damnum, posset non curare illud statim: sic etiam ante commissum peccatum tenetur homo illud vitare, post commissum verò, non tenetur illud statim vitare, seu pro illo satisface-

re,

re, nisi novum immineat damnum.

333 Contra istàm tamen solutionem, & etiam contra solutionem obiectionis 2. replicabis: semper ex dilatione satisfactionis pro peccato imminet aliquod novum damnum: ergo semper tenebitur peccator ad satisfaciendum statim. Probatur antecedens 1. quia ex permanentia in peccato imminet novum peccatum; quia ut ait *D. Gregorius hom. 11. in Ezechiel. peccatum, quod per pœnitentiam non deletur, suo pondere trahit aliud.* Secundò probatur antecedens, quia dum non remittitur peccatum mortale, amittitur meritum omnium bonorum operũ, quod est maius damnum, quàm si omnes mundi divitiæ amitterentur.

334 Respondetur negando antecedens; ad cuius 1. probationem dico ex permanentia in peccato, novum peccatum imminere, non ita, ut illud vitari non possit aliter, quàm per justificationem, potest enim vitari per attritionem etiam sine Sacramento, per orationem, aut piorum librorum lectionem; unde periculum non consistit in sola peccati perseverantia, quãvis ad illud vitandum, non possit negari, quod est aptissimum medium illam perseverantiam per contritionem, aut Sacramentum tollere. Ad 2. probationẽ respondetur, quòd sicut homo, quamvis esset in gratia, posset amittere meritum plurium bonorum operum, illa non eliciendo, sine peccato, sic sine peccato potest amittere meritum operum, quod haberet, si justificaretur. Ratio autem est, quia talis meriti est homo dominus; unde, quamvis sit magnum bonum, potest illud amittere sine peccato suo juri cedendo.

335 Quartò obijcies: illicitum est velle perseverantiam in peccato: sed velle non pœnitere est velle perseverantiam in peccato: ergo velle non pœnitere est illicitum, & consequenter tenetur peccator velle pœnitere. Probatur minor: quia qui vult antecedens, vult consequens: sed ad non pœnitentiam sequitur perseverantia peccati: ergo velle non pœnitere est velle pecati perseverantiam. Respondeo negando minorem. Ad cuius probationem distinguo antecedens: qui vult, antecedens,

vult

vult consequens, si sit antecedēs adæquatum concedo; si sit antecedens inadæquatum nego antecedens, & nego consequentiam; quia non pœnitere non est antecedens adæquatum ad perseverantiam peccati; ista enim non sequitur solùm ex non pœnitentia, sed magis præcipuè ex præterita actione peccaminosa.

## QVÆSTIO III.
### *De præcepto Ecclesiastico confessionis.*

336 PRæcepto Ecclesiastico cōfessionis obligantur fideles ad confitendum semel in anno. Quod constat *ex cap. Omnis*, in quo continetur his verbis: *omnis utriusq; sexus fidelis postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua peccata, saltem semel in anno fideliter confiteatur.*

337 Circa hoc autem Ecclesiasticum præceptum notandum est, illo obligari pueros statim post usum rationis: tum quia id exprimitur *in cap. Omnis citato;* tum quia etiam alijs Ecclesiæ præceptis obligantur, ut audiendi Missam, abstinendi à carnibus; non tamen præcepto ieiunandi propter specialem Ecclesiæ dispositionem; nec etiam statim obligantur juxta communē sententiam ad Eucharistiæ sumptionem propter Sacramenti reverentiam. Advertendum tamen est 1. pueros in dubio usûs rationis judicandos, illum habere, si compleverint septēnium, & non habere illum, si septennium non compleverint. Secundò advertendum, quod simili ratione tenentur senes hoc confessionis præcepto, nisi usum rationis amiserint.

338 Addendum tamen est, quòd pueri ante duodecimum, vel decimum quartum annum, non ligantur pœnis à jure impositis transgressoribus huius præcepti, quæ sunt privatio ingressûs Ecclesiæ, & sepulturæ Ecclesiasticæ, aut si quæ aliæ in Synodalibus imponuntur. Ratio est; quia Ecclesia non solet eo rigore punire delicta puerorū; ideoque cap. 2. de delictis puerorum dicitur: *in pueris relinqui solet multum, quod in alijs provectioris ætatis humanæ leges ducunt severiùs puniendum.* Dictæ autem pænæ latæ à jure communi incurruntur ab adultis non ipso facto, sed post sententiā judicis,

339 Secundò notandum est, præceptum Ecclesiasticum non obligare eum, qui nullum peccatum mortale habet. Ratio est; quia quamvis probabile sit, quòd Ecclesia potest præcipere confessionem venialium, quia hoc non videtur tantum onus, ut ad illud non possit Ecclesia obligare; de facto tamen talem non præcipit confessionem, quia est determinatio præcepti Divini, quod solùm obligat ad confessionem mortalium. Qui tamen non confitetur propter defectum mortalis, apud plures tenetur comparere coram Parocho ad vitandum scandalum; sed si istud non immineat, ad id nullatenùs tenebitur, quia præceptum de se ad id non obligat. Vnde colliges, quòd si aliquis in Paschate confessus esset sola venialia, nec fuisset in toto illo anno mortalia confessus, si postea, aut de novo recordaretur alicuius mortalis, aut de novo illud comitteret, tenebatur ante finitum annum confiteri, quia ratione peccati mortalis urgebat obligatio, & ei per confessionem venialiũ satisfactum non erat: unde si in aliqua confessione illius anni confessus fuisset mortalia, non teneretur ob novum peccatum confiteri, sed posset ad sequentem annum illius confessionem differre. Vbi nota, quòd cum præceptum confessionis non obliget tempore determinato, aliqui annum in ordine ad confessionem computant à Ianuario ad Ianuarium; alij verò à Paschate ad Pascha: unde juxta hos, qui in principio Paschatis confessus est sola venialia, & Eucharistiam sumpsit, si ante finem illius novum committat mortale, tenebitur in ipso Paschate illud confiteri; si tamen velit alteri computationi se accomodare, poterit confessionem differre usque ad finem Decembris.

340 Inquires autem I. an qui intra annum non est confessus, teneatur confiteri quàm primũ possit? Respondeo affirmativè cum communi sententia. Probatur autem; quia Prælati solent excomunicare eos, qui semel in anno non confitentur; sed non excõmunicant præcisè, quia nõ sunt confessi, sed etiam, quia modò nolunt confiteri: ergo tenentur modo ad confessionem, aliàs non possent excõmunicari. Probatur minor; quia talem ex-

cõmunicatum non potest Parochus absolvere, adhuc virtute Cruciatæ, nisi pœnitens confiteri velit: ergo excõmunicatio nõ est præcisè lata, quia non est confessus. Probatur consequentia; quia virtute Cruciatæ absolvi potest pænitens ab excõmunicatione præcisè lata ob peccatum præteritum, & sine onere alicuius satisfactionis, etiamsi ab homine sit: ergo si à tali excõmunicatione non potest absolvere, ea non est lata præcisè ob peccatum præteritum, sed ob peccatum, quod, usque dum cõfiteatur, perseverat. Vbi nota ex nostro P. *disp.* 3. *quæst.* 42. eum, qui sic distulit confessionem, nõ commitere tot peccata, quot postea occasionibus oblatis non confitetur; sed solùm idem peccatum auget; unde sufficiet tempus dilationis confiteri.

341 Sed obijcies 1. qui non communicauit in Paschate non tenetur ipso transacto quàm primùm possit, communicare: ergo similiter in confessione. Respondeo negando antecedens; quamvis enim aliqui illud defendant, communius tamen Doctores negant illud. Et ratio est eadem, quam num. præcedenti pro confessione fecimus; quare non oportet illam repetere.

342 Secundò obijcies: qui non audivit Missam in die festo, non tenetur, illo transacto Missam audire: nec similiter jeiunare, qui in die vigiliæ non jeiunavit: ergo similiter, qui intra annum non est confessus, non tenetur, transacto anno, confiteri. Probatur consequentia; quia sicut auditio Missæ, & jeiunium est onus diei, sic confessio annualis est onus anni: ergo sicut illorum obligatio cum die transit, ita istius obligatio transit cũ anno. Respondetur negando cõsequentiam; ad cuius probationem distinguo antecedens, negoque illud, si ly *sicut* denotet idem, quòd *eodem modo*, illud verò concedo, si denotet tantum similitudinẽ inadæquatam. Itaque diverso modo est confessio annua onus anni, atque auditio Missæ onus diei, ista enim ita est onus diei, ut in illo finiatur obligatio; illa verò est onus anni, non ita ut in illo finiatur obligatio, sed ita, ut ultra illud differenda non sit. Constat hoc ex verbis præcepti, in quo dicitur *saltem semel in anno*; & in Eucharistiæ præcepto etiam dicitur *ad*

*minus in Paschate*: ubi clare denotat Ecclesia, quòd intendat, ne ulteriùs differatur confessio, & communio. Sic in peccuniarijs solutionibus, quando quis intra annum obligatur ad solutionẽ, non assignat annum, ut eo finito, finiatur obligatio, sed ne ultra illum differatur solutio.

343 Inquires 2. an, qui in prima parte anni prævidet sibi ob navigationem, aut aliam causam, non futuram opportunitatem confitendi, teneatur anticipare confessionem? Respondeo affirmativè, cum fere omnium Doctorum sententia. Probatur autem; quia qui primo mane videt se, ingresso die ita occupandum, ut non possit Missam audire, tenetur illam primo mane audire: ergo similiter tenebitur confessionem facere in prima parte anni, qui cognoscit in secunda sibi non futuram opportunitatem. Quod similiter est dicendum de eo, qui habet casus reseruatos, & modò habet confessarium facultatem habentem, posteaque se non habiturum suspicatur.

344 Sed objicies: qui ante Pascha prævidet se non habiturum opportunitatem communicandi in Paschate, non tenetur communionem prævenire: ergo nec similiter confessionem. Antecedens probatur; quia præceptum communionis ita obligat in Paschate, ut quamvis extra Pascha communicaverit, teneatur iterum in Paschate communicare: ergo ita etiam erit Paschati alligatum, ut quamvis in ea non possit communicare, non teneatur communionem anticipare.

345 Respondetur 1. concesso probabiliter antecedenti, negando consequentiam. Disparitas enim ex ipso argumento colligitur; cum enim præceptum communionis sit determinatè pro Paschate, solùm pro illo obligat; cum verò confessionis præceptum non sit alligatum, pro toto obligat anno: unde si in altera illius parte impleri non possit, debet impleri in altera, cum etiam pro illa urgeat. Secundò respondeo negando probabiliùs antecedens; quia præceptum communionis Paschalis continet virtualiter duplex præceptum, alterum communicandi saltem semel in anno, alterum communicandi in Paschate: unde, qui hoc secundum præstare non potest, tenetur ad primum

Quod

Quod autem sic sit intelligendum præceptum communionis, constat ex Ecclesiæ intentione, quæ est, ne nimis differatur susceptio Sacramenti; ex hoc ergo constat ad antecedentis probationem; neganda enim est consequentia; quia, quòd teneatur, qui ante Pascha communicavit, iterum communicare in Paschate, oritur à præcepto, quatenùs determinatè præcipit communionem Paschalem: quòd verò, quando tunc non potest, teneatur anticipare, oritur à præcepto, ut annuam præcipit communionem. Vbi nota, quòd in hac solutione si computetur annus à Januario in Januarium, non tenebitur pœnitens communionem determinatè anticipare, sed disiunctivè, aut illam anticipare, aut post Pascha differre, si speretur commoditas.

## QVÆSTIO IV.

*Quæ Confessio sufficiat ad impletionem præcepti Ecclesiastici de annua Confessione. Vbi explicatur 14. propositio à SS. P. N. Alexandro VII. damnata. & 55. damnata à SS. P. N. Innocentio XI.*

346 REspondeo 1. non sufficere Confessionem invalidam, etiamsi invalida sit ex defectu purè interno. Ratio est; quia Sacramentum invalidum non est verè Sacramentum: sed præceptum confessionis obligat ad recipiendum Sacramentum Pœnitentiæ, aliàs inutile foret: ergo ei non fit satis per invalidam confessionem. Quod autē defectus sit purè internus, non prodest: tum quia Ecclesia de internis etiam judicat, quando sunt de substantia rei externæ, quam præcipit, juxta probabiliorem sententiam. Tum etiam, quia hoc Ecclesiasticum præceptum est modificatio præcepti Divini: cumque præceptum Divinum obliget ad confessionem sine defectu, etiam interno, ad eandem semel in anno faciendam obligat præceptum Ecclesiasticum.

347 Dupliciter autem potest confessio esse nulla. Primò voluntariè ita, ut ipse pœnitens id sciat, & advertat. Secundò in vo-

voluntariè ita, ut pœnitens, bona fide judicet, validam esse; quia defectum, ratione cuius invalida est, non advertit. Nostra autem responsio utrumque casum comprehendit. Duplex tamen inter eos disparitas reperitur. Prima est, quòd qui inculpabiliter facit confessionem invalidam, non peccat de novo in ea confessione, sicut peccat, qui culpabiliter eam invalidam facit. Nec item peccat in transgressione præcepti Ecclesiastici de confessione; quia licet illud non adimpleat; tamen dum inculpabiliter putat eam confessionem validam, ignorat, quòd non adimpleat, aut non adimpleverit illud. Immo, si per multos annos ea ignorantia, & bona fides duraret, per omnes illos non teneretur repetere illã invalidam confessionem.

348 Secunda disparitas est, quòd confessio voluntariè nulla ita est insufficiens ad impletionem præcepti, ut oppositum asserere sit improbabile, & scandalosum. Confessio verò involuntariè nulla ita est insufficiens, ut oppositum asserere sit mihi falsum omnino, non tamen sit, ut improbabile declaratum. Ratio huius disparitatis est; quia 14. propositio damnata à SS. P. N. Alexandro VII. expresè loquitur de primo casu, & nullatenùs de secundo. Ea utique talis est. * Qui confessionem facit voluntariè nullam satisfacit præcepto Ecclesiæ. *

348 Quamvis autem nostra responsio ea parte, qua loquitur de confessione inculpabiliter invalida non fiat omnino certa ex damnatione dictæ propositionis 14. Alexandri VII. tamen valde videtur consona decreto Innocentij XI. in quo propositio 55. damnata sic habet. * Præcepto communionis annuæ satis fit per sacrilegam Domini manducationem. * Vnde sic potest argumentum formari. Præcipua ratio, ob quam Pontifex decernit non fieri satis præcepto communis annuæ per sacrilegam communionem, est, quia præceptum Ecclesiasticum communionis annuæ est modificatio præcepti divini de communione: unde præceptum ipsũ de communione annua est, quoad substantiam divinum, & solùm, quo ad modum, seu determinationem, Ecclesiasticum; &

præ-

præcepto divino de communione, juxta communem sententiam, non fit satis per communionem sacrilegam. Sed hæc ratio pariter militat in confessione nulla, adhuc involuntarie; siquidem præceptum confessionis annuæ est similiter, quo ad substantiam, divinum, & solùm, quo ad determinationem, Ecclesiasticum; & alias præcepto Divino confessionis non fit satis per confessionem nullam: ergo militat eadem ratio, ut censeatur insufficiens ad impletionem præcepti confessionis annuæ cōfessio nulla, ac, ut insufficiens dicatur communio sacrilega ad impletionem præcepti annuæ communionis. Hoc argumentum ita urget, ut quamvis non audeam omnino asserere sententiam nobis oppositam damnari in ea propositione 55. eò, quòd casus sint diversi, & Ecclesia nō declaret, an ratione à nobis assignata moveatur ad damnandam, ut insufficientem, communionem sacrilegam, audere tamen non possim probabilem judicare sententiam dictam nobis oppositam asserentem satisfieri præcepto confessionis annuæ per confessionem invalidam, etiamsi involuntariè.

350 Ex dictis num. præced. infero, malam esse illationem, quâ M. Hozes dictam propositionem 55. explicando infert n. 16. ex eius damnatione, non esse jam probabile, quòd satisfaciat præcepto recitationis, & auditionis Missæ, qui illa implet voluntariè distractus. Primò namque propositio 55. nihil habet de his præceptis. Secundò ratio damnationis in eis non militat; quia ista præcepta non sunt Divina, quo ad substantiam, & quo ad determinationem Ecclesiastica; sed purè Ecclesiastica, quo ad substantiam, & modum. Vnde nullum adest fundamentum ad judicandum ex damnatione huius propositionis manere jam improbabile, quòd dictis præceptis recitationis, & auditionis sacri non satisfaciat, qui illa implet voluntariè distractus.

351 Dices tamen ex M. Hozes: ratio, cur aliqui asserebant satisfieri præcepto per communionem sacrilegam, erat, quia Ecclesia non potest præcipere actus internos; & eadem est ratio cur dici possit, quòd satisfiat præ-

præceptis recitationis, & auditionis Missæ, per impletionem cum voluntaria distractione. Vnde, dum Pontifex damnat probabilitatem prioris sententiæ, damnat itidem probabilitatem posterioris, vel saltim destruit eius fundamentum.

352 Respondeo non damnare Pontificem asserentes satisfieri præcepto per communionem sacrilegam, quia Ecclesia possit præcipere actus internos; sed potiùs ex alia ratione à nobis superius memorata, scilicet, quòd præceptum communionis annuæ non sit Ecclesiasticum quo ad substantiam, sed diuinum, quòd utriq; actus internos præcipere potest. Præterea, dato, quòd ex damnatione propositionis 55. liceret inferre, quòd Ecclesia præcipere potest actus internos, & quòd hæc illatio esset certa, non inde inferretur requiri attentionem internam ad implendum recitationis præceptum, quia ut ista requiratur, non est satis, quòd Ecclesia illam præcipere possit, sed ulterius necessarium est, quòd illam defacto præcipiat. Non est autem unde constare evidenter possit, præsertim ex damnatione dictæ propositionis 55. quòd Ecclesia eam defacto præcipiat, ut requirebatur, ad hoc, ut sententia relata jam probabilis non esset. Vnde, quòd ea sententia suam probabilitatem modò retineat, sicut ante decreta Alexandri, & Innocentij judico certum; quia oppositum mihi nec probabiliter suadet Hozes, & quia nullus alius ex explicantibus propositiones, in eo scrupulizavit, ut bene notat P. Torrecilla, qui nobis omnino favet impugnando sententiam sive illationem M. Hozes tract. 2. cõsulta 10. quam addit in 2. edit. post expositionem dictæ propositionis 55.

353 Secundò ad quæstionem propositam respondeo; non satisfieri annuæ confessionis præcepto per confessionem validam, & informem. Opposita sententia ante decreta Alexandri, & Innocentij communis erat, ut testatur Torrecilla, qui eam, adhuc post ea decreta, non reprobat. Ego autem fateor cum ipso, quòd non damnetur ea communis sententia in propositione 14. Alexandri supra posita. Vtique in illa sermo est de confessione voluntariè nulla; con-

confessio autem valida, & informis non est nulla, neque voluntariè, neque involuntariè; cum sit valida, ut supponitur. Quod autem M. Lumbier putaverit tom. 2. n. 1237. damnari eam sententiam, saltem si sermo sit de confessione voluntariè informi, parum refert, quia eam sententiam tenet M. Lumbier ex æquivocatione, quâ aut malè traduxit 14. propositionem, aut malè traductam ex aliquo codice accepit; quia ubi dici deberet: *qui voluntariè facit confessionem nullam*, non sic, sed aliter dicit, videlicet, *qui voluntariè confitetur malè*. Non ergo est damnata ea sententia communis in propositione 14.

354 In propositione autem 55. Innocentij nemo ex ipsam exponentibus dicit, quòd ea sententia communis damnata sit; immo nec in dubium revocat. Ego verò ex damnatione ipsius ducor, ut asseram, quòd licet damnata non sit ea communis sententia; tamen quia eius fundamentum ex damnatione dictæ propositionis infirmatur, jam sustinenda non est, & ideò oppositam pro conclusione statui, & eam ex dicta damnatione dupliciter confirmo. Primò sic: ideò communis sententia asserebat impleri præceptum annuæ confessionis per confessionē validam, & informem; quia pœnitens recipiebat verum pœnitentiæ Sacramentum: hæc autem ratio corruit post decretum Innocentij; quia ille, qui communicat sacrilegè verum recipit Eucharistiæ Sacramentum; & tamen statuitur in damnatione propositionis 55. quod non implet præceptum: ergo corruit illud fundamentum.

355 Secundo confirmo, seu probo nostram responsionem: ideò juxta communem sententiam non satis fit præcepto communionis per communionem sacrilegam, quia tale præceptum est divinum quo ad substantiam, & præcepto divino de communione non fit satis per communionem sacrilegam: sed etiā præceptum annuæ confessionis est divinum quo ad substantiam; & præcepto Divino de confessione non fit satis per confessionem validam, & informem, seu non fructuosam; aliàs homo non peccaret, confessionem validam, & informem scienter faciendo: cuius oppositum omnes sup-

ſupponunt: ergo de primo ad ultimum confeſſio informis poſt dictum SS. P. N. Innocentij XI. decretum non ſufficit ad impletionem præcepti confeſſionis annuæ; quia licet apertè oppoſitum non damnetur, deſtruitur tamen fundamentum, cui niti poſſet. Ita ſub aliorum correctione ſentio.

## QVÆSTIO V.

### *Explicantur quinque ſequentes conditiones confeſſionis ſacramentalis. Vbi, an peccata in Baptiſmi receptione commiſſa debeant neceſſario confiteri.*

356 SExta deinde confeſſionis conditio eſt, quòd ſit nuda, id eſt, clara, & libera ab excuſationibus, palliationibus, & ambiguitatibus. Septima eſt, quòd ſit diſcreta, id eſt alios nō lædens, utens vocibus honeſtis, & quæ paucis vocibus dici poſſunt, non multis moleſtè referens. Octava conditio eſt, quòd ſit libens, id eſt voluntariè, & alacriter facta; quamvis verum ſit, quòd qui ex timore movetur, ſi cætera apponat, poſſit cum fructu confiteri, ut diximus quæſtione prima de eo, qui habet finem venialiter malum. Nona conditio eſt, quòd ſit verecunda, id eſt, quæ cum pudore explicet peccata.

357 Decima deinde confeſſionis conditio eſt, quod ſit integra. Tunc autem confeſſio eſt integra, quando pœnitens confitetur omnia illa, quæ confiteri tenetur. Quapropter ad perfectam huius conditionis intelligentiam, examinanda ſunt omnia, quæ confiteri tenentur pœnitentes. Ideoque id præſtare conabimur, antequam ad aliàs conditiones, quæ ſequuntur, tranſeamus, in quo non paucas, ſed ſi non fallor, non cum pauca vtilitate, quæſtiones inſumemus, incipientes ab ea, quam in titulo propoſuimus, an, ſcilicet, peccata in Baptiſmi receptione commiſſa, debeant neceſſario confiteri.

358 Pro quæſtionis huius intelligentia notandum eſt primò; peccatum commiſſum in Baptiſmi receptione, vel poſſe eſſe fictionem, quæ dicitur voluntas indebite recipiendi Baptiſmum, hoc eſt, ſine debita diſpoſitione;

vel aliud genus peccati, ut voluntas furandi, adulterandi, necandi & similia. Vbi adverte 1. quòd omne peccatum mortale commissum in Baptismi receptione fictio etiam est, quia tamen ea, quæ non sunt pura voluntas indebitè recipiendi Baptismum, habent etiam aliam malitiæ speciem ipsis specialem, ideò sola ea voluntas communiter dicitur fictio; quod autem illa alia peccata etiam, præter malitias speciales, contineant malitiam fictionis, constat, quia quolibet illorum posito, recipitur indebitè Sacramentum; tum propter irreverentiam, quæ ipsi irrogatur; tum quia quodlibet mortale actuale est incompatibile cum vera attritione, quæ est necessaria dispositio ad hoc Sacramentum cum fructu percipiendum. Secundo adverte posse aliquando suscipi Baptismum sine necessaria dispositione ad eius fructum, quin peccatum in eius susceptione committatur; si videlicet, accedat baptizandus sine attritione; inculpabiliter tamen, quia aut existimat, se eam habere, aut necessariam non esse; sed hic modus indebitè suscipiendi baptismum non refert ad id, quod præcipuè in præsenti quæstione disputatur.

359 Secundo notandum est cum Lugo *disp.* 15. *sect.* 1. *num.* 2. *& nostro Ludovico à Conceptione tom.* 1. *tract.* 5. *casu* 3. *num.* 2. quæstionem hanc practicam esse non posse. Ratio est: quia voluntas, quæ durat usque ad instans, seu ad totum tempus, in quo completur Baptismus, non potest ullatenùs discerni, quomodo uno amplius instanti non duret, quia indivisibiliter nequaquam cognosci possunt à nobis nostrorum actuum inceptiones, & desitiones; eo autem ipso, quòd voluntas peccaminosa duraverit usque ad complementum Baptismi, jam saltem dubitare necesse est quòd duraverit amplius, & consequenter, quòd post Baptismum duraverit: cum ergo peccata dubia post Baptismum commissa juxta communem sententiam sint confitenda, talia peccata confitenda erunt necessariò: unde practicè loquendo omnia peccata in Baptismi receptione commissa confitenda sunt: ac proinde jam quæstio hæc remanet speculativa.

360 Prima ergo in hac quæstione sententia tenet, nullum

pec-

peccatum in baptiſmi receptione commiſſum confiteri debere: ſic tenet Gaſpar Hurtadus *diſp.* 4. *difficultate* 3. & apud Lugum num. 10. Silveſter, & Ioannes de la Cruz, atque alij Recentiores Salmanticenſes, ipſeque Lugo fatetur ſibi olim viſam probabiliorem eandemque noviſſimè, ut probabiliorem, tenet M. Thyrſo *diſp.* 38. *à num.* 10. Secunda ſententia tenet, peccatum fictionis in receptione baptiſmi commiſſum confiteri debere, non tamen alia peccata furti, videlicet, adulterij, & ſimilia, niſi ad ſummum ſecundum, quòd habet malitiam fictionis. Hanc tenent Suarez *tom.* 3. *in* 3. *part. diſp.* 28. *ſect.* 5. *Villalob. tract.* 5. *difficultate* 20. *Sotus in* 4. *diſtinct.* 6. *quæſt.* 1. *art.* 8. *Valentia* 3. *part. diſp.* 4. *quæſt.* 4. *punct.* 2. *Ochagavia quæſt.* 25. *de Baptiſmo num.* 3. & alij communiter. Tertia ſententia tenet, omnia peccata in baptiſmi receptione commiſſa eſſe neceſſariò confitenda, non ſolùm ſecundum rationem fictionis, ſed etiam ſecundum particulares malitias, iniuſtitiæ, odij, & ſimilium. Hanc ſententiam tenet Lugo *ſect. citata num.* 23. eam aſſerens communem: ſic etiam noſter Ludovicus jam citatus; ſic etiam Araujo 3. *part. quæſt.* 84. *art.* 2. *dub.* 2. aliquos pro ea citans, male tamen cum apertè ſtent pro ſecunda illorum ſaltem maior pars, inter quos ſunt Sotus, & Valentia à nobis fideliſſime citati, ſed quòd magis eſt, ipſe Araujo, non in 2. ſed potius in 1. ſententiam, quam nullum tenere dicit, ſatis videtur inter ſuam ſententiam probandam inclinare. Sed noviſſimè tertiam tenet ſententiam Tamburinus *lib.* 5. *de Sacram. cap.* 1. *num.* 2. & *Arriaga diſp.* 31. *ſect.* 1. *num.* 5.

361 Noſtra concluſio ſit. Peccata omnia in baptiſmi receptione commiſſa debent neceſſario confiteri, non ſolùm ſecundum rationem fictionis, ſed etiam ſecundum malitiam ſpecificam cuiuslibet. Probatur iſta concluſio; quia peccata commiſſa in inſtanti, in quo ultimo completur baptiſmus, ſunt peccata hominis Chriſtiani, & Chriſti charactere inſigniti: ergo hominis intra Eccleſiam exiſtentis: ergo de illis judicare pertinet ad Eccleſiam, & conſequenter debent ſubijci Sacramento pœnitentiæ, quod miniſtra-

ſtratur per modum judicij. Antecedens de ſe videtur certum, quia in inſtanti, in quo completur baptiſmus, verè ille datur: ergo verè tribuit ſuam denominationem, & effectum, quem poteſt ſubiecto, ac proinde illum denominat baptizatum, & in eo producit characterem, quamvis non gratiam ratione impedimenti; conſequentiæ autem ex antecedenti illatæ ſunt bonæ.

362 Antecedens autem præcedentis probationis, quod nuper à me declaratum potiùs, quàm probatum eſt, probat noſter Ludovicus triplici inſtantia, emittentis, videlicet, religionis vota, contrahentis matrimonium, & ſe tradentis in ſervum; quia tamen omnes eandem continent vim, unam tantum claritatis gratiâ perpendo. Peccaminoſa, inquit dictus P. voluntas coniugis ſe commiſcendi cum alio habita in inſtãti, in quo contrahitur matrimonium, continet malitiam adulterij, contra ſtatum matrimonij, quod in eo inſtanti acquirit: ergo ſimiliter, qui in inſtanti baptiſmi peccat, contrahet malitiam, cuius judicium ad Eccleſiam ſpectet ratione ſtatûs Chriſtiani, quem in eo inſtanti acquirit.

363 Sed certè iſta confirmatio inprimis multùm probat, quia etiam probat, quòd peccata commiſſa ante inſtans, in quo completur Baptiſmus, pertineant ad Eccleſiam, quod eſt falſiſſimum, ut conſtat apertè ex Tridentino. Intentum probo: voluntas peccaminoſa coniugis ſupra memorata, etiamſi finiatur ante efficientiam matrimonij, immo multis horis ante, dummodò ſit voluntas rem exequendi tempore, quo jam matrimonium erit contractum, cõtinet malitiam adulterij contra ſtatum: ergo, ſi argumentum valet, etiam voluntas furandi poſt baptiſmum, ante baptiſmi ſuſceptionem habita, pertinebit ad judicium Eccleſiæ ratione ſtatûs Chriſtiani, quem ſuſcipere intendit.

364 Dices, poſſe facilè confirmationem refici, inſtantiam poſitam ponendo aliter, videlicet, quòd coniunx velit committere dictum peccatum in inſtanti, in quo efficitur matrimonium, non ſolùm habendo in eo inſtanti volitionem, ſed etiam volen-

lendo pro ipſo inſtanti executionem, in quo caſu habebit malitiam adulterij, quamvis non committatur poſt matrimoniũ, ſed in ipſo matrimonij inſtanti. Fateor modò, quòd ſi ſic reficiatur iſta inſtantia, & ſimiliter aliæ, quas brevitatis causâ omiſimus, ad rem erunt. Sed poſitæ iſto modo ſive refectæ, quamvis apud me veræ ſint, nequaquam tamen earum veritas conſtat magis, quàm veritas noſtri antecedentis: ſaltim ergo cũ pauca utilitate adducerentur, adhuc ſic refectæ.

365 Eadem ratione à fortiori diſplicet alia confirmatio, quam ex Lugo affert idem P. ſicut, & præfatas inſtantias, videlicet, quòd peccans in baptiſmi receptione poſſet cenſurâ Eccleſiaſticâ puniri; conceſſo enim, quòd poſſet, id ſaltim eſt minus certum, quàm quòd peccata in illo inſtanti commiſſa pertineant ad Sacramentum pœnitentiæ: ergo malè noſtra concluſio ea ratione confirmatur, cum id ſit probare, quòd veroſimiliùs eſt per id, quòd eſt minus veriſimile.

366 Sed poſtquam noſter Ludovicus cõmunia, quæ ad hanc ſpectant quæſtionem dedit inhærendo veſtigijs Patris Lugo, noviſſime, & ſpecialiſſime ſuam, & noſtram concluſionem conatur probare, præſertim à num. 22. Præcipua vis conſiſtit, in quibuſdam regulis, quas affert à nu. 33. Prima illarum, quæ habetur *in 6. decretalium eſt: cum ſunt partium jura obſcura, reo fauendum eſt potiùs quàm actori.* Secunda regula communis etiam inter Theologos eſt: *in dubijs tutior pars eſt eligenda. Tertia quæ eſt 3. ſexti decretalium eſt: in obſcuris minimum eſt ſequendum.* Sed quòd pœnitens confiteatur peccata commiſſa in baptiſmi receptione eſt favere reo, & ſequi tutiorem partem, eſtque minimum damnum, & minimus rigor: ergo ea peccata ſunt confitenda.

367 Sed certè iſtæ regulæ neſcio per quam regulam noſtræ concluſioni favere poſſint: per ſingulas diſcurramus. Prima quidem potiùs militare videtur contra noſtram concluſionem; quia potiùs eſt in favorem pœnitentis illum liberare ab onere confeſſionis. Dices, id eſſe cum detrimento, quia non erit eius ſalus ita ſecura. Contra eſt tamen, quia ſi peccata, quæ remit-

mittuntur per pœnitentiam, remittuntur per baptismum, cur nō erit secura salus? Id autem affirmat opinio nostræ contradicens. Deinde si non fuerit, secura erit, quia tantum est probabilis; poterit tamen secura reddi, si pœnitens confiteatur de alijs peccatis, licet venialibus post baptismum commissis, quod magis erit in favorem Rei, cum sit certa salus, & tollatur onus, in quo onere auferendo passim Doctores in similibus judicant, favorem pœnitenti fieri.

368 Secunda regula etiam non urget; tum quia aliqui Doctores apud Sanctium *in selectis disp.* 4. *num.* 12. asserunt, tantummodo esse consilium inter duas opiniones sequi tutiorem partem; tum quia eam absolutè non tenere, dum pro utraque parte adest opinio, sentit ipse Sanctius, tum num. citato, tum etiam *disp.* 44. *num* 66. citans Vazquium, Azorem, & Thomā Sanchez: unde regula illa solùm valet, quando ita adest dubium, ut pro neutra parte sit opinio probabilis, quod in præsenti nō evenit. Tertia denique regula, prout à nostro Ludovico intelligitur, juvat primam, & consequenter juxta illius explicationem est intelligenda, nec aliter explicata potest favere, nisi ratione nostræ conclusionis adiuta. Maneat ergo ut verosimiliùs saltim, quòd ex eiusmodi regulis, non solùm non demonstratur, sed nec verisimilis nostra conclusio redditur. Nec omittam, quòd huiusmodi regulæ præcisè ad praxim sunt institutæ, noster autem Ludovicus, quæstionem disputat purè speculativè: ergo ad dictas regulas recurrere non debet, nisi fingendo quandam praxim speculativam, sicut fingit, quòd baptismus, & pœnitentia loquantur, & de suo jure unumquodque alleget.

369 Objicies tamen contra nostram conclusionem 1. Tridentinum *sess.* 14. *cap.* 1. *& Canone* 1. ubi Sacramentum pœnitentiæ ait necessarium esse lapsis post baptismum, *& cap* 2. *ait, Ecclesiam in neminem judicium exercere, qui non prius in ipsam per baptismi ianuam fuerit ingressus.* Sed in casu nostræ conclusionis peccator non labitur post baptismum, sed in ipso baptismo, nec est priùs, quam peccet in Ec-

Ecclesiam ingressus, sed in eo instanti ingreditur: ergo de eo non judicat Ecclesia in Sacramento pœnitentiæ, nec ei dici debet necessarium Sacramentũ pœnitentiæ.

370 Respondetur, relictis alijs responsionibus, quas optime impugnat Lugo à num. 12. Concilium imprimis, dum asserit Sacramentum pœnitentiæ lapsis post baptismum esse necessarium, etiam intendit, & denotat necessarium esse lapsis in ipso instanti baptismi. Quod constat 1. quia id non est alienum ab usitato modo loquendi, dicimus enim hominem solùm peccare post usum rationis; & tamen comprehendimus instans, in quo usum rationis primo habet. Deinde dicimus post ortum solis non esse tenebras, intelligentes etiam, quòd in ipso ortûs solis instanti tenebræ non sint. Secundò constat, quia cũ peccata committi possint ante baptismum, post baptismum, & in ipso baptismo, Concilium nunquam meminit peccatorum, quæ in baptismo committuntur: ergo quia reducit, vel ad peccata commissa ante, vel post baptismum: hoc autem secundum est rationi, & ipsi Concilio magis consentaneum. Tertiò constat; quia ipsum Tridentinum cap. 5. asserit confitenda *omnia mortalia crimina, in quæ Christi fideles ceciderint*: cum ergo in instanti baptismi sit homo Christi fidelis, confiteri debet non solùm peccata postea commissa, sed etiam commissa in illo instanti.

371 Verba autem allata ex 2. cap. non magis urgent; ea enim solùm denotãt, judiciũ debere fieri post baptismũ, nõ quòd nõ possit in judicio post baptismũ facto judicari de peccatis in baptismo ipso commissis; potius enim de eis judicandum statim denotatur; ratio enim, quæ affertur ex Apostolo, est, quia non est judicandum de his, qui foris sunt, sed judicando de peccato commisso in baptismo, judicatur, non de aliquo, quòd foris sit, sed de peccato intra Ecclesiam; & ab homine fideli, & domestico Ecclesiæ commisso: ergo eius judicium pertinet ad Ecclesiam.

372 Obijcies 2. Sacramentum baptismi condonat ex sua institutione peccata usque ad illud commissa; sed ly *usq; ad il-*

*lud*

*lud* includit etiam peccata in ipso baptismi instanti commissa: ergo illa etiam potest condonare, & consequenter pertinent ad baptismum, & non ad Sacramentum pœnitentiæ. Minor, in qua est difficultas, probatur 1. quia si Rex condonaret alicui omne debitum usque modo contractum, etiam condonare censetur debitum contractum ipso instanti condonationis: ergo similiter in nostro casu. Secundò probatur; quia sanguis Christi habuit efficaciam ad tollendum non solùm alia peccata, sed etiam peccatum illud, quod in ipsius effusione committebatur: ergo ipse sanguis in baptismo applicatus habere poterit vim ad tollendum peccatum, quo ipse baptismus indignè suscipitur.

373 Respondetur negando minorem; ad cuius 1. probationem respondetur, antecedens non esse certum; sed potiùs facilè falsum esse potest; id autem pendet ex voluntate condonantis, ex circumstantijs cognita; unde si verum sit, neganda est consequentia, quia erunt diversæ circumstantiæ, ac in casu cõsequentis. Ad 2. probationem nego consequentiam, si loquatur de facto; quæ concedi poterit, si tantum loquatur de possibili. Itaque de facto non ordinatur baptismus ad peccatum remittendum in eius susceptione commissum. Nec urget paritas 2. probationis, quo ad factum, sed solùm, quo ad possibilitatẽ; aliàs etiam probaret, quòd baptismus haberet efficaciam erga peccata post ipsum commissa, sicut eam habet sanguis Christi. Quòd verò eam efficaciam de facto non habeat, sed potiùs ea sit in Sacramento pœnitentiæ, constat, tum ex ratione nostræ conclusionis; tum ex his, quæ perpendimus in solutione ad 1. cuius etiam aliam rationem affert Lugo num. 35.

374 Tertiò obijcies: peccata commissa in baptismi receptione solùm sunt confitenda, quatenùs pugnant cum gratia baptismali: ergo solùm sunt confitenda secundum, quòd habent rationem fictionis, & consequẽter necessarium non erit particulares peccatorum illorum malitias declarare. Respondeo negando antecedens, quia illa peccata confitenda sunt non solùm ratione repugnantiæ cum ba-

baptiſmali gratia, ſed etiam, quia ſunt peccata hominis fidelis; ac proinde ſecundum omnem malitiam confitenda ſunt, ſicut reliqua fidelium peccata.

375 Hic adverte Sacramentum baptiſmi in caſu huius quæſtionis validum, & informe fore: unde ablato obice confert gratiam: obex autem aufertur per contritionem, aut per attritionem cum Sacramento pœnitentiæ: unde duplex ſimul gratia cauſatur; altera correſpondens Sacramento Pœnitentiæ, altera baptiſmi Sacramento; quælibet remiſſiva peccati ſuo Sacramento correſpondentis; gratia autem baptiſmalis correſpondet etiam Sacramento pœnitentiæ, non ut cauſæ, ſed ut obicem illius tollenti. Adverte tamen, quòd ſi Sacramentum baptiſmi fuiſſet informe, non interveniente peccato in illius receptione, ſed deficiente attritione inculpabiliter, tunc tolli poſſet obex, & fructum reddere per attritionem extra Sacramentum: quia tali fructui obſtabat ſolum illius carentia, & non novum peccatum. Quod ſimiliter contingit in Sacramento pæn itentiæ, ſi illud informe ſit modo a nobis explicato. Intellige tamen hoc in utroque Sacramento, ſi poſt eius ſuſceptionem non ſit ullum mortale patratum; ſi enim iſtud adſit, non tolletur obex niſi, ut ſupra eſt dictum, per contritionem, aut attritionem cum novo Sacramento.

## QVÆSTIO VI.

### *Vtrum peccata dubia debeant neceſſariò confiteri.*

376 NEgat Illuſtr. Caramuel *in Theolog. intentionali num.* 1828. *& in fundam. fund.* 63. *à num.* 1883. *ad* 1996. *D. Franciſcus Verde in apolog. contra anticaram à num.* 535. *ad* 563. *Ioannes Martinon in Theol. Scholaſt. tom.* 5. *diſp.* 50. *ſect.* 8. & apud Caramuelem Theſes Lovanienſes, & Viennenſes, atque etiam Ferrantinus *tract. de ſcandalo quæſt.* 77. & plures alij.

377 Pro eadem ſententia poteſt referri. M. Matthæus de Moya *tom.* 1. *ſelect. diſp. tract.* 3. *diſp.* 1. *quæſt.* 5. eam utique latè probat, §. 2. & 3. & §. 4. argumentis contrarijs reſpondet, & tandem §. 5. num. 33. ſic fatur. * Propter fundamenta jacta per tri-

triginta abhinc annos hanc sententiam valde probabilem existimavi, & non semel, è suggestu discipulis tradidi. Vnde Cõpluti ab anno 1652. (quo tempore vespertinam Sacræ Theologiæ Cathedram moderabar) inoffenso pede sub præsidio insignium Doctorum celeberrimæ huius, ubique terrarum universitatis, frequenter defensatur. Nihilominùs re maturius considerata, standum censeo pro contraria, & communi sententia adstruente obligationem confitendi peccata dubia. * Ita sapientissimus M. Nota tamen quòd Illustrissimus Caramuel, cum verba, quibus Pater Layman sententiæ negativæ favet retulisset, quæ his terminantur, & quasi modificantur. *Verum in hac re nihil determino, sed aliorum judicio committo.* Addit ipse Caramuel sequentia. * Vltima periodus videtur contra dentes invidorum posita, quia in prioribus satis clarè suam sententiam exposuit. * Quæ verba forsan non minori fundamento Patris Magistri Moyæ periodo ultimæ applicari possunt.

378 Tenent præterea prædictam sententiam satis communiter recentiores in manuscriptis teste Magistro Thyrso *tom.* 3. *disputationum selectarum disp.* 40. *num.* 14. eamque reputat ipse probabilem, dum asserit num. 32. se contrariæ, ut probabiliori assentiri. Præterea ipsam judicāt probabilem P. Layman *lib.* 1. *tract.* 1. *cap.* 4. §. 4. *num.* 37. *Castro Palao tom.* 4. *tract.* 23. *disp. unica punct.* 9. *num.* 17. *Amicus disp.* 13. *de pœnitentia sect.* 3. *num.* 35. Et tandem eandem reputat probabilem P. Ioannes de Cardenas in sua crisi Theologica *tom.* 2. *disp.* 46. *cap.* 5. illam latè, & ingeniose tota ea disputatione discutiens.

379 Sed probabiliùs longè respondeo affirmativè. Est autem ita communis responsio, ut superfluum sit pro illa authores referre, cum præter citatos pro negativa, cæteri huic suffragentur, illam satis communiter certam judicantes. Nec huic communi sententiæ revera est contrarius Ægidi⁹ de Coninch disp. 7. dub. 8. dicens non debere cõfiteri peccatum dubium, quando dubitatur, an fuerit commissum, vel non; debere tamen confiteri, quando sine dubio est commissum: dubitatur tamen, an fuerit

erit

erit mortale, vel veniale; hoc enim dictũ, quamvis (ut sonat,) videatur, & inconsequenter, & contra communem sententiam procedere; si tamen legatur Ægidius num. 69. constabit, ipsũ tantum intendere, quòd non debeat confiteri peccatum dubiũ, quando de facto ipso omnino dubitatur, sine probabilibus rationibus dubitandi; tunc enim irrationabile est dubiũ, & scrupulosum merè, & in hoc certè procedit probabiliter saltẽ Ægidius, cum, & id teneat doctissimus Suarez, & sic communem sententiam intelligendam admoneat *disp.* 22. *de pœnitentia sect.* 9.

380 Vbi nota; aliud esse inveniri rationes probabiles dubitandi, aliud rationes absolutè probabiles; ratio enim probabilis dubitandi, est ratio, quæ sufficit ad prudenter dubitandum, seu, quæ sufficeret ad judicium probabile; si alia ratio dubitandi in oppositum non obstaret; propter illam tamen non sufficit ad probabile judicium; rationes verò absolutè probabiles sufficiunt, etiam omnibus inspectis ad probabile judicium. Igitur sentio cum P. Suarez, & in re cum Ægidio (quidquid sit de modo se explicandi) communẽ sententiam esse intelligendam cum adest dubium rationabile, & ad quod adsunt rationes probabiles dubitandi: unde quando quis sine ullo, aut cum levi fundamento dubitat, an mense præterito commiserit adulterium, solùm quòd non recordatur evidenter se adulterium non commisisse, non debet illud confiteri, sed solùm quando, ut dixi, rationabiliter de eius commissione dubitat; in quo casu certam aut fere certam communẽ sententiam judicant plures, nos verò longe probabiliorem.

381 Qamvis autem multis rationibus probari soleat communis sententia, solidè omnino solùm probari potest ex communi praxi totius Ecclesiæ, cuius cum non cognoscatur initium, ab Apostolis dimanasse est credendum, qui melius obligationem in institutione huius Sacramenti inclusam cognoverunt.

381 Sed obijcies primò: dubius de præcepto non tenetur ad illud implendum: ergo dubius de peccato non tenetur illud cofiteri. Respondet N. P. Lu-

dovicus distinguendo inter præceptum Divinum, & humanum. Sed quidquid de hoc sit, respondeo, negando consequentiam; quia in casu dubij de peccato nō dubitatur de præcepto illud confitendi; quia præceptum confessionis est præceptum confitendi peccata certa, & dubia; illa ut certa, & ista ut dubia, ut constat ex ratione numeri præcedentis.

382 Objicies secundo: præceptum servandi æqualitatem justitiæ cum proximis, non obligat ad satisfactionem, quando dubitatur de iniuria à nobis illata: ergo nec præceptum procurandi pacem, & amicitiam cū Deo obligat ad pœnitentiam, & satisfactionem, quando est dubium de offensa à nobis commissa.

383 Respondetur negando consequentiam; ratio autem disparitatis esse poterat 1. quòd nō constat, quòd præceptum restitutionis, seu satisfactionis erga proximum obliget in dubio de iniustitia; constat autem ex ratione nostræ sententiæ, quòd præceptum satisfaciendi Deo pro peccato obliget in peccato dubio. Sed aliter etiam ratio disparitatis potest assignari ex Lugo; quia præceptum justitiæ erga proximum est negativum obligans ad non lædendum illū, & solùm ad reparationem, quatenus ea est necessaria, ne læsio detur: unde, dum de læsione proximi non constat, ad nihil obligat. Præceptum autem pœnitentiæ est positivum, procurandi, videlicet, pacem, & amicitiam cum Deo, quod exigit, tum huius boni magnitudo, & utilitas, tum ipsa excellentia infinita Dei. Vnde quamvis erga proximum sit satis, quòd nescias, te illum læsisse, erga Deum satis non est, sed teneris ita procurare eius amicitiam, ut judicare possis, te illam obtinere: quòd judicium non stat cum dubio peccato, absque eo, quòd pro illo satisfiat.

384 Sed replicabis: ergo etiam tenebor confiteri peccatum, de quo habeo probabile judicium, quòd non fuerit. Probatur consequentia; quia eo ipso, quòd solùm probabiliter sim liber à peccato, non sum certus de eo, quòd habeam Dei amicitiam: ergo debeo illam procurare per pœnitentiam; siquidem

W di-

diximus, quòd est obligatio illam positivè procurandi.

385 Respondet noster Ludovicus *tract.* 5. *casu* 4. *num* 10. Quòd, si probabilitas sit circa hoc, quòd est, an commissum sit opus, quòd scitur, esse mortale, concedenda est consequentia. Si verò sit circa hoc, quòd est, an tale opus sit materia peccati mortalis, est neganda, quia si probabilis sit sententia, quòd non est materia peccati mortalis, est moraliter certum non ad esse mortale, quia ad excusationem ab isto sufficit probabilis sententia, quòd opus non sit mortale. Sed ista disparitas tenet utique, quando judicium probabile præcedit operis executionem; quando verò post factum opus, dubitatur, an fuerit mortale, vel veniale, eo ipso, quòd adsit probabile judicium de eo, quòd fuerit mortale, non est certum, quòd mortale non fuerit, quia præsens judicium non potest excusare opus præteritum: quapropter juxta modum discurrendi nostri Ludovici, potiùs debet dici, quòd si judicium probabile de peccato adest pro utraque parte, dum jam judicamus de opere præterito, tollit securitatem de divina amicitia, & ideò est, juxta eius mentem, concedenda consequentia replicæ.

386 Aliter tamen respondeo, negando consequentiam; quia quamvis sit præceptum procurandi positivè amicitiam divinam, ei satisfit per judicium probabile, quo quis judicat, se illam habere, quod jam habet, qui probabiliter judicat se non peccasse mortaliter; sicut autem alia præcepta sufficienter adimplentur, dum fit eis satis juxta opinionem probabilem, sic etiam hoc. Nota tamen, quòd licet oppositam doctrinam teneat M. Thyrso *disp.* 40. *sect.* 2. *à num.* 15. & pro eadem citatur à M. Moya Barnabas Gallego *tract. de consc. probabili dub.* 8. asserens eam esse communem, & veram, & nullum pro nostra authorem stetisse, nostræ tamen responsionis doctrinam tenet ipse M. Moya *tract.* 3. *disp.* 1. *q.* 4. adhuc in casu, quo pœnitens in peccatum commissum magis propendeat; & hanc sententiam esse communem dicit non solùm plures pro ea Auth. referendo, sed etiam verba ipsorum transcribendo. Præcipui sunt Sylvester, Thomas Sanchez, Diana,

na, N. P. Leander, Leander itẽ de Murcia. Caramuel, & Angelus Maria Verricelli. Quibꝰ ego addo Palaum *tom. 4. tract. 23. pag. 9. num. 15. Arriagam disp. 31. de pœnit. num. 24.* & P. Thomam Tamburinum *lib. 2. method. confess. cap. 1. num. 9.* ubi nostram sententiam, ut certam, tenet referens pro illa PP. Suarez, Sanchez, Sylvium, & Facundez.

387 Vnde colliges, quòd etiam quando quis certus est de peccato commisso, si dubitat, an illud sit confessus, tenetur illud confiteri. Si verò probabile judicium habeat, quòd fuerit illud confessus, potest excusari ab illius confessione, ut cum Palao *cit. num. 15. Arriaga l. c. num. 25.* & communi sententia tenet N. P. Leander *disp. 5 q. 28. & 29.* quod etiam putat certum Tamburinus *l. c. n. 10.* Ratio autẽ pro prima parte est ipsamet, qua probatur nostra conclusio; & præterea, quia debitum certum non extinguitur solutione dubia. Pro secunda verò parte ratio est, quam num. præcedenti præstitimus.

388 Benè tamen notat prædictus M. Moya l. c. num. 5. cũ Verricelli, Facundez, Henriquez, & Aversa, quos sequitur M. Prado *de pœnit. q. 84. dub. 4. §. 6. n. 47.* Eum, qui probabiliter credit non peccasse, aut peccatum esse confessum, licet illud peccatum non teneatur confiteri; teneri tamen actum contritionis in articulo mortis elicere, si aliorum peccatorum confessio, aut contritio non præcessit; immo & confiteri tenebitur, si de sua contritione certus non sit. Ratio est; quia licet opinio probabilis excuset à confessione prædicti peccati, tamen aliunde in articulo mortis tenetur peccator medium necessarium ad salutem apponere, quale est contritio, aut pœnitentiæ Sacramentum; quia quamvis peccatum illud non confitendo, non peccaret excusante illum opinione, deficeret tamen medium necessarium ad salutem, si forte peccatum esset commissum, non apponendo, quòd medium non valeret supplere opinio probabilis. V. Illust. Caramuelem *tom. 2. Theolog. fundam. n. 1887.*

389. Præterea nota cum M. Thyrso *cit. disp. 40. n. 55.* * Eum, qui certo scit se olim commisisse peccatum: & rursus certò scit se post illud peccatum confes-

sionem fecisse cum sufficienti examine, habere sufficiens fundamentum, ut nunc prudenter judicet se tunc exposuisse illud peccatum, proindeque non esse obligatum illud confiteri, nisi modo sese offerat aliqua urgentissima ratio, quâ sibi prudenter persuadeat, se oblitum fuisse talis peccati in ea confessione. Quæ tamen ratio difficile potest occurrere, præsertim si multũ iã tẽpus transactum est post illam confessionem. * Ita M. Thyrso, cui consonat Tamburinus *lib. 2. method. confess. cap. 1. §. 4. num. 29.*

390 * Hinc (verba sunt etiam eiusdem M. num. 56.) certissimum est, eum, qui in ingressu religionis fecit confessionem generalem, non habere obligationem confitendi peccatum cõmissum in vita sæculari, ex eo, quòd modo non reminiscatur, an de illo se accusaverit tunc, nam potest, ac debet sibi prudenter persuadere illud sibi tunc occurrisse, quamvis ipse nunc non recordetur. * Ita SS. M. & Apostolicus P.

391 Tertio obiicies admirationem Illustr. Caramuelis *in Theolog. fundam. num.* 1885. fine; ait enim mirabilem sibi videri N. P. Leandrum eo, quòd peccata probabilia omitti posse dicat; & dubia nihilominùs asserat debere in confessione exponi; hoc enim est dicere. * hominem, qui ductus gravissimis rationibus opinatur se peccavisse mortaliter (iste enim habet probabile peccatum) non teneri confiteri, illum verò teneri, qui habet peccatum dubium, hoc est, qui suspicatur leviuscula aliquâ ratiunculâ, aut scrupulo punctus. Et quis quæso negationem illam cum ista assertione componat? * Ita Caramuel, qui hoc argumentum, ut demonstrativum repetit contra DD. alios num. 1929. fine, & iterum illud inculcat. n. 1988. fine, vocans illud in margine rationem à fortiori.

392 Sed ego miror in Caramuele 1. quòd num. 1883. definiat conscientiã dubiam, quòd sit ea, *quæ non innititur rationi gravi*, & quod consequenter in cit. num. 1885. afferat peccatum dubium, quòd quis *suspicatur leviusculâ aliquâ ratiunculâ, aut scrupulo punctus*. Et inquiro à Caramuele: si talis est conscientia dubia, & peccatum dubium, quæ

nam

nam erit conſcientia ſcrupuloſa? aut peccatum ſcrupuloſum, ſive peccati ſcrupulus? Reſpõdebis pro ipſo, & cum ipſo, eſſe conſcientiam. * Scrupuloſam, quæ naſcitur ex ignorantia, & ſuperbia. * O! mira libertas in definitionibus cogitandis, & tradendis! ſed adhuc non ſatis diſtinguit conſcientiam dubiam ab ſcrupuloſa: quod ſic probo. Suſpicari quem peccatum *leviuſculâ ratiunculâ*, aut idem ſuſpicari *punctum ſcrupulo* idem eſt per te, ut patet ex tua disiunctione: ergo ſcrupulus, aut eſt, aut fundatur in *ratiuncula leviſcula*: ergo etiam conſcientia ſcrupuloſa in ratione levi eſt fundata: ergo verùm eſt dicere de conſcientia ſcrupuloſa, quòd *non innittitur rationi gravi*. Sed hæc eſt tua definitio conſcientiæ dubiæ: ergo non diſtinguis conſcientiam dubiam ab ſcrupuloſa, nec è contra. Simili autem modo confundit conſcientiam dubiam cum ſcrupuloſa num. 1892. & 1901. & alibi ſæpè.

393 Secundò miror definitionem conſcientiæ ſcrupuloſæ; licet enim aliquando oriatur ab ignorantia, & aliquando à ſuperbia, vel etiam aliquando ab utraque; tamen ſæpè dabitur ſcrupuloſa conſcientia à neutra ortum habens. Præterquàm quòd non ſatis declaratur, quid ſit, per hoc, quod dicamus unde oriatur, præſertim cum iſtæ cauſæ adhuc quando verùm eſt eas dari, non tam ſint veræ cauſæ conſcientiæ ſcrupuloſæ, quàm occaſio illius.

394 Deinde ſive 3. argumentor contra definitionem conſcientiæ dubiæ à Caramuele datam. Si conſcientia dubia eſſet, *quæ non innittitur rationi gravi*, vix ullus affirmaret peccatum dubium debere confiteri; quod conſtat 1. quia, ut vidimus, ea definitione retenta, non diſtinguitur peccatum dubium à peccato ſcrupuloſo, quod vix ullus confitendum neceſſariò affirmabit: quod fatetur ipſemet Caramuel num. 1994. & 1995. Secundò conſtat; quia dum dubia peccata confitenda eſſe docent AA. dicunt aut ſupponunt dubium fundari in rationibus gravibus, & de peccato ſic dubio procedere quæſtionem. Vnde de fundato in ratione non gravi non eſt quæſtio, quia ſupponitur illud non debere confiteri.

395 Quare M. Thyrſo *cit.*

*disp.* 40. *num.* 4. benè ait, quòd dubium carens motivo pro utraque parte, quod à Caramuele vocatur negativum, & ab Emin. Lugo *disp.* 16. *de pœnit. num.* 59. *&* *à Tamburino lib.* 2. *meth. confess. cap.* 1. *§.* 3. *num.* 8. est dubium purè Physicum, immo non tam dubium, quàm pura ignorantia, & nescientia dici debet. Quare potiùs dici debemus ignorare, ac nescire, an maris arenæ sint pares, aut impares, quam de eo dubitare. Similiter de dubio in ratione levi dubitandi fundato ait num. 5. quòd de eo non instituitur hæc quæstio. * Tum quia ratio levis, inquit, virum prudentem movere non potest; tum qnia, si eiusmodi dubium sufficeret ad obligationem confitendi, aperiretur ianua infinitis scrupulis, ut P. Bresserus optimè notat. * Ita M. Thyrso.

396 Sed adhuc notandum est cum eodem M. Thyrso à nu. 6. quòd dubium in præsenti dividi non potest propriè in positivum, & negativum. Vtrumque enim male definiri à Caramuele constat; quia tam illud, quod dicitur ab ipso negativū, scilicet, quod omni fundamento caret: quàm quod positivum vocatur, scilicet, quod habet fundamentum levè, nec distinguitur ab scrupulo, ut notabam num. 392. nec est dubium ad hanc quæstionem pertinens, ut num præced. dicebamus. Deinde, quamvis ab alijs explicetur dicta divisio ita, ut dubium negativum dicatur, quod licet habeat rationes probabiles dubitandi, coniungitur cum suspensione judicij, propterea, quòd rationes ipsæ dubitandi sint pro utraque parte æquales ita, ut pro neutra possit ferri judicium, juxta dicta num. 379. positiuū vero, cum pro utraque parte datur judicium probabile. Tamen dubium istud propriè dubium non est, sed opinio. Vnde solùm ad rem huius quæstionis dari potest dubium morale, & prudens, quod explicuimus num. 379. & vocari potest positivum, quatenus habet rationes dubitandi graves pro utraque parte; negativum verò, quatenus continet suspensionem judicij, & pro neutra judicare audet. Potest etiam prædictum dubium vocari probabile, non quia habeat rationes sufficientes ad judicium probabile; sed quia habet rationem prudentem dubitandi, quæ ipsum constituit in

ra-

ratione dubij prudentis, & consequenter dubij probabilis.

397 Ex dictis poteram declinare onus respondendi ad argumentum Caramuelis propositum num. 391. cum extra chorum saltet. Sed ne videamur fugere difficultatem, quam indicat, illud solvam proponendo ipsum verbis D. Francisci Verde in apolog. Caramuelis num. 548. ubi sic fatur. * Certè mirabile est, ut observat Caramuel, dicere; quòd qui habet rationes probabiles, quibus convincitur peccasse, à DD. liberetur ab onere confessionis; & ad confessionem cogatur ille, qui nulla ratione probare potest se peccasse. *

398 Respondeo ergo eum, qui judicat rationibus probabilibus se peccasse, formaliter non excusari à confessione, id est, non excusari, quia sic judicat, sed quia probabiliter judicat se non peccasse. Vnde similiter non cogitur ad confessionem, qui nulla ratione probare potest se peccasse, formaliter, scilicet, quia id non potest probare, sed potiùs quia non potest probare se non peccasse. Mirum autem esse non debet, quòd liberetur à confessione, qui probabiliter putat se liberum à peccato; & ab ea non liberetur, qui se liberum ab illo judicare probabiliter non potest.

399 Quartò objicies Conc. Trident. ses. 14. cap. 5. dum recolit ea, quæ debent confiteri, mentionem non facit de peccatis dubijs: ergo quia illa non sunt necessariò confitenda. Respondeo peccata dubia implicitè contineri in his, quæ Trid. cõmemorat; cum ea sint omnia peccata, quorum meminit, quo indicatur, excludi solùm oblita, non tamen dubia. Præterea cõfiteri debent peccata, quæ sunt in conscientia, sive quorum conscientiam habet pœnitens: notitia autem dubia etiam est conscientia; cum ista dividatur in dubiam, probabilem &c. Vnde cum dicitur conscientia quasi cordis scientia, sumitur scientia latè pro quavis notitia.

400 Sed replicabis: Concilium ea peccata confiteri præcipit pœnitenti, *quibus dominum, & Deum suum mortaliter offendisse meminerit*: sed, qui dubitat, an peccaverit mortaliter, non meminit mortaliter offendisse Deum: ergo non tenetur confiteri. Minor in-

indubitata apud Theologos asseritur à M. Moya *disp.* 1. *de integrit. confess. quæst.* 5. *num.* 7. *&* pluribus exemplis demonstrabilis: namque, qui meminit de solutione debiti, de recitatione, aut de aliorum præceptorum impletione, non tenetur solvere, recitare, aut alia præcepta implere; secus qui dubitat.

401 Respondetur apud Cõcilium l. c. memoriam non accipi strictè, sed latè ita, ut meminisse mortalis idem sit, ac illud memoriæ occurrere, ut patet ex illis verbis: *cætera autem, quæ cogitanti non ocurrunt.* Vnde in sensu Concilij peccata dubia sicut sunt in conscientia, ita etiam memoriæ occurrunt, & eorum in hoc sensu peccator meminisse dicitur.

402 Vltimò obijcies: in dubio, an casus sit reservatus, non tenetur pœnitens illud confiteri superiori: ergo in dubio, an peccatum sit mortale, non tenebitur illud confiteri. Respondetur negando consequentiam, disparitas est primò: quia reservatio est odiosa, tum pœnitenti, cui onus imponit: tum confessario inferiori; quia eius limitat jurisdictionem: unde strictè est interpretanda. Obligatio verò confitendi peccata dubia non est cõfessario odiosa; pœnitenti verò, & si onerosa sit, est tamen aliunde nimis favorabilis, & quatenùs est oneri, illud non imponit, sed commutat, quòd antea erat respectu pœnitentiæ interioris, contritionis, scilicet. Secundò est disparitas: quia admisso, quòd in utroque casu sit res odiosa, in primo latè interpretenda ad onus vitandum; nõ sic in secundo; quia lata interpretatio etiam in odiosis locum habet tantum, quando non cõstat, quòd adhibenda sit stricta; in casu autem consequentis cõstat ex ratione, qua probavimus communem sententiam, quòd adhibenda sit stricta interpretatio.

## QVÆSTIO VII.

### *An peccatum dictum, ut dubium, debeat iterum, cessante dubio, dici ut certum.*

403 Affirmat communis sententia, quàm P. Ioannes de Cardenas *in suis selectis disputationibus disp.* 51. *cap.* 2. certam, & indubitabilem existimat. Sẽten-

tentiam tamen negantem tale peccatum, iam ut dubium confessum, debere ut certum confiteri optimè defendit Lugo *disp.* 16. *sect.* 2. §. 4. quamvis tandem eam non audeat consulere, ne à communi sententia recedat; quamvis testetur aliquos viros doctos eam probabilem judicasse, & inter eos M. Sacri Palatij Nicolaum Ricardium. Post Lugum autem eius sententiam est secutus, loquendo metaphysice, & Scholastico rigore, N. Ludovicus à Conceptione *tract.* 5. *cas.* 4. Eam verò absolutè, ut probabilem, tenet N. P. Leander *disp.* 5. *quæst.* 27. referens pro ea Merolam à Diana citatum. Eamdem sententiam tenent apud prædictum Cardenas Caramuel *in Theolog. fundam. num.* 1997. *fundam.* 63. *D. Franciscus Verde contra anti Caramuel quæst.* 12. §. 2. *n.* 550. & apud istum eam tenent Verricelli *tract.* 5. *de scrupulorum causis, & remedijs quæst.* 6. *num.* 22. *Bressenus de conscientia lib.* 4. *cap.* 18. *num.* 197. *P. Pellizarius tom.* 2. *manual. regular tract.* 10. *q.* 10. *n.* 198. *P. Tamburinus in meth. lib.* 2. *cap.* 1. *num.* 24. *Tancredus tom.* 5. *disp.* 6. *quæst.* 2. Sed adhuc pro eadem sententia M. Moya *in suis selectis tract.* 3. *disp.* 1. *quæst.* 6. *citat Martinum à S. Ioseph. in monit. confessariorum tom.* 1. *lib.* 1. *tract.* 8. *num.* 9. *Marcum Vidal in arca Theol. mor. lib.* 3. *disp.* 4. *Iosephum Rosell. Cathus. in tr. de deponendo conscientiam in dubio cap.* 19. *num.* 14. *Sebastianum Sachum in fasciculo flor. lib.* 1. *tract.* 4 *cap.* 3. *de conscientia dubia num.* 35. *R. P. Christophorum Delgadillo tom. de pœnit. cap.* 14. *dub.* 10. *Ferrantinum in disp. practic. quæst.* 78. *Et Antonium Perez in M S. de pœnit.*

404 Secundam sententiam asserentem peccatum semel, ut dubium confessum, non debere iterum, ut certum, confiteri pro conclusione statuo: quia absolutè probabilis est; immo rationi stando probabilior, quàm opposita. Nec me terret censura, quam ei tribuit prædictus Cardenas; potius enim me in hanc existimationem magis impellit; dum enim video, quòd vir aliàs doctus, & ingeniosus valde, cũ nostram hanc conclusionem improbabilẽ esse demonstrare promitit, eam adeo levibus impugnat rationibus, ut, si in alio authore à me viderentur authoritatis non ita notæ, non modo de-

demonstrationes non viderentur, verùm adeo leves mihi apparerent, ut vix possem adduci, ut ad eas solvendas animum inclinarem; dum, inquam, hoc video, non possum non firmari magis in assensu de prædictæ cōclusionis probabilitate, immo, & probabilioritate rationi stando.

405 Probatur autem 1. quia peccatum, dum dicitur, ut dubium, directè remittitur per Sacramentum pœnitentiæ: ergo quamvis postea constet certò de illo, non debet confiteri. Antecedens probatur; tum quia ad hoc pœnitens illud confitetur, ut, videlicet, casu quo illud habeat, ab eo directè absolvatur: tū etiam; quia si non daretur alia materia illud posset esse adæquata Sacramenti materia, immo & deberet: ergo supra illum caderet directè absolutio, quia ista supra aliquam materiam directè debet cadere: ergo peccatum dictum ut dubium directè remititur per Sacramentum pœnitentiæ. Nunc ergo probatur 1. entimematis consequentia: quia si iam est directè remissum peccatum, nulla est ratio, cur debeat, ut certum confiteri, non quidem, ut directè remittatur, ut patet; non deinde, ut confessarius habeat certam de illo notitiam, quia nunquam est necessaria, nisi in ordine ad absolutionem: ergo eo ipso, quòd in confessione, in qua ut dubium dicitur, directè remittatur, necessarium non est unquam illud confiteri, ut certum.

406 Confirmatur ratio ista; quia si quis est dubius de voto omisso, aut censura incursa, & petat absolutionem, sive dispensationem, postea, si ei constet de veritate voti, aut censuræ, non tenetur novam dispensationem, aut absolutionem procurare: ergo similiter in nostro casu. Probatur consequentia ista; quia ea ratione non tenetur in antecedentis casu novam petere absolutionem, quia absolvitur per primam à censura ex suppositione, seu sub conditione, quòd illam habeat: unde dum comperit illam se habere, simul comperit se ab illa fuisse absolutum, sed simili modo res se habet in peccato dubio: ergo simili etiam modo, dum certò illud cognoscitur, necessarium non est, illud de novo, ut certum confiteri.

407

407 Secundò probatur conclusio nostra: quia dum quis confessus est, se commisisse decem perjuria plus minusvè, si postea certo cognoscat, ea fuisse undecim, non tenetur undecimum perjurium confiteri: ergo similiter, qui peccatum dubium, ut dubium, est confessus, non tenetur, cessante dubio illud confiteri. Probatur consequentia ista; quia per particulã plus minusve non explicatur undecimum periurium, ut certum, sed solùm, ut dubium: ergo si illud postea cognoscens non tenetur confiteri, ut certum, nec etiam in casu, in quo unum tantum peccatum, ut dubium, confitetur, tenebitur, cessante dubio, illud ut certum confiteri. Immo hic adverte, quòd in casu antecedentis, non solùm unum, sed plura peccata, ut dubia, cõfitetur; quia etiam decimum perjurium non confitetur, ut certum; unde si recordaretur postea, quòd essent decem determinatè, deberet ea determinatè confiteri, vel unum aut duo sub dubio confessa, ut certa, repetere; quòd nemo dicet.

408 Respondet noster Ludovicus resolvendo quæstionem in latitudine morali, negando consequentiam; quia in casu antecedentis confitetur pœnitens octo peccata physicè certa, & quatuor moraliter certa, quia videlicet numerus certus non potest nisi sub disiunctione assignari, quòd scilicet sint novem, decem, undecim aut duodecim, & sub ista disiunctione numerus moraliter certus explicatur. Sed certè certitudinem istam ego non capio; aut enim certitudo ista fundatur in disiunctione? & sic fateor dari certitudinem; sed ista certitudo est ipsum dubium, cum per illam quodlibet peccatum supra octavum sub conditione remaneat, non minus, ac si diceret pœnitens, se de illo dubitare. Si verò dicas esse numerum moraliter certum, quia non potest pœnitens, moraliter loquendo aliter melius numerũ peccatorum explicare, verum erit, sed vim non tollet argumenti; quia etiam dum quis cõfitetur peccatum, ut dubium, nõ potest moraliter melius explicare illud, & sic eadem ratione potest dici, quòd illud explicat, ut moraliter certum: aut ergo dum certò cognoscitur, non debet iterum, ut certum, explicari,

ri, aut debent sic explicari peccata contenta in numero illo moraliter certo, quæ excedunt numerum certum Physicè.

409 Sed obijcies 1. peccatũ debet manifestari, prout est in conscientia pœnitentis; sed in nostro casu est iam peccatum in conscientia pœnitentis, ut certum: ergo debet, ut certum, manifestari, quin sufficiat illud, ut dubium, manifestatum fuisse. Ante huius argumenti solutionem pro maiori illius, & cæterorum commendatione Nota, tam hoc, quàm sequentia argumenta instantiam pati in peccatis dubijs, quæ contineri solent in verbis illis plus minusve, ut constabit perpendenti dicta in 2. nostræsententiæ probatione; nunc ergo ad argumentum respondeo distinguendo maiorem: peccatum debet confiteri, prout est in conscientia pœnitentis, quando confitetur illud, concedo maiorem; quando iam est illud confessus, & ab eo plenè, & directè absolutus, nego maiorem; & similiter distincta minori, nego consequentiam.

410 Secundò obijcies: si ab initio cognosceretur peccatum, ut certum, ut tale debuisset confiteri: ergo etiam postea quando incipit cognosci, ut certum. Probatur consequentia; quia cũ per accidens non obligat aliquod præceptum ob impedimentum aliquod, cessante illo impedimento, incipit obligare; sed ab initio non obligabat confessio peccati, ut certi, per accidens ratione dubij: ergo, isto cessante, incipiet obligare. Respondeo tamen negando consequentiam; ad cuius probationem distinguo maiorem; cessante impedimento incipit obligare, si perseveret finis obligationis, concedo maiorem, si cessaverit iam, nego maiorem; & sub ijsdẽ terminis minori distincta, nego consequentiam; quando enim cessat dubium, quod est impedimentum, ratione cuius obligabat confessio peccati, ut certi, cessat etiam, seu non datur iam finis præcepti confessionis, quod est obtinere directam illius peccati absolutionem; cum enim iam sit obtenta, non potest ad illius confessionem obligare, ut obtineatur.

411 Confirmari etiam potest doctrina præcedentis solutionis; quia qui petit dispensationẽ ab irregularitate, si ei ab initio con-

constet esse certam, illam, ut certam, tenetur declarare; si tamen tunc sit dubius, sufficit tunc dubiè illam declarare, nec postea, dispensatione obtenta, tenetur, si eam certò cognoscat, eam ut certam declarare.

412 Sed contra istam confirmationem atque etiam contra confirmationē conclusionis nu. 406. allatam obijcies 3. ex illis sequi, quòd etiam peccata, non ut dubia, sed etiam, ut possibilia confessa, non debeant postea confiteri, si ut certa, cognoscantur. Probatur sequela; quia sic contingit in dispensatione, sive absolutione irregularitatis, & alterius cuiuscumque censuræ; si enim quis à censura, quam judicat possibilem, petat sub conditione absolvi; si absolvatur, & postea certò sciat se illam incurrisse, non tenetur illam, ut certam, declarare: ergo idem circa peccata dicendum, aut deferenda paritas. Respondetur negando sequelam; ad cuius probationem, concesso antecedenti, nego consequentiam; quia ex illo solùm sequitur, quòd non sit omnimoda paritas, non tamen, quòd non sit aliqua, quæ conducat ad nostram doctrinam declarandam: disparitas, quæ intercedit, ut sequela non teneat, est, quia Pontifex potest absolvere à censuris, sive dispensare sine accusatione; non tamen à peccatis sine accusatione potest: unde cum dicere peccata, ut possibilia, etiamsi verbis dicendo accuso me, non sit accusare de illis, quia ea nullo modo sibi imputat, non potest pœnitens sic illa dicens ab eis absolvi, bene tamen, si ea dicat, ut dubia; sic enim verè se de illis accusat, quamvis sub dubio, quia sub hoc ea sibi imputat.

413 Quartò obijcies: circūstantia omissa per oblivionem debet manifestari, si postea cognoscatur: ergo etiam certitudo; cum ista videatur magis esse de substantia peccati. Respondetur concesso antecedenti negando consequentiam; quia certitudo non est aliquid se tenens ex parte peccati, sed ex parte manifestationis, quatenùs ista dat peccati notitiam certam, vel dubiam: manifestatio autem debet esse, qualis potest, dum cōfessio fit, quamvis autem postea possit melior fieri; non tamen debet, si prima fuit sufficiens ad directam peccati absolutionem.

414 Quintò obijcies: ex nostra doctrina sequi, quòd, etiam si ille, qui certò cognoscit peccatum, illud, ut dubium, confiteatur, bona fide, propter ignorantiam, absolvetur directè ab illo, & non tenebitur consequẽter illud manifestare, ut certum; quod dicendum non est. Ad hoc argumentum, si mihi crederem, responderem concedendo sequelam; quia stando rationi videtur continere doctrinam probabilem. Sed quia mihi non fido. Respondeo aliter negando illam. Ratio autem, cur non sequatur, est: quia ad remissionẽ directam peccati requiritur, quòd dicatur prout nunc est in conscientia; quòd non contingit in huius argumenti casu.

415 Ex P. Cardenas obijcies modo: contra conclusionem nostram militat principium certum: ergo ipsa est certò falsa, & consequenter improbabilis. Antecedens, in quo est difficultas, his verbis probat Cardenas: * Est enim, inquit, principium certissimum à Concilio Trident. definitum, quòd * Omnia peccata mortalia deferenda sunt Sacerdotibus taliter, quòd possint exercere judicium; non incognita causa, & de gravitate criminum rectè censere: & taliter quòd possint servare æquitatem in pœnis iniungendis pro qualitate criminum; & non solùm ad infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam, & castigationem * Quæ periodus contexta est ex verbis Trid. ses. 4. c. 5. & 8. * Ex qua doctrina infert, quòd peccatum, ut dubium confessum, si postea certò cognoscatur, debet iterum, ut certum, confiteri, ut pro illo pœnitentia proportionata imponatur, eò quòd non tanta soleat imponi pro peccato dubio, ac pro certo. Et ex doctrina ista respondet ad nostræ conclusionis primam probationem supra num. 405. allatam. Et ex eadẽ doctrina reddit disparitatem ad ea, quæ pro illius confirmatione adduximus num. 406. Ad secundam autem probationem nostram tandem respondet in eadem doctrina istius demonstrationis innitendo.

416 Sed sane ad demonstrationem istam reducuntur aliæ tres, quas ipse Cardenas illi superaddit cap. 3. quia, sine ista prima omnes statim deficiunt,

eo, quòd tam ipsæ, quàm respō-
siones ad probationes nostras
prædictæ primæ demonstrationi
sint innixæ. Ad eam autem re-
sponsio ex dictis ad obiectiones
præcedentes est adeo facilis, ut
modo posset omitti. Ne tamen
dum demonstrationem parvi
pendimus, authorem ipsum par-
vi pendere videamur, ad eam
respondere cogimur.

417 Respondeo ergo: in-
primis in periodo ex Trid. à Car-
denas deducta non parum muta-
ri Sanctæ Synodi sensum: siqui-
dem Sancta Synodus citato cap.
5. quòd Sacerdos non possit exer-
cere iudicium incognitâ causâ,
ad id applicat, ut non sufficiat
explicare peccata in genere. Et
similiter necessitatem exponen-
di peccatorum species ibidem
confirmat eo, quòd, aliàs neque
integrè peccata à pœnitentibus
exponantur, & fieri nequeat, ut
confessarij *de grauitate criminum
rectè censere posint, & pœnam,
quam oportet, pro illis pœnitentibus
imponere. Cap. autem* 8. solùm
modo loquitur Sancta Synodus
cum confessarijs, eis iniungens,
ut pœnitentias imponant non
solùm * Ad novæ vitæ custo-
diam, & infirmitatis medicamē-
tum; sed etiam ad præteritorum
peccatorum vindictam, & casti-
gationem. * Nunc sic perpen-
do: quòd Sacerdos nequeat judi-
care incognita causa ad id ap-
plicat Trident. ut non sufficiat
peccata in genere explicare: &
quòd rectè confessarij valeant
judicare, & pœnitentias impo-
nere, ad hoc, ut species peccato-
rum declarentur: sed Cardenas
doctrinam generalem in prædi-
cta periodo assumit, ut, scilicet,
eam possit applicare peccato, ut
certò iam cognito, priùs, ut du-
biò confesso, quam alius for-
san facilitate eadem poterit ap-
plicare, ut confiteri debere cir-
cumstantias notabiliter aggra-
vantes ostendat: ergo non legi-
timè periodū deducit ex Tridēti-
no: & sicut ex doctrina Tridētini
relata nō potest sumi argumētū
ad iudicādū evidens, quòd circū-
stantiæ notabiliter aggravantes
cōfiteri debeant, sed potiùs quòd
confiteri non debeant, argumen-
to á contrario sensu valde pro-
babiliter deducitur: sic ex ea-
dem doctrina Tridentini mi-
nime valet inferri evidenter
obligatio confitendi, ut cer-
tum peccatum semel bona fide,
confessum ut dubium; sed po-
tius

tius à contrario ſenſu colligi pœnitentes ab ea obligatione liberari.

418 Secundò reſpondeo, adhuc dato, quòd doctrina illa à Cardenas ex Tridentino deſumpta in tota illa generalitate ſit ex mente Tridentini accipienda, nihil obſtare concluſioni noſtræ. Quod dupliciter declaro. Primò quia ſufficienter ſalvatur ea doctrina, ſi pœnitens, quando peccatum confitetur, illud declaret, prout cognoſcit ipſum, diligenti conſcientiæ examine præmiſſo: hoc autem iam implevit pœnitens, dum peccatũ, ut dubium, confeſſus eſt; ſiquidem tunc aliter illud non cognoſcebat. Quod autem poſtea, quàm illud remiſſum iam eſt, non utcumque, ſed directè debeat, quia denuo cognoſcitur, ut certum, ut tale declarari, ubi eſt verbum, quòd indicet, ne dum demonſtret?

419 Secundò declaro, quòd non obſtet ea Tridentini doctrina, dato, quòd generaliter eſſet accipienda: quia ſic peccatum ſemel ut dubium confeſſum deberet iterum, ut certum, confiteri, maxime, ut pœnitentia proportionata adhiberetur, eò quòd non tanta adhiberi ſoleat peccato dubio, ac peccato certo: ſed eſt falſum primo, quòd non tãta adhibeatur pœnitentia peccato dubio, ac certo: ſecundò, quòd, caſu quo non tanta adhiberetur, eſſet ulla eam ſupplendi neceſſitas: ergo ex præfata doctrina, adhuc quantacunque generalitate Cardenas velit, intellecta, non deducitur obligatio confitendi, ut certum, peccatum ſemel confeſſum ut dubium. Minor, in qua eſt difficultas, duplicem continet partem, utraque eſt probanda. Prima ergo probatur 1. quia oppoſitum aſſeritur; ſed non probatur à Cardenas; cum tamen ſe ſuam ſententiam demonſtrare multipliciter præſumat: cum ergo omnes demonſtrationes ad unam reducantur, deberet, quidquid ad illam pertinet, probare, non utcumque, verùm etiam demonſtrativè. Forſan autem Cardenas judicavit minorem pœnitentiam adhiberi ſolere pro peccato dubio eò, quòd communius dũ pœnitens de peccato gravi, ut dubio, ſe accuſat, confeſſarius non judicat verè dubium intervenire, ſed ſcrupulum, aut dubium improbabile, & imprudens,

dens, in quo casu minor, aut etiam nulla, adhiberi potest pœnitentia.

420 Præterea ex abundanti probo ego, quòd, si peccatum dubium, tale à confessario prudenter judicatum, confessioni subijciatur, non minor pro illo, quàm pro certo, dari debeat pœnitentia. Peccatum dubium pœnitens confitetur, ut,si forte vere commissum fuit, illius absolutionem obtineat, ut autem pro casu cõmissionis illius obtineat absolutionem, vult pœnitentiam pro illo acceptare, ac si certò commissum esset; mavult enim implere pœnitentiam illi debitam, quamvis forte commissum non sit, quàm, ut eam non impleat, illius absolutione carere,si commissum est. Hoc utique rationi consonum est, ac proinde de quolibet pœnitente debet præsumi: eaque omnia, quæ probant peccatum dubium debere confiteri, ut si forte commissum sit, condonetur, pro illo eãdem, ac si certo commissum esset, pœnitentiam imponendam suadent.

421 Secundam autem minoris num. 419. positæ partem probo primo: si dubium esset propriè tale, an deberem ego centum aureos Petro, an nullatenùs illos deberem; si in hoc dubio per compositionem, aut per judicem arbitrum judicaretur, quòd solverem quinquaginta, ea conditione, ut, si postea appareret, quòd nihil debebam, non possem eos repetere, æqvum omnino etiam esset, quòd si constaret postea, quòd centum omnino debebam, non deberent repeti alij quinquaginta: sed dato, quòd minor pænitentia detur pro peccato dubio, id contingit propterea,quòd, cum contingere possit, quòd non sit commissum peccatum, etiam contingere possit, quòd nulla debeatur pœnitentia: ergo sicut solvens quinquaginta aureos in casu posito, nec ipse potest repetere, etiamsi comperiatur nihil debuisse; nec creditor potest amplius exigere, etsi constet debuisse centum, sic pœnitens, qui dimidiam pœnitentiam peccati certi adimplevit, sicut non potest, eâ semel impletâ, non implevisse illam, quamvis constet peccatum non fuisse patratum, sic nec poterit ei altera medietas imponi, casu, quo constet certò patratum esse.

422 Præterea dato adhuc,

quòd pœnitentia pro dubio peccato esse deberet minor, & quòd adhuc deberet suppleri, dum constaret peccatum esse certum, hoc fieri posset, absque onere confessionis novæ peccati, ut certi: ergo ad eam maiorem pœnitentiam imponendam, necessarium minime est, quòd peccatum iterum confiteatur, ut certum. Antecedens probatur: quia, si minor pœnitentia peccati dubij sit tertia rosarij pars, maior peccati certi duplex pars tertia, dum peccatum, ut dubiũ pœnitens confitetur, poterit dicere Confessarius pœnitenti, recita unam rosarij partem; & si aliquando tibi constiterit peccatum fuisse certum, recita duas. Nunc autem iterum confirmo utriusque, vel saltim alterius minoris partis doctrinam, & simul conclusionem nostram: Iste namque modus imponendi pœnitentiam valde rigorosus esset; siquidem, recitata una parte rosarij, non posset ab eius recitatione liberari, quamvis certo constaret peccatum patratum non esse: cur ergo augeri, etsi certo constaret fuisse patratum? deinde nimis rigorosus esset ille modus imponendi pœnitentiam: ergo multo magis rigorosum erit, impletâ pœnitentiâ peccati dubij, si postea constet peccatum fuisse certum, pœnitentem non solùm ad augendam pœnitentiam obligare, sed, quod centuplo rigorem istum excedit, illum, ad iterum confitendum peccatum iam directè absolutum, cogere, ob solam certitudinem maiori dignam pœnitentia.

423 Tandem contra principium illud certissimum à Tridentino apud Cardenas definitum militat secunda probatio nostræ conclusionis. Ex ea enĩ colligitur, aut vim non habere contra nostram sententiam demonstrationem Patris Cardenas, aut eandem habituram cõtra communem sententiam. Sed quia P. Cardenas etiam secundæ nostræ probationi conatur respondere, eius responsiones oportet percurrere, ut ex ipsarum impugnatione magis clareat, quàm longè sit ab evidentia eius sententia, & etiam a certitudine principium, quod certissimum vocat.

424 Respondet ergo Cardenas ad secundam probationem nostram, primò: dato, quòd infe-

feratur noſtrâ concluſio ex doctrina illa communi de non repetendis peccatis comprehenſis ſub particula plus, minusve, dicendum, quòd ea doctrina eſt ab intrinſeco improbabilis. Quia quævis propoſitio, ut probabilis, habita, ſi ex ea evidenter ſequitur de novo aliqua concluſio, infertur, aut quòd ea concluſio ſit probabilis, aut quòd præmiſſa, ſive præmiſſæ improbabiles ſint: cum ergo primum inferri non poſſit in caſu noſtro propter demonſtrationes P. Cardenas, dicendum eſt ſecundum, videlicet, quòd illa doctrina communis ſit ab intrinſeco improbabilis.

425 Sed contra reſponſionem iſtam eſt primò; quòd videatut atrox arrogantia, ne amplius dicam, damnare improbabilitatis ſententiam communem, pro qua ipſe Cardenas refert 23. authores, ne ipſe Cardenas recedere cogatur ab evidentia ſomniata. Secundò eſt contra: quia ex dictis contra demonſtrationem à Cardenas factam conſtat, quòd concluſio ex illa doctrina communi illata improbabilis non ſit, aut eſſe non cõſtet: ergo non eſt cur, ut eius probabilitatem non concedamus, doctrinæ communi improbabilitatem debeamus adſcribere.

426 Secundò reſpondet ipſos DD. illius ſententiæ communis nobis expreſsè contradicere; dicunt enim quòd, qui ſe accuſavit de decem periurijs *parum, plus, minusve*, excuſat duo periuria poſtea certò cognita ab obligatione confeſſionis novæ: noſtra autem ſententia excuſaret à decem illum, qui diceret: *accuſo me de decem per jurijs certis, & de decem alijs dubijs*. Nunc ſic: quomodo poteſt noſtræ favere ſententiæ ſententia communis probabilis? quæ ita eſt limitata, ut expreſsè excludat doctrinam ipſam, quam nos ex illa contendimus inferre.

427 Sed certè æquivocationem in hac reſponſione patitur Cardenas: Doctores enim, qui aſſerunt, quòd, qui ſe accuſavit de decem perjurijs parum plus minuſve, & dicunt, quod ſi duodecim fuiſſe conſtet poſtea, non tenetur pœnitens illa duo confiteri, non limitant doctrinam iſtam ita, ut duo peccata ſub dubio confeſſa neceſſariò, ut certa repetenda non ſint; bene tamen, ſi

si sint plura, ut decem, aut viginti. Quod ergo limitant, est, an per ea verba *parum plus minusve*, plura, quàm duo supra designatum numerum intelligantur confessa, & adhuc ad hoc nō respondent negative absolutè; sed cum limitatione, videlicet, loquendo de parvo numero; in magno autem numero ad plura, quam quinque pro centenario extendi plures asserunt cum N. P. Leandro. Videatur meum operum illius comp. num. 87. Vnde adhuc juxta communem sententiam potest contingere, quod quis, dum confessus est nō solùm decem, sed etiam viginti peccata sub dubio, postea, dum certa fuisse constet, non teneatur confiteri. Nam si quis confiteatur ducenta perjuria addendo: *parum plus, vel minus*, viginti peccata sub dubio confitetur, decem, videlicet, quæ supra ducenta comprehenduntur sub ea clausula *parum plus*, & decem alia quæ minus forsan erant propter ly *parum minus*: sed tunc juxta communem sententiam non tenetur, si comperiatur esse ducenta, & decem, confiteri prædicta viginti sub dubio confessa: ergo non solùm communis sententia non limitat obligationem ad non repetenda peccata sub dubio confessa, sed expressè ampliat, & solùm limitat sensum de ly *parum plus, & minus*.

428 Tertio respondet Cardenas, quòd, qui decem periuria confitetur, & per *parum plus* alia duo sub dubio, non debet ista repetere, ut certa; quia duodecim periuria practicè non merentur maiorem pœnitentiam, quàm decem. Vnum autem adulterium v. g. certum maiorem pœnitentiam meretur, quā dubium. Sed contra est: quia non video, unde inferre possit Cardenas (præsertim evidenter,) quod practicè maior pœnitentia debeatur adulterio certo, quàm dubio, & quod non maior debetur decem periurijs, quàm octo, sanè, si quis oppositum asserat, faciliùs credi posse ex dictis supra constat.

429 Jam ergo constat, quod omnia, quæ afferuntur à Cardenas, non solùm non excludant nostræ sententiæ probabilitatē, uerùm neque probabilioritatem, & quod præsertim rationi stando, quomodo ipse agendum putat, ipse potius improbabiliter procedit; non quidem quia impro-

probabilem conclusionem teneat; sed quia improbabiliter ei certitudinem adscribit. Videatur P. Arriaga *disp. 31. de pœnit. sect. 6.* in quem incidi post hæc omnia scripta, qui cum nostram sententiam solum vidisset apud Lugum, ei adeò placuit, ut propius sit, ut ei evidentiam adscribat, quam ut eam sententiæ cōtrariæ adscribi ab ullo posse suspicetur. Illum autem Cardenas aut non vidit, aut vidisse dissimulavit: cum enim in disp. 46. sæpè citet, & commemoret *citatæ disputationis 31. sect. 5. sectionem 6.* ei immediatam, in qua hanc quæstionem versat in disp. 51. in qua ipse eam tractat nunquam commemorat.

## QVÆSTIO VIII.

### *Vtrum sit obligatio confitendi lethalia in confessione oblita? Vbi explicatur 11. propositio damnata à SS. P. N. Alexandro VII.*

430 REspondeo, tanquā certum, affirmativè Quod constat ex decreto Alexandri VII. damnantis aliquas propositiones, quarum undecima est hæc. * Peccata in confessione omissa, seu oblita, ob instans periculum vitæ, aut ob aliam causam, non tenemur in sequenti confessione explicare, seu exprimere. * Vnde non eget maiori impugnatione negativa sententia, quam proponit Leander de Murcia *disp. 2. lib. 2. disquisit. moral. in 1. 2. D. Thomæ disp. 4. resol. 25.* & quàm latè impugnat M. Moya *disp. 1. de pœnit. quæst. 7.* & latissimè P. Cardenas *disp. 50. per tredecim capita.* Quæ autem afferuntur ab utroque, deservire possunt, ut appareat non solùm eam post decretum esse improbabilem, & scandalosam; sed etiam ante illud, eas saltim censuras meruisse, & nullatenùs unquam probabilem potuisse judicari.

431 Adverte tamen, quod Valerus *in differentiis utriusq; fori verbo nullitas differ. 5.* tenet, peccata mortalia, quæ in aliqua confessione fuêre oblita, dum postea illornm pœnitens recordatur, absolvi posse à simplici Sacerdote. Quam sententiam tenet etiam Delgadillo *de pœnit. cap. 19. dub. 13. num 41.* eandemque ut valde probabilem docet Machado *tom. 1. lib. 1. p. 1. tract.*

2. *docum.* 3. *num.* 4. Quæ tamen sententia reijcitur à M. Hozes *in explicatione propositionis* 1. *Innoc. num.* 25. *&* *à M. Moya cit. quæst.* 7. *num.* 18. *&* 19. non solum, ut carens veritate, sed etiam, ut carens probabilitate, & meritò; quia peccata oblita ex eo, quòd confessio aliorum peccatorum præcesserit, manent quidem absoluta, non tamen directè, sed indirectè tantum: eo autem ipso, quòd non maneant directé absoluta, sunt materia necessaria confessionis, quando pœnitens illorum recordatur: quòd etiam ex prædictæ undecimæ propositionis damnatione constat: approbatio autem est necessaria ad omnes confessiones sæcularium de materia necessaria audiendas, ut constat ex Tridentino *sess.* 23. *cap.* 15. *de reformat.*

432 Etsi objicias: peccata oblita manere directè absoluta, ex quo arguit Murcia, quòd nō sint necessariò confitenda: & alius arguere potest, quod saltem absolvi poterunt à simplici Sacerdote. Contra est, quòd licet Murcia *disp.* 4. *cit. resolut.* 26. asserat peccata oblita manere directè absoluta, tamen oppositum verum est, & optimè confirmatur à M. Moya *citata quæst.* 7. & à P. Cardenas *cit. disp.* 50. *cap.* 10. qui ex 21. authoribus, quos pro sua sententia citat Murcia, unum Valerum illi concedit. Sed adhuc istum ei non concedit M. Moya, sed quòd oppositum iudicaverit, tribuendum asserit errori Typographi, aut amanuensis, cum sine eo errore, aut eo emmendato, illum referat Machado supra relatus, sententiam, quam ibi ex professo docet, Valerus secutus. Et quidem, aut ex eo, quòd directè sit absolutum peccatum mortale oblitum, sequitur, quòd nō sit materia necessaria confessionis, aut minimè. Si non sequitur: ergo, quidquid dicatur de directa absolutione, manet peccatum oblitum, dum redit in memoriam materia necessaria confessionis, ac proinde, quidquid de illa absolutione sit, non potest absolvi à simplici Sacerdote. Si verò sequitur, quòd non sit materia necessaria, sic arguo. Ex decreto Alexandri VII. constat, quòd peccata oblita sint materia necessaria confessionis: ergo si ex absolutione directa sequitur, quòd materia necessaria

non

non ſint, à contrario ſenſu ex eò, quòd ſint materia neceſſaria juxta Alexandri decretum, ſequitur, quòd directè abſoluta non ſint.

433 Quam doctrinam optime confirmari exiſtimo ex ea, quam tradit P. Arriaga *diſp.* 36. *de pœnit. num.* 6. *&* 7. qui exiſtimat, quòd peccata mortalia, quæ per contritionem dimittuntur, & etiam illa, quæ dimittuntur per Sacramentum pœnitentiæ receptum cum attritione ſola, quin in eo declarentur, propter oblivionem, aut aliam juſtam cauſam, quò ad Deum directè, & directiſſimè remittuntur; quia non manet Deus propter illa infenſus peccatori magis, quàm propter alia mortalia in confeſſione declarata. Totũ ergo, quod indicatur, dum dicitur peccata aliqua dimitti indirectè, aliud non eſt, quàm dicere, quòd verè, & propriè ſunt dimiſſa, manet tamen obligatio ea ſubijciendi Clavibus Eccleſiæ, ſeu, quòd idem eſt, explicitè illa confitendi. Cum ergo juxta decretum Alexandri dubitari non poſſit, quòd peccata oblita ita dimiſſa ſunt, ut maneat obligatio, dum redeant in memoriam, illa explicitè confitendi, debet dici conſequenter, quòd nõ directè, ſed indirectè dimiſſa ſint; & quod indirectè dimiſſa eſſe non ſit aliqua imperfectio dimiſſionis, ſed ſolùm, quòd ſub re maneat obligatio illa confitendi, ſicut contingit, cum per contritionem dimittuntur ſine Sacramento.

## *QVÆSTIO IX.*

### *An circumſtantiæ notabiliter aggravantes intra eandẽ ſpeciem debeant neceſſariò confiteri?*

434 CIrcumſtantiæ peccatorum, quæ indicantur illo vulgari carmine: *quis, quid, ubi quibus auxilijs, cur, quomodo, quãdo* aliæ sũt ſpeciẽ mutãtes, aliæ nõ mutãtes, ſed aggravãtes intra candem ſpeciem. Igitur primò certum eſt, quòd circumſtantiæ levem malitiam addentes peccato, ſive ſit intra eandem ſpeciem, ſive transferendo ad aliam ſpeciem, non ſint neceſſariò cõfitendæ. Sic in ſententia judicante quantitatem quatuor argenteorum ſufficere in furto ad peccatum mortale, qui furatus

eſt

est sex argenteos, sufficit, si dicat furatum esse quantitatem gravem; quia duo argentei, quos ultra quantitatem gravem furatus est, quamvis peccatum aggravent intra eandem speciem, non tamen notabiliter illud aggravant, sed leviter. Similiter, si quis occidit hominem propter vanam gloriam, non tenetur circumstantiam vanæ gloriæ explicare, quia quamvis iste finis peccatum aggravet, illius speciem mutando, ea tamen gravitas alterius speciei, quam addit, non est notabilis, sive gravis, sed solùm levis.

435 Secundò certum est, quòd circumstantiæ, quæ aggravant notabiliter peccatum mutando illius speciem, quæ communiter mutantes speciem dicuntur, sunt necessariò confitendæ, quia ita planè declaratur in Concilio Tridentino. Vnde qui furatur rem gravem sacram, tenetur hanc circumstantiam declarare, quia ratione illius additur peccato malitia gravis, non intra speciem injustitiæ, quam peccatum habebat, sed in alia specie, scilicet sacrilegij. Hoc supposito.

436 Difficultas est, an circumstantiæ notabiliter intra eãdem speciem aggravantes necessariò in confessione sint declarandæ? an, scilicet, qui furatus est centum aureos, non satisfaciat dicendo, furatus sum materiam gravem; sed propter notabilem gravitatem, quam circumstantia talis quantitatis addit supra id, quod communiter reputatur materia gravis, teneatur eam circumstantiam declarare, & apertè dicere, furatus sum centum aureos.

437 Prima ergo sententia affirmat, tales circumstantias necessariò esse in confessione declarandas. Sic sentiunt Sanchez, Suarez, Lopez, & Facundez locis relatis à N. P. Leandro. Sic etiam sentit Sotus *in* 4. *dist.* 18. *q.* 2. *art.* 4. *conc.* 7. *Estius in* 4. *dist.* 17. *§.* 9. *Henriquez lib.* 5. *cap.* 7. *num.* 6. *Villalobos tract.* 9. *diff.* 26. *num.* 7. *Ægidius Coninch. disp.* 7. *dub.* 3. *num.* 13. *Araujo* 3. *p. q.* 84. *art.* 5. *dub.* 3. *conc.* 3. *Ioannes à S. Thoma tomi* 1. *in* 1. 2. *disp.* 10. *art.* 3. *Amicus disp.* 13. *sect.* 6. *Arriaga disp.* 32. *sect.* 1. *& seqq.* & apud istos alij plurimi.

438 Secunda sententia negat dictas circumstantias aggravantes

tes debere in confessione declarari, quam sententiam veriorem judico. Eam autem tenent P. Vazquez *quæst.* 91. *art.* 1. *dub.* 2. *Sanctius in select. disp.* 11. *num.* 6. *Martinus à S. Ioseph lib.* 1. *tract.* 9. *num.* 5. *Valencia* 3. *p. disp.* 7. *q.* 11. *punct.* 1. *conc.* 5. *Medina Cod. de confess. fol.* 53. M. Acaçius March. de Velasco Episcop. Oriolensis *in suis moralibus resolutionibus resol.* 186. *Hurtadus disp.* 9. *diff.* 3. *Ochagavia tract.* 2. *q.* 14. *Lugo disp.* 16. *sect.* 3. *N. P. Leander disp. 8. §.* 1. *q.* 4. referens etiam Dianam citantem pro ea plus quam 50. Eandemque expresissimè amplectuntur S. Thomas *in* 4. *dist.* 16. *q.* 3. *art.* 2. *quæstiunc.* 5. *& S. Bonaventura in* 4. *dist.* 17. *p.* 3. *art.* 2. *q.* 3.

439 Vnde constat improbabiliter loqui RR. quosdam sequentes Petrum de Ledesma, dum dicunt secundam & nostrã sententiam improbabilem esse. Quod notatione dignum est, cum tales RR. Thomistæ sint, nostraque sententia apertè D. Thomæ, ut dixi.

440 Sed non desunt authores, qui vicem rependant prædictis Thomistis dicendo eorum sententiam esse post Tridentinũ improbabilem. Audi hanc censuram à Caramuele, ipsam non improbante, relatam. Ait ergo *in tom.* 4. *Theologiæ fundamentalis num.* 2979. * De aggravantibus circumstantijs aliquid utile, & curiosũ subiungã. Sunt qui illas cũ peccatis confundant, & existiment notabiliter aggravantes debere, leviter aggravãtes posse cõfessionis tribunali subijci, sed hæc sẽtentia post Cõciliũ Tridẽt. ita doctis displicet, ut improbabilis à multis cẽseatur. Alij putãt omnes esse peccatis venialibus similes, & posse non tamen debere subijci confessioni. At me cum multi non auderent absolvere sacramentaliter dicentem, *furatus fueram centum aureos*, & me materiam gravem surripuisse confessus heri sum: & hodie ad maiorem conscientiæ puritatem non jam furtum ipsum, non enim est animus semel bene cõfessa iterum confiteri, sed hanc puram puramque circumstantiã (nempe malitiam illam, quam supra furtum grave furtum centum aureorum addit) confiteor. * Ita Caramuel. Vnde juxta ipsum, ut absolvatur pœnitens, qui circumstantiam aggravantem omissam confitetur, debet

præter ipſam, dare aliam confeſſionis materiam, aliud, ſcilicet peccatum, aut ipſum, quòd eâ circumſtantiâ affectum fuit, & jam fuit confeſſum.

441 Secunda ergo, & vera ſententia probatur primò authoritate D. Thomæ l. c. ubi ſic ait: *quidã enim dicunt, quòd omnes circumſtantiæ, quæ aliquam notabilem quantitatem peccato addunt, confiteri neceſſitatis eſt, ſi memoriæ occurrunt. Alij verò dicunt, quòd non ſint de neceſſitate confitendæ, niſi circumſtantiæ, quæ ad aliud genus peccati trahunt, & hoc probabilius eſt.* Quo teſtimonio nihil clariùs potuit deſiderari pro noſtra ſententia.

442 Probatur ſecundò concluſio noſtra. Quia Concilium Trid. *ſeſ.* 14. *cap.* 5. *& can.* 7. ubi peccata, & circumſtantias, quæ explicari in confeſſione debent, commemorat, ſemper circumſtantias limitat ad mutantes ſpeciem: ergo ſolùm circumſtantiæ mutantes ſpeciem, & non aggravantes tantum, explicari debent. Conſequentia probatur 1. Quia ſi Concilium ſemper, ac de peccatis confitendis loquitur, limitaret ad externa peccata, colligi liceret, interna non eſſe neceſſariò confitenda, quapropter eam limitationem non apponit, ſed potiùs expreſsè doctrinam ad peccata merè interna extendit: ergo ſi doctrinam de circumſtantijs non ſic extendit ad aggravantes, ſed potiùs ſemper limitat ad mutantes ſpeciem, inferre licet, quòd aggravantes non debent juxta Concilium confiteri. Secundò probatur conſequentia: quia aliàs Tridentinum diminutè proceſſiſſet in re doctrinali, & magnopere neceſſaria, quòd credi non debet.

443 Sed dices, Concilium ſolum tradidiſſe ea, quæ certa exiſtimavit, omiſiſſe tamen doctrinam de circumſtantijs aggravantibus, ut à Theologis diſputaretur, aliàs contraria ſententia de fide eſſet. Sed contra eſt, quia Tridentinum non ſolùm omiſit doctrinam de circumſtantijs aggravantibus, ſed poſitivè earum confeſſionis neceſſitatem excluſit per limitationem, quâ ſemper ad mutantes ſpeciem limitabat, poterat enim dicere, ſaltim has confiteri debere, ut de alijs non decernere denotaret: cum ergo hoc non dixerit, ſed obligationem abſolutè limitaverit, abſolutè cum limitatio-

ne poſita obligatio confitendi circumſtantias eſt intelligenda.

444 Sed adhuc ſecundò eſt contra : ergo juxta datam ſolutionem, Tridentinum judicavit obligationem confitendi peccatorum numerum, & circumſtantias mutantes ſpeciem apertè colligi ex Sacramenti pœnitentiæ inſtitutione, non tamen colligi, ſaltim certò obligationem confitendi circumſtantias intra eandem ſpeciem aggravantes; tunc ſic : ergo non conſtat circumſtantias aggravantes debere confiteri ; tunc ulterius: ergo abſolutè non debent confiteri. Probatur iſta ultima cõſequentia: quia præceptum in re difficillima, qualis eſt confeſſio circumſtantiarum aggravantium, obligare non poteſt, niſi de illo conſtet: ergo eo ipſo, quòd non conſtet de obligatione, & præcepto confitendi circumſtantias aggravantes , ut largitur nobis ſolutio, illæ confiteri non debent.

445 Tertiò probatur à priori concluſio noſtra ; quia Concilium citato cap. 5. declarat nihil aliud à pœnitentibus exigi, quam ut quiſque ea peccata cõfiteatur, quibus ſe dominum, ac Deum ſuum mortaliter offendiſſe meminerit; ſed qui ſpecies, & numerum peccatorum confitetur, verè confitetur omnia mortalia: ergo nihil aliud ab eo exigi poteſt : & conſequenter non poteſt exigi, quòd confiteatur circumſtantias aggravantes. Minor probatur ; quia eſſentia peccati ſumitur ex ratione ſpecifica illius, reliquæ autem ſunt, logicè loquendo, accidentia illius: ergo verè declarat omnia ſua peccata , qui eorum ſpeciem, & numerum dicit.

446 Sed obijcies primò. Tridentinum citato cap. 5. colligit circumſtantias mutantes ſpeciem confitendas eſſe, *eo quòd ſine illis peccata ipſa, neque à pœnitentibus integrè exponantur , nec judicibus innoteſcant ; & fieri nequeat, ut de gravitate criminum rectè cenſere poſſint, & pœnam, quã oportet pro illis pœnitentibus imponere.* Sed omnia iſta æque probant de circumſtantijs notabiliter intra eandem ſpeciem aggravantibus: ergo iſtæ etiam ſunt neceſſariò confitendæ.

447 Reſpondetur tamen negando minorem ; nam ſi rationes allatæ à Concilio æquè probarent de aggravantibus circum-

cumstantijs, malè Concilium illationem limitaret ad circumstantias speciem mutantes. Ratio autem à priori, cur æquè non militent, est; quia si taceantur circumstantiæ mutantes speciẽ, non daclaratur integrè peccatum quò ad suum genus, & differentiam; tacitis autem circumstantijs solùm aggravantibus, declaratur totum peccatum, quo ad suum genus, & differentiam; quia circumstantia aggravans non ponit peccatum in alia specie.

448 Quamvis autem verùm sit, quòd non explicatâ circumstantiâ aggravante, non explicetur gravitas accidentalis peccati, ac proinde, nec possit poni pœnitentia tali gravitati proportionata, interest parum, quia non est obligatio proportionandi pœnitentiam gravitati accidentali peccati, & consequenter, nec judicandi de illa. Ratio est primò; quia etiam circumstantiæ notabiliter peccatum minuentes variant istam gravitatem accidentalem; & tamen eas non debere necessariò declarari communiter adversarij fatentur, quamvis aliqui consequentiùs negent. Secundò est ratio: quia quamvis expediret, ut pœnitentia esset proportionata gravitati accidentali, non tamen adeò, ut propterea imponi oporteret pœnitentibus onus gravissimum confitendi circumstantias aggravantes, quòd frequenter est difficillimum, & sæpè impossibile. Nec refert, quòd sit facilè in uno, aut altero casu; quia lex universalis non attendit ad unum, vel alterum casum, sed ad frequenter contingentia. Qua propter in nullo casu pœnitentem obligari ad confitendas circumstantias aggravantes, aut eis proportionandam pœnitentiam judicandum est, eò, quòd noluerit Christus, judicium hoc adeò exactũ esse, ut pœnitentia proportionetur accidentali gravitati, dũ eam pœnitens Ecclesiæ clavibus nollet spontè subijcere, ut optimè animadvertit Hurtadus *difficultate* 3. *citata num. ultimo.*

449 Doctrinam etiam numeri præcedentis optimè tradidit D. Thomas loco superius allegato, ubi cum contra suam, & nostram sententiam sic obiecisset: secundò præterea pœnitens debet peccatum suum Sacerdoti confiteri, ut ab eo modum

dum satisfactionis accipiat: sed pro graviori peccato maior iniungitur satisfactio: ergo debet Sacerdoti circumstantias notificare, quibus qualitas peccati cōsideratur, sic respondet: * Ad 2. dicendum, quòd determinata quantitas peccati non potest Sacerdoti innotescere, quia, nec ipse peccator scit; unde sufficit, quòd cognoscat quantitatem, quæ ex specie peccati consurgit. * Vbi clarè docet, quantitatem provenientem non ex specie, sed ex circumstantijs aggravantibus non debere manifestari ob difficultatem, quæ plerumque in ea cognoscenda reperitur.

450 Secundò obijcies varias authoritates; 1. est ex cap. considerei de pœnitentia, distinctione 15. 2. ex Cathechismo Pij V. part. 2. cap. 5. num. 41. 3. est D. Augustini varijs in locis docentis circumstantias aggravantes esse confitendas. Ad omnes tamen authoritates uno verbo respondetur cum D. Thoma, & D. Bonaventura, in eis poni cōfessionem circumstantiarum non sub necessitate, sed sub consilio, quòd constat, quia etiam similiter loqui solent de circumstantijs leviter aggravantibus, quæ apud omnes solùm sub Consilio cadere possunt.

451 Tertiò obijcies: si quis furatus esset duabus vicibus triginta argenteos, non satisfaceret dicendo: *triginta argenteos, furatus sum*; sed dicere deberet, duabus vicibus illos furatum esse. Ergo si una vice illos sit furatus, tenetur dicere se triginta argenteos una vice furatum esse. Probatur consequentia: quia non minor malitia reperitur in uno furto triginta argenteorum, quàm in duobus quindecim argenteorum.

451 Respondetur negando consequentiam. Nec urget eius probatio. Quia, quòd debeant in casu antecedentis explicari duo furta, non provenit ex majori malitia, sed ex eo, quòd numerus peccatorum explicari debeat. Vnde in casu antecedentis non sufficit dicere: furatus sum triginta, quamvis sic dicatur tanta malitia; quia non dicitur numerus peccatorum, qui potiùs explicari debet, quám magnitudo malitiæ. Sic etiam tanta malitia est in una voluntate furandi durante per spatium salutationis Angelicæ, ac in duabus dimidium illius spatij du-

durantibus; & tamen necessarium est istas duas voluntates declarare, quin in prima necessarium sit declarare circumstantiam illius durationis, cum sit circumstantia leviter solùm aggravans.

452 Quartò obijcies: sæpè circumstantiæ aggravantes majorem continent malitiam, quàm mutantes speciem: ergo debent, sicut illæ, confiteri. Antecedens probatur: quia maius peccatum est mille extra Ecclesiam aureos furari, quàm decem ex Ecclesia. Consequentia verò probatur: quia Trident. rationem reddit, cur peccata interna debeant confiteri, & non solùm externa; quia, scilicet, sæpè sæpiùs interna gravius sauciant animum, & periculosiora sunt, quam externa: ergo similiter, si circumstantiæ aggravantes sæpè sæpius gravius sauciant animum, quàm mutantes speciem, debent, sicut illæ, confiteri.

453 Respondetur tamen, concesso antecedenti, negando consequentiam. Quia maior malitia, quæ tribuitur per circumstantiam aggravantem, declaratur, quo ad suam speciem, & essentiam, declarato peccato; malitia verò, quæ provenit à circumstantia mutante speciem, non declaratur, etiam quo ad essentiam suam, & speciem, declarato peccato, unde est necessariò aperienda. Ad consequentiæ verò probationem respondetur, rationem allatam à Tridentino non afferri, ad probandum peccata interna confiteri debere; sed suposito, quòd debeant ex Christi institutione cõfiteri, eam attulit rationem, ut ostenderet mirum non esse, si eam obligationem Christus imposuerit, cum graviùs saucient animum sæpè, quàm peccata externa. Ex quo colligi potest, quòd potuisset Christus obligare ad confitendum circumstantias aggravantes: quòd tamen non obligaverit de facto, constat ex nostræ sententiæ probationibus.

## QVÆSTIO X.

### *Aliud argumentum solvitur contra quæstionis præced. resolutionem, & plura scitu digna obiter resolvuntur.*

454 Contra resolutionẽ quæstionis præcedentis obijcies

cies adhuc 5. ex Amico, ſequi ex noſtra ſententia, non teneri peccatorem confiteri actum externum peccati, ſed ſolùm affectum efficacem. Quia juxta ſententiam aſſerentem, quòd actus externus non addat malitiam interno, actus externus eſt pura circumſtantia. Sed certè hoc ipſum ſequitur pari conſequentia ex ſententia P. Amici; nam, juxta ipſum, & adverſarios, non quævis circumſtantia intra eandem ſpeciem confiteri debet, ſed ſolùm illa, quæ notabilem malitiam addit: ergo cũ nullam addat actus externus in ſententia, quam ſupponit, non magis neceſſarium erit illam confiteri in ſententia ſua, quàm in noſtra.

455 Vrgentiùs autem poterat probari, quòd quantitas in furto ſit neceſſariò declaranda ex eo, quòd non ſit circumſtantia, ſed potius pertineat ad ſubſtantiam, & individuationem actûs, & conſequenter iſta etiã ſit ratio, cur actus externi debeant confiteri. Et quidem ob iſtam rationem P. Valencia, quamvis, ut ſupra diximus, nobiſcum tueatur circumſtantias aggravantes non eſſe neceſſario confitendas, judicat tamen cõfiteri debere quantitatem rei furatæ. Sed certè fere omnium ſententia inter circumſtantias computat quantitatem rei furatæ; & quamvis ego fatear, quòd propriè loquendo reſpectu actûs in individuo ſumpti, non ſit propriè circumſtantia, ſed objectum illius; quia tamen reſpectu actûs, prout continet malitiam ſpecificam furti, circumſtantia dici poteſt, eò, quòd illi ſic conſiderato accidat talis quãtitas, ideo communiter inter circumſtantias computatur: quãvis autem debeat confiteri, non ſolùm ſpecifica ratio, ſed etiam individua peccati, non tamen debet ea quantitas, quæ ad individuationem ſpectat, declarari; ratio eſt, quia quamvis debeat declarari peccatum in individuo; non tamen adeo exactè, ut declaretur omnis ratio, & omnia prædicata, quibus individuatur; ratio eſt; tum quia plura ex illis prædicatis ſunt nobis omnino incognita; tum etiam, quia ut vidimus num. 449. D. Thomas expreſsè affirmat, qùòd ſufficiat declarare quantitatem peccati, quæ ex ſpecie conſurgit: ergo neceſſarium non erit declarare

quan-

quantitatem, quæ speciei accidit, quamvis ad individuationem actûs pertineat.

456 Ex doctrina autem numeri præcedentis colliges cum Hurtado *disp.* 9. *difficultate* 4. *&* *cum N. P. disp.* 8. §. 8. *quæst.* 26. & alijs, quòd potest pœnitens etiam interrogatus negare quãtitatem furti, aliasque similes circũstantias aggravantes. Adverte tamen, quòd dupliciter potest pœnitens eas circumstantias negare. Primò respondendo ad interrogationem, se furatum esse quantitatem gravem, & cognoscere, sive scire, quòd ad aliud declarandum nõ teneatur; tuncque confessarius debebit absolvere, si ex pœnitentis confessione, aut aliàs cognoscat, quòd nec ratione restitutionis, nec pœnitentiæ, medicinalis, aut excomunicationis, teneatur pœnitens ad amplius peccatum declarandum; per accidens enim ratione excommunicationis, aut consilij circa restitutionem, non negant Doctores nostræ sententiæ, quòd teneatur pœnitens circumstantias aggravantes confiteri; quãdo verò nec est in ea circumstantia incursa excomunicatio, nec pœnitens indiget consilio confessarij, potest modo dicto circumstantiam negare.

457 Secundus modus negandi circumstantiam est: si quis furatus est centum aureos, dicere: furatus sum decem aureos; hoc autem modo non posse circumstantiam negari, tenet expresè Hurtadus citatus Lugo *disp.* 16. *num.* 123. *&* *disp.* 14. *n.* 172. & communiter alij, ita ut nullus, quem viderim, expresè hunc modum negandi circumstantias licere defendat; excepto meo Magistro, & amico P. Ioanne de Alberro: mihi tamen, rationi stando, videtur satis probabiliter, modo dicto posse negari circumstantiam aggravantem; ratio est, quia, adhuc eo modo, negat pœnitens solum id, quod fateri non tenetur. Confirmo hoc; quia N. P. *disp.* 8. §. 2. *quæst.* 18. asserit, puellam, quæ se polluit, non teneri confiteri circumstantiam virginitatis, etiamsi interrogetur; si autem interrogata potest negare eam circumstantiam, etiam poterit negare carentiam illius; immo hoc multò urgentiùs est dicendum, quia in eius carentia declaranda est onus mul-

multò gravius: si autem ea carentia virginitatis negetur modo dicto num. præced. virtualiter iam declaratur, & consequenter non alleviatur puella; unde, ut ipsi deserviat in levamen, ut intendit N. P. Leander, dum ait posse illam negare, dicendum est illam posse negare hoc secundo modo, dicendo se esse virginem, cum revera non sit. Si tamen non utatur æquivocatione, peccabit venialiter.

458 Sed dices ex Cardinali de Lugo, quòd, quamvis necessarium non sit explicare distinctè peccati individuationem; necessarium tamen est unum peccatum non supponere pro alio; quia id esset confiteri peccatum, quod non fecit, & tacere peccatum, quod fecit, quapropter, qui Petrum occidit, quamvis satisfaciat dicendo: *occidi hominem*; non tamen satisfacit dicendo: *occidi Paulum*. Cui doctrinæ favet Tamburinus *lib.* 2. *method. confess. cap.* 1. *n.* 83. *&* *cap.* 8. *n.* 1. *&* *cap.* 10. *num.* 45.

459 Respondeo tamen in casu nostro pœnitentem confiteri peccatum commissum, furtum, scilicet, centum aureorum; negando tamen esse centum aureorum; sicut, qui digito ostendendo hominem magnum, ait: *ecce hominem parvum*, de homine magno loquitur, negando tamen illum esse magnum. Ex opposita autem sententia sequeretur, quòd nec satisfaceret dictus pœnitens si diceret: *furatus sum centum aureos minus duas drachmas*, quia etiam istud furtum est numero diversum à furto centum aureorum.

460 Ad exemplum homicidij nihil respondet amicus, & M. meus Alberro. Ego autem primò existimo, aliquam inter illud, & nostrum casum adesse disparitatem: ea autem est, quòd non ita facile percipiatur, quomodo dicendo *occidi Paulum* loquatur pœnitens de homicidio Petri, eius circumstantiam solummodo negando, sicut in casu nostro.

461 Secundò existimo, rationi stando, illum, qui Petrum occidit satisfacere dicendo: *occidi Paulum*. Dico *rationi stando*, quia non audeo absolutè affirmare, quod in nemine vidi, & cuius oppositum omnino certum existimatur à Lugo. Probo autem meam existimationem: quia,

quia, quamvis occisio Petri, & occisio Pauli sint numero diversæ, & sic videatur in dicto casu declarari peccatum non commissum, & taceri peccatum commissum; tamen videtur satis probabile, quòd utriusque occisionis differentia sit purè physica, & moraliter nec numericè differant; vel saltim, si moraliter differunt, ea differentia attendi, nec solet, nec debet; quia nihil immutat in genere moris. Vnde idem, & eodem modo explicatur peccatum, sive dicatur: *occidi Petrum*, sive *Paulum*, quia inde in genere moris nulla varietas consurgit, aut saltim nulla percipi potest. Sic communiter DD. fatentur aliquas circumstantias dari, quæ tales sunt respectu actûs in esse physico, quæ circumstantiæ illius non reputantur in genere moris. Sic etiam diversus numero actus evadet, physicè loquendo, actus internus elicitus manè, ac elicitus vespere; & tamen, qui confessus est consensum turpem vespere elicitum, non tenebitur confiteri iterum, si recordetur non vespere, sed manè illum fuisse; quia nulla apparet diversitas in genere moris.

462 Nota tamen 1. quod post hæc scripta iam invenio, quòd meam existimationem tenent, non olùm, ut probabilem; sed etiam, ut veram, aut etiam verissimam M. Moya *tom. 1. tract. 3. disp. 1. quæst. 2. P. & Arriaga disp. 34. de pœnitent. à num. 9. ad 27.* docentes universaliter, posse unum individuum physicum peccati subrogari pro alio, si sint æqualis malitiæ moralis: quod validè confirmant exemplis à communi sententia admissis, & rationibus, quæ cõsonant omnino doctrinæ à me traditæ num. præced. Quare meam existimationem iam, ut omnino probabilem, & mihi probabiliorem, trado, & cum prædictis assero, satisfacere pœnitentem, qui occidit Petrum, dicendo se occidisse Paulum: & qui concupivit Mariam, aut rem habuit cum illa, dicendo concupivisse, aut rem habuisse cum Ioanna, idemque dicendũ de similibus substitutionibus. Vnde ait Moya eum, qui peccavit cum mula, satisfacere dicendo cum æqua peccasse: & qui cum puero pollutionem, vel Sodomiam commisit, se eam commisisse cum fœmina dicens.

Vn-

463 Vnde colliges probabilem esse doctrinam, quam tradit M. Ioannes Anastasius de Arana Ordinis B. Mariæ de Monte Carmelo *in indice de vocablos verbo numero pag. mihi* 180. in eam inclinans, illam tamen non resolvens, videlicet, quòd qui per dimidium quadrantem desideraret Ioannam nuptam, & per dimidium alterum Mariam nuptam non retractando voluntatem peccandi; sed unam nuptam pro alia, ut obiectum desiderij, commutando, non duo peccata, sed unum numero committeret; quia licet desideria illa essent numero diversa physicè, propter diversitatem numericam obiectorum, non tamen moraliter; quia ea obiecta essent tantum diversa numero physicè, non vero moraliter juxta dicta num. præced. Quod à fortiori tenet N. P. Leander *tom.* 1. *tract.* 5. *disp.* 8. §. 3. *quæst.* 28. dum judicat probabilius, quòd, qui in uno actu mollitiei plures recogitat Moniales, aut plures coniugatas, unum committit peccatum, & sufficit ei dicere habui mollitiem cum cogitatione in coniugatas.

464 Nota 2. quòd non obstante, quod doctrinam à nobis traditam à num. 461. teneat M. Moya, nobis tamen contradicit in casu præcipuo, quod scilicet pœnitens possit negare circumstantiam aggravantem secundo modo relato num. 457. Quia licet unum individuum physicum substitui possit pro alio, id verùm est, quando utrumque habet æqualem malitiam; minimè tamen, quando inæqualem.

465 Sed iam, etsi nobis cõtradicat M. Moya, nobis aliqualiter favet eo ipso, quòd nostram responsionem datam ad paritatem de confitente unum homicidium pro alio promovet; semel enim posito, quòd unum individuum pro alio substitui possit, fateor, quòd id non possit fieri, quando ea sunt inæqualia in malitia aliàs exprimenda; si verò inæqualia sint in malitia, quæ necessariò exprimenda non est, qualis est, quæ resultat ex circumstantia aggravante, semper probabile judico, rationi stando, quòd substitui etiam possit.

466 Dices tamen ex mente M. Moyæ, quòd quando individua sunt inæqualis malitiæ, sunt iam individua non solùm phy-

physicè, sed etiam moraliter diversa: unum autem individuum morale pro alio substitui posse nullus dixit.

467 Respondeo non satis adhuc probari, quòd unum morale individuum pro alio substitui non possit, quando diversitas est pœnes id, quòd in confessione non est necessariò explicandum. Quod quidem ex eo confirmatur, quod juxta adversarios individuatio, etiam moralis, proveniens ex circumstantia aggravante non debet necessariò explicari, aliàs ea circumstantia nec taceri, nec negari posset, adhuc modo dicto num. 456. Si ergo non est necessariò declaranda ea individuatio: ergo poterit cum alia malitia confundi: ergo & una pro alia substitui. Prima consequentia etiam à contrarijs conceditur. Secunda vero est verisimilis; quia solùm in eo casu differt unum peccatum substitutum ab alio, pro quo substituitur, in malitia, quæ taceri, aut dissimulari potest, ac proinde ex eo, quod cum mendàcio taceatur, solùm additur veniale peccatum, quod confessionis valorem, & fructum non impedit, juxta omnes, præsertim juxta Arriagam, & Moyam. Qui rursus contrariam nobis sententiam docet, aut supponit *disp.* 2. *quæst.* 5. *à num.* 7. refert tamen ibi aliqua ex nonnullis DD. quæ nobis non favent parum.

468 Denique nota, quòd alio adhuc fundamento sententiam nobis oppositam tenet M. Thyrso *disput.* 41. *de pœnitent. num.* 8. dicens; * eum, qui furatus est una vice mille aureos, satisfacere dicendo commisi peccatum grave furti; non tamen sufficit dicere furatus sum decem, v. g. quia sub his verbis non significatur, adhuc in confuso, tota quantitas illius furti. * Sed etiam ad fundamentum istud responderi potest, non constare de obligatione significandi in confuso totam quantitatem furti; sed dici posse sufficere explicare essentiam, & malitiam specificam. Et quidem, si necessarium non est eam explicitè declarare quantitatem, non video, cur in confuso declarari debeat, nisi propter fundamentum Cardinalis de Lugo solutum iam à num. 460. Quia tamen prædictum modum negandi circumstantias aggravantes in alio

non

non inveni adhuc, nisi in prædicto P. Ioanne Alberro, alijs rem hanc judicandam remitto.

469 Vidimus num. 454. & 455. quod obligatio confitendi actus externos, supposito, quòd internis non addant malitiam, nec oriatur ex eo, quod circumstantiæ sint; nec etiam ex eo, quod ad substantiam, & individuationem actus peccaminosi pertineant. Modò oportet reddere rationem, cur debeant confiteri. Ea autem est, quod sic interpretatum sit præceptum confessionis ex usu, & traditione Ecclesiæ. Causa autem, sive congruentiæ ratio, ut sic institutum fuerit præceptum multiformiter assignatur. Dicunt aliqui eam esse, quia actus externus quamvis non addat malitiam, inficiatur tamen malitiâ actus interni, & est verè peccatum. Sed contra hoc est: quia etiam assumere ensem, & inimicum quærere ad occisionem inficiuntur malitiâ occisionis, & tamen sufficit confiteri occisionem ipsam, & necessarium non est assumptionem ensis, & reliqua similia confiteri. Propter hoc ratio erit, non solùm quia actus exterior inficitur malitiâ actus interioris, sed quia inficitur, & eam obiectivè causat. Quamvis enim ab actu interiori exterior malitiam accipiat, priùs illam actus exterior obiectivè causavit in interiori: quæ videtur sufficiens, & specialis ratio, ut ipse actus exterior sub præcepto confessionis comprehendatur. Videantur de hac re Salas *tom.* 1. *in* 1. 2 *tract.* 7. *disp.* 5. *sect.* 3. *num.* 45. P. *Vazquez etiam* 1. 2. *disp.* 76. *cap.* 3. *à num.* 16. *&* P. *Arriaga tom.* 8. *disp.* 34. *sect.* 1.

470 Cum ex dictis in hac, & præced. quæst. sufficiat per se loquendo, ei qui furtum committit, dicere: se gravem materiam furatum, quænam materia gravis censenda sit, hîc scire desiderabis. Sed rem hanc communiter Doctores prudentis arbitrio relinquendam esse dicunt. Qui autem in particulari eam assignant ita discordes sunt, ut nihil ex eorum doctrinis compertum haberi possit. Quare, alijs judicium relinquendo, tantum referam, quæ asserit doctissimus M. Moya *tom.* 1. *tract.* 3. *disp.* *&* *quæst. etiam* 3. *cap.* 1. *num.* 12. ubi hæc habet. * Ergo ad culpam mortalem diversa quantitas respectu diversorum assignan-

gnanda erit. Quapropter judico unum aureum sufficere ad culpam gravem respectu cuiuscumque etiam Regis: octo regalia respectu hominum mediocriter divitum, qui ex proprio labore non aluntur. Quatuor respectu eorum, qui ex diurna mercede sustentantur, quales sunt officiales, fossores, &c. Denique respectu hominis pauperrimi, qui mendicatis fidelium eleemosynis, vitam degeret, duo saltem regalia, & forte unum erit materia sufficiens ad culpam gravem. * Ita M. Moya. Qui dum octo, quatuor, aut duo regalia ad materiam gravem requirit, intelligendus de regalibus æreis non de argenteis, tum quia si de his loqueretur argenteos vocasset, tum quia cum Matriti scriberet de vulgaribus ibi regalibus intelligendus: ac denique, quia sic minus laxa erit eius doctrina.

## QVÆSTIO XI.
### De circumstantia quis.

471 Circũstantias, *quis, quid, ubi, quibus auxilijs, cur, quomodo, quando,* constat ex duabus quæstionibus præcedentibus confitendas, quando speciem mutant, aut numerum peccatorum augent; non tamen quando solùm aggravant intra eandem speciem. Quia tamen non sine difficultate cognoscitur, quando solùm aggravent, quando speciem mutent, aut numerum augeant, non caret difficultate, quando debeant confiteri: quapropter, ut id comperiamus singulas in particulari percurremus, circa quas multa occurrent; non tamen omnia lato calamo tractabimus, ut faciliùs omnia percurramus.

472 Circa positam ergo circumstantiam examinanda sunt ea, quæ se tenent ex parte personæ peccantis. Dicendum ergo est 1. debere confiteri votum castitatis, si adsit, in peccatis contra istam virtutem. Ratio est clara: quia talia peccata ratione voti habent malitiam sacrilegij. Vide Moyam *tract.* 3. *disp.* 3. *q.* 2. *à num.* 7. Secundò dicendum est necessarium non esse, quod, qui habet votum, declaret an sit solemne, vel simplex. Sic N. P. Leander *disp.* 8. §. 2. *quæst.* 3. plures pro nobis, & contra nos citans. Probatur autem: quia votum solemne non differt specie

cie à simplici. Ita novissimè M. Thyrso *tom. 3. disp. 41. num. 46. M. Moya l. c. à num. 4. & Tamburinus lib. 1. method. confes. cap. 7. num. 31.* Addit tamen N. P. Leander q. 4. cum Lugo, & alijs Religiosum debere, ultra votum statum Religionis declarare eò, quòd per professionem sui corporis dominium Religioni tradat. Quamvis autem hoc satis probabile sit, oppositum non minus probabile est, ut N. P. fatetur, & tenent M. Thyrso *l. c. n. 47.* M. Moya cit. n. 4. & Arriaga *disp. 32. sect. 5. num. 19.*

473 Qui tamen castitatem vovit, & simul juravit, non solùm votum, sed etiam juramentum debet explicare, quia juramentum est vinculum specie diversum. Cuius rationem præbent Lugo, & alij; quia scilicet in juramento Deus adducitur in testem falsi: Sed certè iam nos, quamvis obiter, diximus, quòd, quamvis in juramento promissorio Deus adducatur in testem falsi, si non adest intentio, tamen, dum postea non adimpletur, non adducitur Deus in testem falsi, sed solùm agitur infideliter. Quam doctrinam tenet Sanchez *lib. 3. in decalog. cap. 4. num. 23. & P. Suarez lib. 3. de juramento cap. 16. num. 9.* eamque authoritate D. Thomæ uterque confirmat. Qnapropter non ita facile explicatur, quomodo specie differat vinculum juramenti à vinculo voti, cum in utroque infideliter agatur. Existimo ergo diversitatem consistere in eo, quòd in juramento contemnatur, quamvis non formaliter, & directè, indirectè saltim, Divina authoritas; quia adductus est Deus in juramento, ut promissionem sua authoritate confirmaret. Videantur Suarez, & Sanchez nuper relati. Addo tamen ex M. Moya *disp. 3. quæst. 2. num. 9.* quamvis non sufficiat prædicto in casu votum solummodo explicare, sufficit tamen probabiliter satis explicare solum juramentum; quia in isto votum ex intentione jurantis includitur.

474 Etsi inquiras: an ille, qui votum habet castitatis, teneatur illud explicare, quando induxit non habentes votum, ut inter se contra castitatem peccarent? Respondeo teneri. Ratio est: quia absolutè peccat contra castitatem; ista enim obligat indirectè, ne alios in luxu-

xuriam inducat: eo autem ipso, quòd contra castitatem peccet, videtur frangere votum. Oppositum tamen est valde probabile, & traditur ab Arriaga *disp.* 32. *num.* 20. *à M. Moya disput.* 3. *quæst.* 2. *n.* 2. *& à M. Tyrso disput.* 41. *num.* 48.

475 Tertiò dicendum est circumstantiam virginitatis non esse necessariò in confessione declarandam. Probatur autem conclusio ista contra non paucos Doctores: quia amissio virginitatis non habet specialem malitiam contra virtutem aliquam à castitate distinctam, qualem habet raptus, & adulterium contra justitiam, incestus contra pietatem, sacrilegium contra votum, sive religionem; nec deinde speciali modo opponitur castitati, ut pollutio, sodomia, & bestialitas, ac etiam copula impotentis, quæ sunt peccata contra naturam ob specialem oppositionem, quam habent cū castitate: ergo talis virginitatis amissio non est circumstantia speciem mutans, nec necessariò confitenda. Confirmatur. Quia in sententia contraria puella; quæ confitetur desideria turpia, deberet cogi suum statum declarare, an scilicet virgo sit, quòd tamen ipsi adversarij nimis durum esse fatentur, nec aptam viam hoc onus declinandi possunt invenire.

476 Sed dices: amissionem virginitatis in fæmina speciali modo opponi castitati, ac proinde esse contra naturam; quòd autem speciali modo opponatur, probatur; quia amittitur claustrum à natura præstitum, ut apte nubere possit, & magis placere viro, & consequenter eius amissio est contra finem à natura intentum. Respondetur tamen negando assumptum; ad cuius probationem nego talem amissionem esse contra naturā, quia adhuc eâ factâ, potest puella nubere, & non tenetur ad omnia illa, quibus meliùs, aut faciliùs nubat, aut magis viro placeat, sic enim non tenetur pulchritudinem procurare, aut esse valde solicita, ne amittat eam, quam habet.

477 Secundò dices amissionem virginitatis opponi speciali virtuti, virginitati, scilicet: ergo iam erit circumstantia speciem mutans. Respondetur negando consequentiam; quia, admisso, quòd virginitas sit specialis virtus,

tus, non ideo sequitur, quòd eius amissio ipsi opposita contineat specialem malitiã; nam ad malitiam non sufficit, quòd actus opponatur utcumque virtuti, sed quod opponatur virtuti, quæ sit sub præcepto; virginitas autem sub præcepto non est; unde etiam actus matrimonialis, quo amittitur, ipsi est oppositus, nullam tamen continet malitiam. Nec etiam refert, quòd per primum peccatum cõtra castitatem amittatur aureola virginibus debita; quia talis amissio non est peccatum; tum quia ea etiam contingit in amissione, quæ fit in matrimonio; tum etiam, quia maius bonum est augmentum gloriæ essentialis, quam illa aureola; & tamen sæpè sine peccato amittit quis tale augmentum, utendo licitis recreationibus, quarum privatione illud posset promereri:

478 Tertio dices, virginis deflorationem continere malitiam injustitiæ, eo, quòd injuria irrogetur Parentibus puellæ; & saltim ipsa puella peccabit contra obedientiam parentibus debitam, aut contra charitatem, propter mæstitiam, quam in illis causat. Respondetur inprimis; puellam non facere injuriam patri suo, quia ipsa sui corporis est domina; & licet eo uti non possit licitè extra matrimonium, id evenit, quia intervenit violatio castitatis, non tamen quia aliquod jus patris violetur; nec etiam ex justitia teneri potest ad vitandam patris ignominiam, quia nullus ex justitia tenetur impedire ignominiam, quæ ex suis peccatis indirectè solùm sequitur consanguineis, aut sociis. Deinde non peccat contra obedientiam puella; quia quãvis eius opus Patribus displiceat, non solent expresfsè illud prohibere: sic etiam Religiosus, quãvis peccando contra castitatem, vis peccando contra castitatem, certissime faciat contra voluntatem Prælati, non peccat contra obedientiam, nisi casu quo adsit speciale præceptum. Denique contra charitatem potest peccare puella ob ignominiam & mæstitiam, quam parentibus causat; ea tamen malitia non causatur à circumstantia virginitatis, sed à peccati substantia; quapropter per accidens se habet ea circumstantia, & per se solùm periculum publicationis delicti, quod quia aliquando nõ est, aut non esse judicatur, fit, ut sæ-

ſæpè non reſultet dicta malitia contra charitatem.

479 Dices 4. ſtuprum eſt ſpecialis ſpecies peccati contra caſtitatem ; ſed iſtud conſiſtit in defloratione : ergo defloratio eſt circumſtantia mutans ſpeciem, & confitenda. Reſpondetur ſtuprum non eſſe quamcumque deflorationem, ſed quæ fit ſine cõſenſu fœminæ, per vim, ſcilicet, aut fraudem. Sed replicabis: ergo ſaltim ſtuprum non diſtinguetur à raptu ſpecificè. Probatur conſequentia ; quia in raptu etiam habetur fœmina per vim; unde tota eſt differentia in eo, quòd in iſta non adſit circumſtantia virginitatis, iſta autem juxta noſtram doctrinam non poteſt fundare diſtinctionem ſpecificam. Reſpondetur tamen ad replicam iſtam, 1. concedendo ſequelam, ſive conſequentiam, quam ſatis probabiliter plures concedunt : unde raptus ſignificat vim, ſive illatam virgini, ſive non virgini ; ſtuprum verò vim virgini illatam, quæ gravior ſit, quam illata non virgini, tamen intra eandem ſpeciem. Secundò reſpondetur negando conſequentiam, ad cuius probationem reſpondeo 1. ſtuprum differre à raptu; quia ſtuprum importat tantum fraudẽ, aut violentiam contra virginem; raptus verò importat abductionem virginis, aut non virginis ; immo etiam pueri, ad turpem actum cum eo exercendum. Secundò etiam ad eandẽ conſequentiæ probationem reſpondeo; ſtuprum ſolùm differre à raptu in circumſtantia virginitatis; iſta autem quamvis non ſufficiat mutare ſpeciem, cum violatur, conſentiente virgine; ſufficit tamen, cum aufertur virgine non conſentiente, quia in æſtimatione morali differt valdè injuria, quæ infertur virgini, ab injuria, quæ non virgini infertur, eò quòd illud amplius, quod virgini per injuriam aufertur, ſit quid ſpecialiſſimum, cuius amiſſio ſpecialis reputatur injuria; eius tamen amiſſio ſpõtanea non ſic inducit ſpecialem deformitatem.

480 Sed replicabis, ſequi ex doctrina data, quòd, dum virgo rapta ex metu conſentit, committat ſtuprum ; ſi verò conſentiat omnino ſponte, non committat ſtuprum; ſed hoc videtur inconveniens : ergo doctrina noſtra eſt falſa. Maior ſive ſequela, in qua

qua est difficultas, probatur; quia si virgo ex metu consentiat, intercedit vis in eius deflorationes; si verò spontè, non intercedit vis: ergo juxta nostram doctrinam, si ex metu consentiat, in eius defloratione committet stuprum, non verò si spontè. Respondet Sanchez apud Lugo *disp.* 16. *num.* 228. negando sequelam; ad cuius probationem negat consequentiam; quia stuprum consistit in ablatione violenta virginitatis; cũ autem virgo consentit ex metu, non sibi violenter aufert virginitatem, sed patitur eam sibi violenter auferri.

481 Sed replicabis iterum cum Lugo: ergo saltim virgo cooperatur ex metu consentiendo stupro viri, illiusque malitiæ erit particeps: sic enim si quis sine justa causa peteret mutuum sub usuris, licet non peccaret injuriam sibi inferendo, peccaret tamen cooperando injuriæ, quam sibi inferebat usurarius. Ad hanc tamen replicam respõdet Sanchez apud eundem Lugo; cooperatorem non contrahere malitiam, quando talis malitia dependet à circumstantia, quæ pendet à voluntate cooperantis. Sed hanc solutionem optimè impugnat Lugo; quia quòd illa circumstantia pendeat à voluntate cooperantis, prodesse potest, ut illam tollere possit; non tamen, ut illâ non ablatâ possit malitia non resultare; sic enim obedientiæ circumstantia est in potestate superioris; si tamen non tollat præceptum, & cooperetur cũ subdito ad transgressionem, participat inobedientiæ malitiam, quod alijs etiã instantijs confirmat Lugo. Qua propter.

482 Ipse Lugo respondet aliter, videlicet, virginem cooperari stupro viri; non tamen illius participare malitiam, quia illi non cooperatur, ut malum est, sed ut minus malum, quia est, sed ut minus malum est respectu viri minus malum est committere stuprum, quàm inferre mortem puellæ, quam minatur, nisi in stuprum consentiat. Sic in communiori sententia volenti occidere Petrum, si aliter occisionem non possum dissuadere, nisi consulendo, ut amputet illi manum, talem possum amputationem consulere, quia illam non consulo, ut malum, sed ut minus malum est. Sed contra istam solutionem est, quod

quòd potest stuprator vim inferre, ut consensum extorqueat nō minando mortem, sed aliud malum, quòd aut sit, aut saltim a puella judicetur minus peccatū in ipso viro, quàm peccatum stupri; tunc autem adhuc videtur durum asserere, puellam ex metu consentientem participare malitiam stupri, quam non participaret, si omnino spontè consentiret. Propter hoc ergo.

483 Respondeo ego ad istā replicam, negando consequentiam; quia virgo solùm ex metu consentit deflorationi, non violentiæ, quæ sine ipsius consensu, & cooperatione infertur: cum ergo stuprum non consistat in defloratione sola, sed in violentia præcipuè, consentire deflorationi, & cooperari, nullatenùs violentiæ consentiendo, nec cooperando, nequaquam est in stuprum consentire, aut illi cooperari. Quæ solutio mihi videtur adeo clara, ut duabus præcedentibus præferenda judicaretur, nisi mea esset, illam tamen præferendam omnino, & unicè tenendam judicavit M. meus Iosephus à S. Petro, dum à me in domesticis conferentijs illam audivit.

## *QVÆSTIO XII.*

### *De circumstantia actûs consumati in materia venerea. Vbi explicatur vigesima quinta propositio damnata à SS. P. N. Alexandro VII.*

484 IN circumstantia quid denotatur quātitas, & qualitas peccati, atq; ea omnia, quæ se tenent ex parte rei volitæ; atque etiam ex parte personæ, ad quam peccatum terminatur. Igitur circa quantitatem rei furatæ iam constat ex dictis q. 10. eam non esse necessariò declarandam per se loquendo, sed sufficere, quod dicatur eam esse gravem. Et dico, *per se loquendo*, quia per accidens, ratione excommunicationis, aut reservationis, aut consilij circa emmendationem, aut restitutionem, declarari necessariò multoties debebit. Alia ergo, quæ ad dictam circumstantiam *quid* spectant, sunt in hac, & sequentibus quæstionibus percurrenda.

485 Certum igitur est, quòd in materia venerea sit explicanda circumstantia actûs consumati, quidquid quidam dicant apud

Turrianum. Vnde, qui copulam habuit, non satisfaciet, si dicat: *peccavi graviter cum soluta contra castitatem*; sed debet copulam explicare. Ratio est, quia copula consumata specie differt ab alijs peccatis, quæ ad ipsam non perveniunt, & quæ gravia etiam sunt in materia castitatis. Diverso enim modo opponuntur castitati oscula, & tactus, atque ipsa copula; ex ista enim immediatè proli imminent inconvenientia; illa verò sunt illicita, quia sunt dispositiones ad copulam, & propter periculum illius, quod afferunt.

486 Obijcies tamen contra nostram responsionem. Tactus, & oscula, quæ copulam antecedunt, non sunt necessariò confitenda, sed sufficit ipsam copulam confiteri; immo etiam tactus, & oscula, quæ ipsam copulam immediatè subseqvuntur, non sunt necessariò confitenda. Primùm enim tenent DD. fere omnes: quod M. Moya *disp.* 2. *quæst.* 2. cum N. P. Leandro, & alijs verum esse dicit, etiam quando habita sunt sine intentione copulæ, si ista postea subsequatur. Secundùm verò tenent multi, & gravissimi cum Sancio *in selectis disp.* 6. *num.* 3. & cum eodem M. Moya *disp.* 2. *q.* 1. *n.* 24. & *Tamburin. lib.* 2. *method. conf. cap.* 1. *num.* 72. Ergo tactus, & oscula non differunt specie à copula ipsa. Probatur consequentia: quia si specie different, non sufficeret declarare copulam, sed etiam tactus, & oscula declarare necessarium esset,

487 Respondetur tamen, concesso antecedenti, negando consequentiam. Ratio enim, cur oscula declaranda non sint, est, quia componunt unum numero peccatum cum copula ipsa, si antecedentia sint, ut dispo- nentia ad illam; si consequentia, ut complementum illius. In casu autem, in quo unum numero peccatum cum copula componunt, non distingvuntur specie ab ipsa copula, sed solùm quando à copula separantur. Ratio est: quia distinctio illorum à copula consistit in eo, quòd malitia illorum sistat in illicita contrectatione; & malitia copulæ non sistat in eâ contrectatione, sed turpitudinem consumatam contineat: sed quando oscula coniunguntur cum copula, & unum numero peccatum

cum illa componunt, non sistunt in illicita contrectatione, sed progrediuntur usque ad malitiam copulæ: ergo non servant diversitatem specificam, nec cõtinent malitiam, quæ non declaretur sufficienter declaratâ copulâ.

488 Doctrinam responsionis datæ, quam ante decretum Alexandri 7. ut certam tradidi, modo a fortiori post ipsum certissimam judico; quia oppositam damnatam video eo decreto: ibi enim propositio 25. damnata talis est. * Qui habuit copulam cum soluta, satisfacit confessionis præcepto dicens: commisi cum soluta grave peccatum contra castitatem, non explicando copulam. * Hanc propositionem non explicat M. Lumberius dicens *tom.* 2. *suorum, opusculorum p.* 641. *n.* 756. eam, ac 24. & 23. explicatione non indigere.

489 Nihilominùs P. Torrecilla in explicatione dictæ propositionis *pag.* 472. *conc.* 4. *n.* 5. existimat, non damnari ab Alexandro 7. sententiam à nobis à num. 485. impugnatam. Ait enim non damnari sententiam Caramuelis, Ferrantini, Tamburini, & aliorum, quos citat, & sequitur D. Franciscus Verde *q.* 3. §. 8. *n.* 65. qui dicunt copulam habentem cum soluta satisfacere, si dicunt: *commisi grave peccatum cum soluta in specie naturali luxuriæ.* Sed ego non auderem dicere propositionem istam damnatam non esse, quia vix à damnata ullo modo differt. Dixi *vix* quia fateor aliquam differentiam habere; quia in ista literaliter accepta iam declaratur, quòd peccatum commissum non sit contra naturam. In propositione verò damnata non sic declaratur, an sit contra naturam, an non. Vnde P. Torrecilla judicare debet istam damnari præcisè, quia non declarat peccatum non fuisse contra naturam. Ego quidem aliam differentiam non invenio, & ex eo arguo sic contra Torrecillam. Prima propositio non damnatur, quia silet abesse circumstantiam contra naturam: sed in hoc solo differt à secunda: ergo differt solùm in eo, propter quod non damnatur: ergo convenit cum ea in omnibus alijs, ac proinde in eo, propter quod damnatur, & consequenter damnatur etiam ipsa. Discursus videtur rectus,

&

& maior, in qua sola est difficultas, probatur primò: quia propositio, seu accusatio, in ea memorata, satis explicat non adesse circumstantiam contra naturam in eo ipso, quòd illam non fatetur: ergo non damnatur, quia silet eam circumstantiam abesse, seu non adesse. Antecedens probatur primò: quia eam circumstantiam contra naturam abesse in peccatis contra castitatem, dum à pœnitente non dicitur adfuisse, communiter concipiunt confessarij. Secundò, quia aliàs nec sufficeret explicare copulam, si non adderetur eam fuisse naturalem. Vnde si damnaretur præfata propositio contenta in decreto, quia silet abesse circumstantiam contra naturam, etiam ista esset damnata: *Qui habuit copulam satisfacit confessionis præcepto dicendo: habui copulam cum soluta.* Hæc autem propositio non solùm damnata non est, sed evidenter vera. Ergo propositio in decreto contenta non damnatur, quia silet abesse circumstantiam contra naturam. Minorem probo; quia in ista propositione peccatum commissum, & accusatio de illo eisdem vocibus significantur: ergo aut factum non bene proponitur, aut est evidens, quòd in nullo deficit accusatio. Sic, qui furatus est rem valoris decem aureorum, satisfacit dicendo: *furatus sum rem valoris decem aureorum*, quin sit necessarium dicere eam rem non fuisse sacram; quia satis id intelligitur, dum sacram esse non dicitur.

490 Secundò probatur maior eadem discursûs nostri: Si damnaretur ea propositio, quia accusatio in ea contenta non explicabat peccatum non fuisse contra naturam, maximè, quia aliquis dixit, aut dicere potuit, quòd non erat necessarium in confessione de peccato commisso cum soluta explicare, an fuerit nec ne contra naturam: sed hoc nemo dixit, & videtur, quòd nemo dicere potuerit, aut posset. Ergo non damnatur ea propositio; quia silet non adfuisse eam circumstantiam contra naturam.

491 Tertiò probatur eadē maior discursus nostri: propositio 25. damnatur, quia asserit satis fieri præcepto confitendi copulam, non explicando copulam, sed quid commune ad copulam, & ad tactus inhonestos gra-

graves; quod patet ex tenore ipso propositionis: ergo non damnatur, quia silet circumstantiam contra naturam abesse. Sic ergo confirmo damnari propositionem supra memoratam: in ea, quamvis declaretur non fuisse peccatum contra naturã, non tamen declaratur copula magis, quám in ipsa accusatione contenta in propositione in proprijs terminis damnata: ergo si illa damnatur, quia in accusatione, quæ in illa continetur nõ declaratur copula, etiam propositio memorata damnata est judicanda. Vbi adverto, quòd posset quis judicare, quod P. Torrecilla, dum explicat hanc propositionem 25. damnatam ab Alexandro, malitiosè illam proposuit, omittendo verba illa: *non explicando copulam*: Sed cum in indice propositionum damnatarum ab Alexandro 7. in ea propositione 25. ea verba apponat, casu, aut ex errore Typographi ea fuisse alibi omissa credendum est.

492 Nota tamen primò quod ipse Torrecilla *loco cit. conc. 3. num. 4.* asserit propositionem damnatam impugnari bene à Diana *part. 11. tract. 5. resolut.* 48. Sed Diana impugnat propositionem Ferrantini, & eã se iam (adhuc ante decretum Alexandri) non reputare probabilem profitetur: ergo ipse Torrecilla debebat illam damnatam judicare. Præterea ex ipso Diana omnia à nobis contra Torrecillam dicta confirmantur. Quia sententia Ferrantini, quam improbabilem censet, præcipuè impugnat ex Lugo, & Oviedo, quia licet declaret peccatum grave contra castitatem, non declarat copulam. Vnde istâ non declaratâ, quamvis declaretur peccatum non fuisse contra naturam (quod satis declaratur, non declarando fuisse contra illam) non satisfit præcepto confessionis, nec id apud Dianam erat probabile ante decretum; ac proinde id ipsum est, quod nos debemus judicare damnari per illud.

493 Secundò nota, quòd nostræ explicationi aut intelligentiæ propositionis 25. favet M. Lumbier, dum eam propositionem explicatione non indigere statuit, quod verum est, si sensus, in quo eam nos intelleximus, ita scilicet, ut sub sua damnatione comprehendat propo-

poſitionem Ferrantini, quam ab ea eximit Torrecilla, ſit evidens; nam ſi non ſit hoc evidens, explicatione egebit, ut comperiatur, an Torrecilla in damnatione non comprehendi memoratam propoſitionem bene aſſerat; an verò potiùs nos, dum eam comprehendi exiſtimamus. Non minus autem clarè eadem noſtra expoſitio colligitur ex dictis à Prado in huius propoſitionis explicatione.

## QVÆSTIO XIII.

### *De circumſtantia conſangvinitatis, & affinitatis. Vbi explicatur propoſitio vigeſima quarta damnata à SS. P. N. Alexandro VII.*

494 PRo reſolutione dicendum eſt, in peccatis carnis explicandum eſſe neceſſariò circumſtantiam conſanguinitatis, aut affinitatis, quæ intercedit inter peccantes. Ratio eſt, quia iſta circumſtantia addit malitiam inceſtus ſpecifice diverſam. Quapropter in hoc aſſerto omnes conveniunt DD. variant tamen nimis DD. in decidendo, an gradus conſanguinitatis ab affinitatis gradibus differant ſpecifice, & an intra conſanguinitatis gradus differant proximiores à remotioribus? Aliqui enī, quos refert, & ſequitur Tamburinus *lib.* 2. *meth. confeſſ. cap.* 7. §. 7. *num.* 48. omnes gradus ſive conſanguinitatis, ſive affinitatis eſſe eiuſdem ſpeciei fatentur, ita, ut ſufficiat adhuc illi, qui cum ſua matre peccavit, dicere: habui copulam inceſtuoſam. Alij verò è contra ſingulos gradus declarari debere affirmant.

495 Probabiliùs tamen videtur 1. ſpecie diferre, tam in affinitate, quàm in conſanguinitate gradus lineæ rectæ a gradibus tranſverſalis. Ratio eſt, quia ſpecialiſſime videtur eſſe contra pietatem peccare cum matre, aut avia, aut cum uxore Patris, aut avi potius, quàm cum alijs conſanguineis, aut affinibus lineæ tranſverſalis.

496 Secundò videtur probabiliùs in ipſa linea recta differre ſpecie peccatum cum aſcendenti, à peccato cum deſcendenti. Ratio eſt, quia peccare cum aſcendenti continet irreverentiam contra perſonas ipſas aſcendentes.

tes. Vnde diversum peccatum est copulari matri, quam filiæ copulari.

497 Tertiò; videtur probabiliùs non differre specie inter se gradus proximiores à remotioribus intra eandem lineam rectam. Ratio est, quia non apparet fæditas specialis; eadem enim fæditas videtur, saltim quo ad speciem, reperiri in accessu ad aviam, atque in accessu ad matrem.

498 Quartò probabiliùs videtur, quòd gradus affinitatis specificè non distinguatur a gradibus consanguinitatis, cum proportione loquendo. Ratio est, quia quamvis valde videantur differre, est differentia materialis; formaliter verò loquendo, non ita differunt, ut dici debeant specie differre; sed solùm, ut aliquanto gravior evadat malitia, dum consanguinitas intercedit.

499 Quintò probabiliùs videtur, in linea transversali incestum cum sorore à reliquis specie differre; non tamen reliqui incestus inter se. Ratio primæ partis est, quia incestus cum sorore specialem continet fæditatem, specialemque horrorem in eo posuit natura: & meritò, ne, dũ simul fratres nutriuntur, castitas periclitaretur. Secunda vero pars constat, quia in reliquis non apparet specialis differentia, sed differunt penes magis, & minus.

500 Sextò probabile videtur, & mihi verum, quòd accessus ad affinem ultra secundum gradum, cuius affinitas est orta ex copula illicita, non habet circumstantiam incestus. Quia sicut cessat affinitas in tertio, & reliquis gradibus in ordine ad matrimonũ dirimendum, quando ea oritur ex copula illicita, sic etiam cessat in ordine ad inducendam incestus circumstantiam. Quod tantummodo judico velle Lumberium *tom.* 1. *pag.* 346. *num.* 180. dum inquirit. * Si resultat circumstantia incestûs ex copula illicita, post secundum gradum, * & respondet negativè; si namque aliud vellet, sustinendus non esset. Negari tamen non potest, quòd obscure loquatur, quamvis lingua vernacula.

501 Observandum tamen est primò, de cognatione legali, & spirituali, & publica honestate eodem modo esse judicium feren-

rendum, ac de cognatione naturali, & affinitate. In cognatione autem spirituali additur sacrilegij malitia propter irreverentiam, quæ fit Sacramento.

502 Secundò observandum est, quòd in reliquis impedimẽtis matrimonij necessarium nobis non est in particulari agere; sed solùm advertere, quòd tunc est necessarium illa declarare, si copula intercessit, quando ratio motiva impedimenti militat etiã in copula, ut contingit in impedimento impotentiæ, voti, & disparitatis cultus. Quamvis Diana *par.* 9. *tract.* 9. *resolut.* 3. *& Tambur. opusc.* 1. *lib.* 2. *cap.* 7. §. 4. *num.* 20. judicantes rationem motivam impedimenti disparitatis cultûs in copula non militare, ut probabile tenent, quòd in copula cum infideli, aut hæretica, non sit necessariò ea circumstantia declaranda. Quando verò ratio motiva impedimenti non militat in copula, ut in errore, conditione, crimine, & similibus, ipsum non addit malitiam specificam, nec est necessariò declarandum: de quo latius DD. in materia de matrimonio.

503 Inquires tamen primò, an etiam sit declaranda cognatio orta ex receptione Sacramenti pœnitentiæ. Respondetur negativè, quia nulla ex eo oritur spiritualis cognatio, ut decrevit Bonifacius VIII. *in cap. quamvis de cognat. spirit. in* 6 Vnde si aliqua jura oppositum indicant, aut censentur per Bonifacium revocata, aut patrificant solum pœnitentiam baptismo, quantum ad pœnam, quæ debet imponi Patri spirituali cum spirituali filia peccanti: Negari tamen non potest primò, quod ex ipsa natura rei sit clarum, esse circumstantiam aggravantem peccare cum filia confessionis. Secundò quòd sit circumstantia gravis sacrilegij, quando ipsum Sacramentum aliquo modo sumitur, ut medium ad peccatum, etiam extra casus contentos in Bullis de cõfessarijs solicitantibus, & solùm attentâ naturâ rei. Videatur Lugo *disput.* 16. *sect.* 6. §. 3. *Sancius in select. disput.* 11. *& M. Moya disp.* 3. *de pœnitent. quæst.* 2. *num.* 20.

504 Secundò inquires, an etiam sit explicanda circumstãtia consanguinitatis, vel affinitatis in peccato nefando sodomiæ.

miæ. Respondetur affirmativè. Quia etiam alij tactus cum consanguineis, qui ad copulam nõ perveniunt, participant incestûs malitiam: ergo à fortiori nefarij tactus sodomitici. Nec refert, si sint inter viros; tum quia non est ratio, cur minus sit contra pietatem: tum etiam quia actus sodomiticus non est formaliter diversus ex eo, quod sit cum fœmina, aut cum viro. Vnde probabilius est, quòd non debeat declarari, an cum viro, an cum fœmina sit habitus. Idẽque dicendum putat, & meritò, M. Lumberius *tom.* 1. *pag.* 288. *num.* 18. *&* *tom.* 2. *pag.* 851. *num.* 1230. *&* *seqq.* de alijs tactibus, si ultra tactus inhonestos, aut ultra pollutionem non progrediantur. Declarandum tamen est tum in nefando, tum in proximè dictis tactibus coniugium, votum, & similes circumstantiæ. Etiamque declarari debet in nefando (licet hoc non sit ita certum) an pœnitens fuerit agens, vel patiens. Ratio est, quia diversam malitiam continere videtur propria pollutio, quæ agenti contingit, quam cooperatio ad alienam, quam exhibet patiens.

505 Nota tamen, quod nostram sententiam affirmantem præfatam sodomiam inter consanguineos, aut affines specie differre, ac proinde in confessione explicandam, certam esse tenet Moya *disp.* 3. *de pœnit. quæst.* 3. *cap.* 3. *num.* 31. loquendo de gradibus, in quibus jure naturæ est interdictum matrimonium, videlicet, ut ipse exponit, in primo gradu lineæ rectæ; in reliquis verò, in quibus jure solùm Ecclesiastico est matrimonium prohibitum n. 32. judicat probabiliùs circumstantiam incestûs non reperiri: quod præsertim in masculis tenendum ait n. 35. Similiter affirmat de tactibus impudicis cum viris ultra primum gradum lineæ rectæ habitis; de habitis verò cum fœminis consanguineis aliter sentit; quia scilicet in eis, aut sunt eiusdem speciei cum copula naturali, aut continent periculum consentiendi in illam. Si verò habeantur sine periculo consentiendi in copulam naturalem, probabile judicat, quòd incestûs malitiam non contineant. Sed his non obstantibus omnino probabilius judico vera esse dicta num. præced. de quocumq; gradu prohibito. Quod etiam te-

tenet Tamburinus *lib. 2. method. confess. cap. 7. §. 7. num. 53. & 54.* Oppositæ tamen sententiæ valde favet Lumberius *tom. 2. n. 673.*

506 Præterea nota in peccatis contra naturam specie differe mollitiem, sodomiam, & bestialitatem, ac proinde ei, qui bestialitatem, aut sodomiam cõmisit, non sufficit dicere se procurasse pollutionem, aut peccasse contra naturam. Quod constat ex decreto Alexandri VII. in quo 24. propositio ex damnatis est. * Mollities, sodomia, & bestialitas sunt peccata eiusdem speciei infimæ, ideoq; sufficit dicere in confessione se procurasse pollutionem. * Hanc propositionem M. Lumbier *tom. 2. p. 641. n. 756.* ait non egere explicatione. Notat tamen benè P. Torrecilla *in explic. illius pag.* 472. primò non damnari in ea sententiam asserentem: quòd, qui sodomiam commisit, non tenetur explicare, an fuerit agens, vel patiens; an cum viro an cum fœmina: nec sententia asserens non debere explicari circumstantiam virginitatis fœminæ sodomiticè cognitæ. Addo ego, nec an fuerit cognatus sodomiticè cognitus; quia quid sit de necessitate eius circũstantiæ explicandæ, tamen de his non agit propositio damnata. Idemque dicendum cum eodem Torrecilla de sententia asserente non necessariò explicandam speciem bestiæ, cum qua commissa fuerit bestialitas, quæ non solùm non est damnata, sed est probabilior.

507 Vbi adhuc addendum, quòd licet sententia, quam tenet Verricelli *tom. 1. qq. moral. tract. 4. q. 27. sect. 8. num. 57. relatus à Moya tract. disp. & q. 3. cap. 5. num. 44.* affirmans fœminam solutam se polluentem, licet mortaliter peccet, non committere peccatum formale mollitici, ac proinde satisfacere, si dicat: *inhonestè me tetigi:* idemq; dicendum putat de frigidis, spadonibus, & pueris incapacibus habendi veram pollutionem. Hæc inquam sententia, quamvis damnata non sit in ea propositione; tamen eâdem censurâ dignâ est, ac propositio ipsa damnata, scilicet, improbabilis, & scandalosæ, ut notat idẽ Moya cit. nu. 44.

* * * *
* *

## QVÆSTIO XIV.

### *Circa eandem circunstantiam* Quid, *plures difficultates resolvuntur.*

508 CIrca eandem circumstantiam quid, dicendũ est 1. eum, qui morosè delectatur, etiam sine desiderio exequendi rem veneream, teneri non solùm suum statum declarare, sed etiam statum fœminæ, de qua delectatur. Prima huius asserti pars est communis, & certa contra Herreram, quem citat N. P. Leander *disp.* 8. §. 2. *q.* 22. Constat autem, quia, qui talem delectationem contra castitatẽ habet, gravi er peccat contra illam: ergo frangit votum, ac proinde voti, si illud habet, tenetur circumstantiam declarare. Secunda autem asserti pars est contra P. Vazquez, Dianam, & alios absolutè docentes non debere declarari circumstantiam se tenentem ex parte obiecti: est etiam contra nostrum P. *disp.* 8. §. 2. *quæst.* 21. *& contra Lugo disp.* 16. *sect.* 6. §. 4. qui asserunt eam circumstantiam non debere declarari, quando delectatio à tali circumstantia præscindit. Probatur autem: quia ex eo, quòd talis delectatio præscindat à circumstantia, non benè infertur, si talis cognoscatur circumstantia, quòd eius malitiam non participet: ergo nec sequitur, quod declarari non debeat. Consequentia est apud omnes bona: antecedens verò probatur; quia ex eo, quòd delectatio morosa (loquimur in materia venerea) ab omni malitia præscindat, nõ sequitur, quòd ipsa delectatio omni malitia careat: ergo etiam ex eo, quòd ab alicuius circumstantiæ malitia præscindat, non sequitur, quòd eius malitia careat. Consequentia bona videtur à paritate rationis: antecedens verò constat in delectatione, quam habet sponsus de futuro de copula futura; & vidua, de præterita, quæ ex parte obiecti nullam respiciunt malitiam; & tamen peccaminosæ sunt, ut Lugo fatetur.

509 Ratio à priori est, quia delectatio circa coniugatam nõ contrahit malitiam ex eo, quòd circa illam versatur; aliàs etiam delectationes morosæ in rebus non venereis, quamvis à malitia præscinderent, malitia inficerentur: ratio ergo, quare con-

tra-

trahit malitiam est, quia est periculum consentiendi in copulam: ergo sicut tactus inhonesti habent malitiam desumptam à circumstantia personæ, eò, quòd contineant periculum consentiendi in copulam cum ea, circa quam versantur, similiter de delectatione est sentiendum, cũ etiam delectatio non utcumque contineat periculum consentiendi in copulam, sed etiam determinatè cum ista, circa quam est delectatio. Quæ ratio & deservit optimè ad declarandum, quomodo etiamsi delectatio ab omni malitia præscindat, aliquam tamen contineat malitiam; & etiam ad declarandum, quomodo à circumstantijs aliquibus, à quibus præscindit, malitiam propriam ipsarum participet.

510 Secundò dicendum est probabile esse, quòd ille, qui ex odio desideravit, ut malum grave proximo eveniret, non tenetur declarare, an illud malum fuerit corporis, famæ, aut fortunarum. Ratio est, quia quamvis ea mala secundùm se differant, omnia tamen sub eadem ratione formali desiderantur, quatenùs, scilicet, sunt malum proximi. Sed dices: si quis desideret malum proximo inferre, tenetur genus mali, quod desideravit declarare, etiamsi illud ut malum proximi desideraverit: ergo similiter illud declarare tenebitur, quando desideravit, ut eveniret. Quia huius argumenti antecedens communiter admittitur, non parum urget nostrum assertum. Respondeo tamen negando consequentiam; ratio autem disparitatis est, quia in casu antecedentis desiderium tendit efficaciter ad positionem mali desiderati; unde sicut positio illius non potest præscindere à malitia particulari, & specifica, sic non potest præscindere ab illa desiderium revera efficax; quia quantumvis sub ratione mali obiectum desideret, cum ad illud in re ponendum efficaciter tendat, malitiam desumit ab illo prout in re posito se habet. Desiderium autem in casu consequentis non tendit ad positionem, & executionem mali efficaciter, sed in illo, ut aliunde ponendo complacet, sub conditione, quod ponatur: unde potest ab illius particulari malitia præscindere, & solum ab illo prout proximi malum continet spe-

ſpecificari. Vide Tamburin. *opuſc. 1. lib. 2. cap. 6. §. 3.*

511 Tertiò dicendum eſt; quòd ille, qui alterum appellat furem, ebrium, hæreticum, aut aliam ſimilem contumeliã, ſatisfacit dicendo ſe contumeliâ proximum affeciſſe. Ratio eſt; quia ſicut furtum accipit ſpeciẽ a læſione fortunarum, ſic contumelia a læſione honoris: unde ſicut fur non tenetur materiam furti declarare, ſic nec afficiens alium contumeliâ, tenetur verba, quibus illum affecit, explicare: quod ſimiliter dicendum eſt in detrectatione, & judicio temerario, quia ſimiliter illa accipit ſpeciem a læſione famæ; iſtud vero a læſione bonæ exiſtimationis.

512 Quartò dicendum eſt, eum, qui ſe jactavit de peccato, non teneri explicare peccati ſpeciem, de qua ſe jactavit. Ratio eſt; quia jactantia ſumit ſuam ſpeciem ab irreverentia, quæ in Deum comittitur aſſumendo illius offenſam, ut medium ad laudem humanam captandam; tenebitur tamen ſpeciem peccati explicare; primò ſi non ſolùm ſe jactet, ſed etiam complaceat in illo; quia complacentia ſumit à peccato ipſo ſpeciem. Secundò tenetur ſpeciem explicare, ſi ratione illius contineatur iniuria, aut irreverentia contra perſonam humanam; ut ſi jactãtia ſit de iniuria, aut contumelia proximo illata, quæ in novã eius contumeliam cedat. Tertiò ſi alium laudet de peccato commiſſo, aut vituperet quia non commiſit; tunc enim laus illa, aut vituperium, inducit ad peccatum, circa quod verſatur, eo modo, quo conſilium, quod à re conſiliata ſpeciem ſumere dicemus ſtatim.

513 Quintò dicendum eſt, eum, qui conſiliatur peccatum, debere in confeſſione explicare, quodnam fuerit peccatum, quòd conſiliatus fuit. Ratio aſſerti eſt; quia licet cuiuslibet peccati conſilium ſit contra charitatem, habet tamen prætereà aliam malitiam deſumptam à peccato cõſiliato, ita, ut ſit contra eandem virtutem, contra quam eſt peccatum ipſum conſiliatum: unde à peccato conſiliato accipit malitiam ſpecificè diverſam pro diverſitate ſpecifica peccati, & conſequenter neceſſariò declarandam. Sed dices: ergo conſilium habebit maiorem malitiam,

am, quam peccatum consilia-tum, cum sit contra eandem virtutem, & ulteriùs contra charitatem. Respondeo tamen; consilium contra eandem virtutem esse, cum multo tamen minori malitia, quàm opus consiliatum, excedit tamen in malitia contra charitatem, quam opus non habet; iste autem excessus non semper est æqualis, sed aliquando forsan, compensatione facta erit maius peccatum, consilium, aliquando maius opus: quod difficulter dignosci potest. Quando ergo concedendum videatur, quòd sit maius peccatum consilium, pensatis omnibus, concedenda est consequentia illata, sed sine ullo inconvenienti.

514 Sexto dicendum est, in detractione, aut judicio temerario necessarium non esse, declarare personæ statum, an, scilicet, sit Sacerdos, Religiosus, aut coniugatus. Ratio est; quia istæ circumstantiæ, & similes, aut impertinenter se habent, aut si aggravant, id est leviter tantum. Addidi, si aggravant, quia sine dubio aggravare videtur circūstantia statûs Sacerdotalis, vel Religiosi; quòd autem ea aggravatio sit levis, mihi persuadeo ex eo, quòd non quævis indecentia, aut irreverentia contra statum Sacerdotalem gravem circumstantiam sacrilegij addit; sicut enim, etsi dedeceat ipsum Sacerdotem furari, jurare, & se inebriare, aliaque similia; id tamen non facit, quòd ea peccata sint gravia intra speciem sacrilegij; sic & si specialem quandā contineant indecentiam detractio, aut judicium contra Sacerdotem, ea non debet tanta judicari, ut novam speciem gravem sacrilegij constituat in confessione declarandam.

515 Si tamen quis detrahat de patre, filio, fratre, aut uxore, debet id explicare, si ita detrahat, ut graviter censeatur lædere amorem istis personis debitum. Notandum est tamen quòd minor detractio erit necessaria ad graviter lædendum amorem parentibus debitum, eò, quòd illis maior amor, & reverentia debeatur, & ideo per minorem injuriam graviter lædi censeatur.

* * *
* *

# QVÆSTIO XV.
## De distinctione numerica peccatorum.

516 EX circumstantia quid nō rarò dependet cognitio multiplicationis, aut carentiæ multiplicationis numericæ peccatorum. Quapropter cum in confessione numerus peccatorum sit explicandus, modo examinandum est, quando talis numerus crescat, vel minuatur propter diversam rei cōmissæ circumstantiam. Igitur tunc plures actiones in genere physico sunt unum numero peccatū, quando etsi physice plures sint, moraliter tamen unam componunt; tunc verò sunt plura peccata, quando moraliter unam non possunt actionem componere. Est tamen adeo difficile regulam tradere pro dignoscenda unitate morali actionis, ut sub regula generali difficile comprehendi possit; quapropter multò clarius procedemus, si singulares casus decidamus, qui veluti norma sint aliorum, quos brevitatis causa omittemus.

517 Dicendum igitur est primò, satis esse probabile actum, qui unicus est, respicit tamen plura obiecta numero diversa, unum numero peccatum esse. Ratio est primò, quia satis probabile est, quòd in unico actu non possit reperiri duplex malitia solùm numero diversa. Secundò, quia dato, quòd in unico actu plures numero malitiæ reperiantur, non ideo dicenda sunt plura numero peccata, sed unum numero peccatum cum pluribus numericè malitijs; non autem erit necessarium explicare numerum obiectorum, quia non adest obligatio confitendi omnes numericas malitias, sed solùm numerum peccatorum, & malitias specificas; per hoc enim sufficienter declaratur numerus, & species peccatorum, quod requirit à pœnitentibus Tridentinum.

518 Ex ista conclusione plures inferes resolutiones. Prima est, cum, qui unico actu voluntatis plures homines voluit occidere, aut de facto unica actione occidit, unum tantum peccatum comittere. Secunda cum, qui voluit pluries rem habere cum una fæmina, aut cum pluribus eiusdem conditionis, unū etiam peccatum committere.

Ter-

Tertia, eum, qui habuit voluntatem non recitandi toto anno, aut non jeiunandi totâ quadragesimâ, unicum etiam patrare delictum. Quarta etiam unicum patrare delictum, qui turpia loquendo plures scandalizat, aut de integra familia, quæ plures personas continet, detrahit: in his ergo casibus, & similibus nõ est necessarium numerum obiectorum explicare, sed sufficiet dicere, plures homines volui occidere, aut de pluribus una vice detraxi, aut cum pluribus fæminis, aut pluries cum una rem habere desideravi, quin sit necessarium dicere, an homines illi, vel fæminæ, aut vices, quibus rem habere semel desideravit, aut personæ, de quibus detraxit, fuerint quatuor, decem, aut viginti; quam doctrinam tenet Tamburinus *lib. 2. method. conf. cap. 1. à num. 58. & cum N. Ludovico à Conceptione tract. 5. casu 5.* doctissimi, & non pauci recentiores, quos refert, & partim sequitur M. Moya *disp. 2. quæst. 4.* Dixi partim sequitur, quia tenet utiq; in prædictis casibus unum peccatum committi. Sed hoc non obstante numerum personarum declarari debere dicit, speciali ratione ductus, quòd, scilicet, in dictis casibus licet unum numero sit peccatum metaphysicè, sunt tamen moraliter plura numero.

519 Si autem ex obiectis, quæ respicit actus, aliqua sint speciei diversarum continentia circumstantiam, ea explicanda sunt: unde, si inter homines occidendos aliqui sint sacerdotes, id est declarandum, non tamen necessarium erit numerum Sacerdotum declarare: similiter est, si quis est pater, aut frater, aut uxor, atque etiam, si inter fœminas, aliqua sit monialis, coniugata, aut consanguinea, ac denique declaranda est quævis alia circumstantia, quæ diversæ speciei malitiam contineat.

520 Dubitari autem potest, an coniugatus, qui rem habet cum coniugata, satisfaciat dicendo, adulterium commisi; an potiùs teneatur utriusque coniugium explicare. Satisfacere dicendo commisisse adulterium existimat noster Ludovicus, quod consequenter dicit ad suã, & nostram doctrinam, si supponatur malitiam adulterij contra propriam vxorem esse eiusdem speciei, cum malitia adulterij con-

contra maritum alterius, cum qua rem habet, quam ſententiam tenet Sà *v. confeſſio. n.* 30. & alij apud Amadeum *tract. de matrimonio propoſit.* 12. Sed ego utriuſque coniugium: (ſimiliter dicendum eſt de voto, quando adeſt ex parte utriuſque peccantis) debere declarari cum Tamburino *lib.* 2. *cap.* 7. *§.* 6. *num.* 44. & cum communi ſententia longè probabiliùs exiſtimo; conſequenter etiam ad dicta, quia exiſtimo illas duas malitias ſpecie differe: diverſa enī malitia continetur in violatione proprij matrimonij, ac in cooperatione ad violationem alieni, ſicut diverſam continet malitiam fractio jeiunij, & cooperatio ad hoc, ut alter jeiunium frangat; primum enim eſt directè contra abſtinentiam; ſecundum vero reductivè tantum. Vnde colliges, quod etiam non ſufficiet dicere adulterium commiſi; quando unus ſolus ex peccantibus eſt coniugatus, ſed neceſſarium erit dicere ex cuius parte coniugium intercedat, niſi aliàs confeſſario id conſtet, quòd licet communiter non advertatur, mihi evidenter ſequitur ex doctrina nuper tradita. Vnde etiam neceſſarium eſt in eo, qui ſacrilege fornicationem commiſit, explicare, an votum ex parte ipſius, an ex parte cō-plicis ſe habeat. Oppoſitum tamen docet M. Moya *diſp.* 3. *quæſt.* 2. *num.* 6. Sed in re non contra nos; quia nos loquimur juxta ſententiam noſtrã de diverſitate ſpecifica inter fractionem proprij voti, & cooperationem ad fractionem alieni; ille verò juxta contrariam, quam fateor eſſe communem.

521 Denique hic nota, quod M. Moya *diſp.* 2. *quæſt.* 4. *§.* 4. tenet nobiſcum circumſtantiam duplicati adulterij, vel voti declarandam eſſe, licet aliàs contra nos teneat, quòd malitiam ſpecie diverſam eæ circumſtantiæ non refundant, ſed alia ratione ducatur indicata ſupra num. 518. Idem in Tamburino animadverte, quamvis nec noſtra, nec M. Moyæ ratione utatur, ſed alia tertia. *V. illum lib.* 2. *cap.* 1. *num.* 65.

522 Secundò dicendum eſt, illum, qui uno impetu iracundiæ plures maledictiones jactat, aut plures contumelias profert, aut multoties fuſte, aut pugno eundem hominem percutit, u-

num numero peccatum committere. Ratio est, quia quamvis in quolibet casu ex istis plures actiones reperiantur, omnes tamen propter moralem continuationem, unam numero componunt actionem, ideoque unum numero peccatum. Similiterq; unum numero peccatum facit, qui continuatè in die vigiliæ plura fercula carnis comedit, quod etiam verùm est, quamvis aliqua detur discontinuatio, dū modo non sit tanta, quæ sufficiat ad constituendam diversam comestionem moraliter loquendo.

523 Tertiò dicendum est, eum, qui pluribus diebus omittit officium divinum, ieiunium frangit, aut violat festum, plura committere peccata in confessione declaranda. Ratio est, quia in huiusmodi casibus plures interveniunt actiones externæ, aut actionum omissiones, quæ nec moraliter unam componunt, quamvis ab unica interna volitione possint procedere.

524 Quartò dicendum est, probabilius esse plura peccata committere, eum, qui unica occasione continuate, sed successivè plures occidit homines, pluribus Eucharistiæ, aut pœnitentiæ Sacramentum administrat in mortali (non definio modo, an Eucharistiam in mortali ministrare sit mortale, vel veniale.) Hæc conclusio est cōtra nostrum Ludovicum, aliosq; recentiores non paucos. Eam tamen tenet Arriaga *disp.* 34. *num.* 20. & 21. Excepto casu de communionem pluribus ministrante.

Probatur autem; quia huiusmodi actiones moraliter unam non componunt, quia una nec alterius pars potest dici, nec ad aliam ordinari, sed quælibet est ita completa, & ita adæquata, ut in se sit unum completum peccatum; & quæ denuo supervenit, non illam complet, sed aliud peccatum constituit. Hoc satis probabiliter nostram probat cōclusionem; validius autem confirmatur ex eo, quòd apud omnes ille, qui unico fervore, seu potius furore lasciviæ pluries cognoscit fœminam, plura peccata committit, ut tanquam certum tenet cum N. Leandro M. Moya *disp.* 2. *quæst.* 3. *num.* 8. quamvis aliquos oppositum tradidisse testetur: ergo similiter, qui unico impetu, aut una vice plures successivè occidit, plures con-

confessiones audit, aut pluribus Euchariſtiam adminiſtrat, plura committet peccata. Antecedens nemo audet negare; conſequentiam verò, etſi negent contrarij, non facile reddunt diſparitatē, quæ ſatisfaciat.

525 Sed dices: qui ſucceſſivè plures occidit, non committit plura peccata, quia plures ſunt actiones, nec quia plures ſunt homines occiſi: ergo nequaquā plura peccata committit. Antecedentis prima pars probatur; quia aliàs etiam, qui plures ſucceſſivè profert contumelias, plura peccata committeret. Secunda verò pars: quia aliàs etiam quando unica actione interficerentur, darentur plura peccata. Reſpondeo tamen non dari plura peccata præcisè, quia plures ſint actiones, nec præcisè, quia plures ſint homines occiſi, ſed ex utroque ſimul; eo enim ipſo, quòd homines occiſi ſint plures, actiones illæ non poſſunt unam actionem moraliter componere, ſicut componerent, ſi eſſent plures percuſſiones eiuſdem hominis, pluresvè contumeliæ.

526 Quintò dicendum eſt, quòd ille, qui, ut occidat inimicum, quærit illum, & omnia media neceſſaria apponit, etiamſi multos dies in eis inſumat, unum peccatum committit, niſi in aliquo medio ex alio diverſo capite aliqua reperiatur malitia. Ratio eſt, quia omnes illæ actiones, cum ad occiſionem ordinentur, unum cum illa peccatum conſtituunt, nec ſufficiunt interruptiones, quæ tum diſtractione naturali, tum ſomno eveniunt, quia iſtæ non faciunt diſcontinuationem moralem, ſed ſolùm phyſicam: unde ſimiliter, qui omiſit debitam reſtitutionem per multum tempus, unum peccatum commiſit, quia etiam ſomnus, aut impotentia, quæ poteſt interim evenire, non ſufficiunt ad diſcontinuationem moralem omiſſionis; in utroque autem caſu ſufficiet ad diſcontinuationem retractatio voluntatis. V. M. Moyam *diſp. 2. q. 1. nu. 22. & 25. & Tambur. lib. 2. method. cap. 1. §. 6.*

527 Sextò dicendum eſt, eum, qui habuit moroſam delectationem, aut deſiderium turpe per integram horam, non teneri hanc durationem explicare, nec etiam plura peccata committere, quamvis intra illam horam

ram plures habuerit interruptiones ceſſando à cogitatione, vel deſiderio ob diverſionem naturalem ad alia. Ratio eſt, quia duratio illa ſolùm eſt circumſtantia aggravans; interruptiones verò, etſi phyſicè diſcontinuent actus illos, non tamen moraliter, ideoque non tollunt moralem unitatem. Difficultas tamen eſt; an idem dicendum ſit, ſi deſiderium non ſolum unâ horâ, ſed multis diebus, aut hebdomadibus duret. Vtique ſi talis actus moraliter non interrumpatur, idem dicendum eſt. Sed difficultas conſiſtit in eo, an dicendum ſit, interrumpi per ceſſationem, quæ contingit tum in ſomno, tum in diverſione ad alia negotia? in qua difficultate diverſiſſime ſentiunt Doctores. Sed videtur probabile, quòd nõ interrumpatur, niſi actus retractetur per contrarium actum, aut per voluntariam ceſſationem, aut ſaltim per talem illius oblivionem, quod repetitio voluntatis hodie, v. g. habita, nõ cenſeatur oriri à voluntate mala præcedenti, ſed de novo hodie videatur voluntas ſe ad malum determinare. Videatur noſter P. *diſp.* 8. §. 7. *q.* 6. *Lugo diſp.* 16. *ſect.* 14. *M. Moya diſp.* 2. *q.* 1. §. 1. *&* 2. *& Tamburinus lib.* 2. *method. cap.* 1. §. 5.

## *QVÆSTIO XVI.*
## *De circumſtantia* Vbi.

528 IN hac circumſtantia *ubi*, denotatur locus, in quo peccatum committitur. Circa quam Medina Codice de pœnitentia exiſtimavit, quodcumque peccatum mortale in loco ſacro commiſſum habere circumſtantiam ſacrilegij neceſſariò in cõfeſſione declarandam; communis tamen ſententia aſſerit, id ſolùm evenire in aliquibus peccatis, ut ſunt homicidium, ſanguinis, aut ſeminis effuſio, copula, & furtum; hæc enim ſpecialiter ſunt in Eccleſia prohibita, ideoque ſpecialem malitiam contra locum ſacrum continent. Alia verò peccata, in quibus ea ſpecialis prohibitio non adeſt, aliqualem indecentiam contra locum ſacrum continent, quæ jure optimo ad ſpeciem ſacrilegij reduci poteſt; cum tamen gravis non ſit intra eam ſpeciem, non eſt neceſſariò declaranda. Sic etiam omnia peccata morta-

lia

lia sacerdotis specialem continent indecentiam contra Sacerdotalem statum, non tamen ideo continent circumstantiam necessariò declarandam.

529 Notandum tamen est primò, quod, ut homicidium, & sanguinis effusio habeant gravem circumstantiam sacrilegij, debent contingere cum culpa gravi: unde si homicidium contingat in sui defensionem, aut sanguinis effusio sit in parva quantitate, vel, si in magna, sit ex naso, vel aliter sine culpa gravi, nec violatur Ecclesia, nec adest malitia sacrilegij, quæ in confessione debeat explicari. Nec similiter eam malitiam cõtrahit, qui ex Ecclesia occidit hominem extra illam existentem, quia tunc peccatum consumatur extra Ecclesiam; habebit tamen eam malitiam, si è contra occisus sit intra Ecclesiam, & homicida extra illam.

530 Secundò notandum est, quòd effusio sanguinis, & seminis, dum occulta sunt, non polluunt Ecclesiam, non tamen ideo excusantur à sacrilegij malitia; quia etiamsi occulte fiant, sunt ab Ecclesia prohibita. Oppositam tamen sententiam tenent probabiliter non pauci apud M. Moyam *disp.* 3. *q.* 4. *n.* 9. quibus subscribit Tamburin. *lib.* 2. *meth. conf. c.* 7. *num.* 35. & ipse Moya num. 11. pro casu, in quo prædicti actus nec publicè fiant, nec in circumstantijs, in quibus prudenter timeri possit publicandos.

531 Tertiò notandum est, tactus impudicos, etiamsi gravissimi sint, dummodo non adsit periculum pollutionis, non habere sacrilegij gravis malitiam. Ratio est, quia Ecclesiæ prohibitio non extenditur ad illos; si tamen adsit periculum pollutionis, fateor, quod, si defacto non sequatur, non polluetur Ecclesia, etiamsi publicentur; existimo tamen, quòd peccatum habebit sacrilegij malitiã, quia ad istam sufficit periculũ ipsum, quia istud totam speciem malitiæ participat à peccato, cuius periculum est. Præterea existimo, quòd, si prædicti tactus impudici in loco sacro publicè habeantur, gravem continent sacrilegij malitiam, non contra jus Ecclesiasticum, sed contra jus divinum naturale, ut à fortiori constare videtur ex dicendis infra, & tenet cum alijs M.

Moya *disp. 3. q. 4. num. 22. &* *Tamburinus lib. 2. meth. cap. 7. num. 38.*

532 Quartò notandum est, etiam copulam coniugalem sacrilegij malitiam continere cōtra locum sacrum, & illum polluere, si publicetur; in illa tamen ista malitia potius speciem peccati constituit, quàm eius circumstantiam. Et præterea aliquando excusari potest propter diuturnam alterius coniugis in Ecclesia reclusionem.

533 Quintò notandū, quòd nomine loci sacri non venit in præsenti oratorium particularis domûs, quia non gaudet immunitate, & ad nutum fundatoris potest in usus profanos converti; nec cellæ Religiosorum, quia non sunt locus sacer, qui polluatur, aut reconciliatione indigeat. Nec etiam venit sacristia, turris, aut cameræ, seu tribunæ ad audiendum sacrum deputatæ, bene tamen chorus, & cœmenterium benedictum. Videatur Moya *disp. 3. quæst. 4. cap. 4.*

534 Circa furtum in loco sacro notandum est 6. quòd non habet malitiam sacrilegij necessariò in confessione declarandam furtum, quo quis crumenam divitis in Ecclesia furatur: debet ergo ut eam malitiam cōtrahat esse furtum rei, quæ sit Ecclesiæ, aut ipsius custodiæ tradita; si verò & sit res Ecclesiæ, & præterea sit sacra, veluti Calix, furtum illius continet duplicem sacrilegij malitiam necessariò declarandam; quia sacrilegium contra rem sacram, & contra locum sacrum specie differunt. Licet oppositum teneat cum non paucis M. Moya *disp. 3. q. 4. n. 5.*

535 Alia etiam peccata repeiuntur contra locum sacrum. Primum est violatio immunitatis eius, cuius malitia etiam provenit ex præcepto Ecclesiastico. Alia autem peccata sunt, quæ, sine ulla Ecclesiæ prohibitione ex ipsa natura rei continent malitiam contra locum sacrum, ut, si in ea nundinæ, aut mercatus celebrentur, aut comediæ lascivæ repræsententur, aut si equi, aut asini tanquam in stabulum introducantur; huiusmodi enim ex natura rei gravem continent contra locum sacrum irreverentiam; quæ tamen in eis aut totalis, aut præcipua malitia erit potius, quàm circumstantia; ide-

oque cum præcedentibus non annumerantur.

## *QVÆSTIO XVII.* *De circumstantia* Quibus auxilijs.

536 Circa istam circumstantiam est in confessione, si quis alium scandalizavit, illum assumendo, ut medium, velut socium ad patrandum peccatum. Vnde primò declarandum est, si quis ad consequendam fæminam usus est famulo, aut aliâ personâ, ut medio. Ratio est, quia tunc non solum adest malitia contra castitatem, sed etiam contra charitatem; immo etiam contra castitatem adest duplex malitia; altera, quâ ipse peccat contra castitatem, altera, quâ cooperatur peccato famuli, qui etiam contra castitatem peccat, quamvis indirectè; peccatum autem cooperationis diversimodè opponitur virtuti, ac peccatum immediatè oppositũ, ac directè; debet autem explicari, si possit, numerus peccatorum famuli, quia cum singulis cooperetur dominus, eandem multiplicitatem numericam habent respectu domini, ac respectu famuli; nisi forte dominus unica actione cooperetur pluribus unius famuli, vel plurium famulorum peccatis, tunc enim erit in domino unum peccatũ. Sicut unum esse plures homines unica actione occidere, diximus superius.

537 Si autem cum socio cõmisisti peccatum, quòd sine socio committi potest, verbi gratiâ furtum, teneris, si tu illum induxisti, hanc circumstantiam fateri, quia addit malitiam scandali; si autem, quem tu induxisti, erat ex se paratus ad peccatũ, dicunt aliqui, te non teneri inductionem confiteri. Verius tamen judico distinguendum esse; nam si ille ita erat paratus, ut etiam si tu non induceres, de facto committeret furtum, tunc non debes inductionem confiteri, quia nihil inductio operata est; si verò erat paratus ad furandum, si se offerret occasio, de facto tamen non furaretur, nisi tu induceres, debes inductionem confiteri, quia saltim cooperaris per illam, & cum effectu es causa peccati externi tui socij.

538 In peccatis autem, quæ ex natura sua petunt socium, vide-

detur, quòd, ſi vir ſolicitavit, non teneatur id declarare, quia jam id communiter intelligitur, declarato principali peccato, fornicatione ſcilicet; ſi verò fæmina ſolicitavit, videtur, quòd teneatur ſolicitationem declarare, quia id non ſatis intelligitur, declarata fornicatione, eò, quòd communiter non ſoleat fæmina ſolicitare. Probabiliùs tamen eſt, quòd etiamſi fæmina ſolicitaverit, non teneatur iſtā circumſtantiam declarare. Ratio eſt; quia quamvis, dicto peccato, non intelligatur eam ſolicitaſſe, adhuc tamen declaratur ſatis peccatum, quia tota malitia conſiſtit in fornicatione contra propriam caſtitatem, & cooperationem ad illam, quatenùs eſt contra caſtitatem viri, iſta autē etiam declaratur, dicta fornicatione, quia eam eſſentialiter in ſe includit; ſolicitatio verò, quæ tacetur, ſolum eſt circumſtantia notabiliter agravans eā cooperationem ad peccatum viri, quam jam diximus, non debere neceſſariò confiteri.

539 Hîc tandem circa ſcandalum nota, quòd ſi tuo peccato proximum ſcandalizas, intendendo, ſcilicet, quòd ipſo tuo peccato alter inducatur ad peccandum, teneris confiteri, quodnam ſit peccatum, ad quod tuo facto proximum induxiſti: ſi verò illum ſcandalizaſti non eius peccatum intendendo, ſed ſolùm tuum peccatum non vitando in occaſione, in qua advertiſti proximum præter tuam intentionem ad peccatum inducendum, non teneris aperire, quodnam ſit peccatum, ad quod proximus fuit inductus. Ratio diſparitatis eſt, quia in ſecundò caſu tantum non impedis, cum poſſes, peccatum proximi; in primò verò ipſum ad peccandū inducis; caſtitas autem, verbi gratiâ, non obligat, ut impedias alterius peccatum contra caſtitatem, ſed ſola charitas: ne verò illum ad peccatum contra caſtitatem inducas, obligat caſtitas, & non charitas ſola: unde debet explicari peccatum, ut cognoſcatur, an contra caſtitatem, an verò contra aliam virtutem ſit, quando datur directum ſcandalum, non verò quādo indirectum, quia tunc violatur ſola charitas.

* * *
* *

## QVÆSTIO XVIII.
### De circumſtantia Cur.

540 Circumſtantia *cur* denotat finem ob quem peccatum committitur: & certum inprimis eſt, quòd ſi finis habeat malitiam gravem ſpecie diverſam, ſit in confeſſione declarandus; immo quando finis gravem malitiam continet, ſi medium ſolum levem contineat, poterit medium ſileri; debet tamen exprimi finis: unde ſi fureris calamum ſocio, ut eũ blaſphemare facias, tunc non eſt neceſſarium, quòd dicat te furatum eſſe calamum; debes tamen dicere, te dediſſe proximo ſcienter occaſionem blaſphemandi: ſimiliter ſi fureris dimidium argenteum, ut eo pretio oblato mulierculam obtineas, ſufficere dicere habuiſſe intentionẽ fornicandi, quin neceſſarium ſit furtum exprimere, quia levem in materia furti continet malitiam; ſi verò furtum fuiſſet grave, utramque malitiam deberes exprimere, furti videlicet, quod eſt medium, & fornicationis, ſive adulterij, quod eſt finis.

541 Difficultas autem eſt, an etiam finis ſit explicandus, quãdo malus non eſt, ſed ſolum medium; verbi gratiâ, quando quis omittit ſacrum propter ſtudium; an ſufficiat dicere omiſſionem ſacri, an verò etiam ſtudium ſit explicandum. Negativa ſententia eſt communis; pro contraria enim citantur aliqui ſupreſſis nominibus communiter. Vazquez autem citat Henricum, & Gabrielem; alij etiam citantur à quibuſdam, quos non commemoro, quia falsò citari de alijs ſcio, de alijs vehementer ſuſpicor. Communis autem ſententia probatur; quia tota malitia provenit à medio: ergo declarato medio declaratur tota malitia peccati, quin ſit neceſſarium amplius declarare. Confirmatur; quia ſi in caſu ommiſſionis ſacri propter ſtudium adeſſet alia malitia, præter malitiam omiſſionis, neceſſariò declaranda, graviùs peccaret, qui omitteret ſacrum propter ſtudium, quàm qui illud omitteret propter otium, quod ſatis de ſe videtur abſurdum.

542 Sed obijcies primò: qui omittit ſacrum propter ſtudium, non ſolum peccat contra Religionem, ſed etiam contra ſtu-

diositatem: ergo debet declarare non solum omissionem, sed etiam studij finem. Antecedens probatur: quia studiositas inclinat ad studium debito modo susceptum, & prohibet studium susceptum indebito modo; sed studium tempore, quo urget sacri auditio, est indebito modo susceptum: ergo est contra studiositatem. Respondetur negãdo antecedens; ad cuius probationem distinguo maiorem pro secunda parte; studiositas prohibet studium indebito modo susceptum si sit indebito modo susceptum intra limites, & sphæram studiositatis, concedo maiorem, intra sphæram Religionis, aut alterius virtutis, nego maiorem, & distinguo minorem; studium quando urget sacri auditio est susceptum modo indebito, intra limites studiositatis, nego minorem; intra sphæram Religionis concedo minorem, & nego consequentiam.

543 Igitur tunc studium prohibetur a studiositate, & est cõtra illam, quando indebite exercetur contra aliquam regulam a studiositate præscriptam, ut si sit tam exiguum, quod sit insufficiens ad ea, quæ opportet scire, aut etiam sit tam excessivum, quòd extendatur ad superflua, & nociva. Si verò studium sit indebite susceptum aliunde; quia scilicet, est contra regulam ab alia virtute præscriptam, ad illam virtutem spectat illud cohibere, etsi exerceatur, contra illam erit. Quapropter cum in casu argumenti solum sit studium indebitum, quia est contra religionis præscriptum, solum continet malitiam religioni oppositam. Sic, qui temperate comederet res furtivas, peccaret indebite comedendo, nequaquam tamen contra temperantiam, sed contra justitiam, quia illius regulas non præteriret, sed istius. Quamvis autem talis actus careret rectitudine temperantiæ, non haberet malitiam intemperantiæ, quia ad istam non sufficit, quòd detur carentia bonitatis temperantiæ, utcumque, sed rectitudinis debitæ ex præscripto ipsius temperantiæ; hæc verò carentia non daretur, quia virtus temperantiæ non præcipit actum temperantiæ bonum absolutè, sed actum conformem temperantiæ regulis, quod habere potest actus, qui non est bonus, quia justitiæ cõtra-

trariatur: quod similiter contingit in nostro casu proportione servata.

544 Secundò obijcies: qui omittit sacrum propter studium, habet nimium affectum ad studium, siquidem propter illud parvi pendit offensam Dei, quæ reperitur in omissione sacri; sed nimius affectus ad studium est contra studiositatem: ergo, qui omittit sacrum propter studium, peccat contra studiositatē. Propter hoc argumentum P. Suarez *disp.* 22. *de pænit. sec.* 4. *num.* 11. quem etiam sequitur Sanchez *in summa lib.* 1. *cap.* 5. asserit, dupliciter posse aliquem omittere missam propter studium. Primò scilicet ex vehementi, & inordinato affectu ad studium. Secundò ex sua libertate, & facilitate; si autem isto 2. modo omittat, non debet studium declarari, debet tamen si 1. modo omittat, quia aut constituitur in studio ultimus finis, aut saltem propter illum affectum manet in periculo peccandi.

545 Ego in primis independenter à doctrina Suarij respondeo ad argumentum distinguendo maiorem: habet nimium affectum ad studium nimietate, quæ sit contra regulas a studiositate præscriptas, nego maiorē; nimietate, quæ sit contra regulas præscriptas a religione, concedo maiorem: & distinguo minorem, nimius affectus ad studium est contra studiositatem, si sit nimius nimietate contra ipsius regulas, concedo minorem; aliter nego minorem, & consequentiam. Cum enim nimietas studij non sit, quia ad cognoscenda superflua, aut nociva se extendit, sed quia opponitur auditioni sacri, non contra studiositatem, sed contra religionem est, quæ immediatè, & directè præcipit auditionem sacri, indirectè verò prohibet affectus, & operationes cum ea incompossibiles.

546 Circa doctrinam autem P. Suarez existimo 1. quòd si quis talem affectum ad studium haberet, quod expresè vellet illud consequi per quæcumque media, sive licita, sive illicita, ita ut nec in hæresim incidere timeret, tunc talis affectus esset peccatum mortale, quia per illum constitueret ultimum finē in studio, speciali modo, & non solùm modo communi, ut contingit in quovis peccato mortali;

li; raro autem, aut nunquam in aliquo talis reperietur affectus. Deinde talis poteſt eſſe ad ſtudium affectus, ut experiatur homo ſe plura peccata mortalia committere ſolere propter ſtudium; tunc autem fateor cum Suarez, quòd huiuſmodi affectus, eſt peccaminoſus, quia eſt periculum committendi plura peccata mortalia; adhuc tamen exiſtimo, quòd non ſit peccaminoſus contra ſtudioſitatem, ſed ſolum contra virtutem illam, aut virtutes, contra quas propter illum peccare ſolet, & ad illas pertinebit talem affectum ad ſtudium corrigere: ſic, qui propter gravem tentationem carnis obligatur ad orationem, non obligatur ad illam ex virtute religionis, ſed ex virtute caſtitatis; unde ſi non oret, & cadat, ſolùm contra caſtitatem peccat, & ſufficit dicere peccatum contra illam, quin ſit neceſſarium declarare omiſſionem orationis; unde ſimiliter ſufficiet declarare peccata illa, quæ occaſione ſtudij committuntur, quin ipſum affectum declaret, ſi verò aliquando non committantur peccata, ſed ſolum incurrantur illorum periculum, debebit declarare ipſum periculum dicendo, ſe huius, vel illius peccati periculo expoſuiſſe, quin tamen adhuc ſtudium debeat aperire.

547 Probavimus hucuſque, quòd ſtudium non habeat ſpecialem malitiam, quando ſe habet, ut finis omiſſionis ſacri, quando autem ſe habet non ut finis, ſed ſolùm concomitanter, ut cum quis poſt decretum de non auditione vult ſtudere, ne maneat otioſus, faciliùs intelligitur, quòd non habeat ſpecialem; immo addit Lugo *diſp.* 16. *ſect.* 11. *num.* 488. tunc nec habere ſtudium malitiam omiſſionis, ſed potius bonum eſſe. Ratio eſt, quia tunc non eſt omiſſionis cauſa, cum non omittat propter ſtudium, ſed potiùs quia ſupponitur Miſſam non audiri, eligitur ſtudium.

548 Sed dices primò, in caſu poſito tenetur homo omittere ſtudium, ut audiat Miſſam: ergo peccat ſtudendo. Reſpondetur diſtinguendo antecedens, tenetur omittere ſtudium immediatè; adhuc ſuppoſita voluntate non audiendi ſacrum, nego antecedens, tenetur mediatè, ceſſando à voluntate non audiendi-

endi Missam, & ponendo voluntatem audiendi, ad quam sequatur omissio studij; concedo antecedens, & nego consequentiam; solum enim infertur, quòd studium supponat peccatum, nõ verò quòd peccatum sit.

549 Secundò dices ex data doctrina sequi, quod Sacerdos, qui haberet voluntatem non recitandi toto tempore navigationis, non peccaret breviarium in mare proijciendo, quia talis proiectio non esset causa omissionis recitationis, cum supponeret iam voluntatem efficacem illius. Respondetur tamen negando sequellam, quia qui proijcit breviarium, ponit impedimentum recitationi per totum tempus navigationis, quod non erat positum per voluntatem ipsam antecedentem, quia illa quantumvis efficax esset, semper manebat retractabilis, & recitatio possibilis; ponere autem impedimentum recitationi per illud tempus, illamque impossibilitare, peccatum est.

550 Sed replicabis: ponere impedimentum impletioni præcepti obstans peccatum non est: ergo quamvis proijcere breviarium in mare, supposita voluntate recitationem omittendi, sit ponere impedimentum impletioni præcepti de recitatione obstans, non sequitur, quòd sit peccatum. Antecedes probatur, quia ille qui venationem, aut ludum exercet in die jeiunij, prævidendo, se ita defatigandum, ut non possit jeiunare, impedimentum ponit obstans impletioni præcepti jeiunij, sed sic ludens, aut venationem exercens, non peccat, ut tenet Ioannes Sanctius disp. 54. num 20. imo nec peccare ait, quamvis id præstet ex intentione se excusandi à jeiunio: ergo ponere impedimentum impletioni præcepti obstans peccatum non est.

551 Respondeo tamen, ponere impedimentum impletioni præcepti aliquoties peccatum esse, aliquoties verò non esse peccatum. Ratio autem est, quia alia Ecclesiæ præcepta sunt alijs benigniora, & ad minus obligant, quam alia: unde probabile est, quòd jeiunij præceptum solum obliget ad jeiunandum, si non adest impedimentum; non tamen ad tollendum, aut non ponendum impedimentum: unde adhuc ille, qui nimio usu venereorum se reddit impoten-

tentem ad jeiunandum, non peccat contra jeiunij præceptum ; quia licet illicite illi apponat impedimentum, non tamen illicitè contra jeiunij præceptum, sed illicite contra castitatem; præceptum autem audiendi Missam urgentiùs obligat; unde ratione illius tenetur homo aliqua impedimenta vitare. Quapropter si propter ludum pilæ quis non intersit Missæ, mortaliter peccabit, atque etiam, si se inebriet, prævidendo inde Missam impediri posse, peccabit utique tunc non solùm contra temperantiam, sed etiam contra religionem: alia tamen sunt impedimenta, ad quæ vitanda nõ obligat Missæ præceptum: unde si quis immoderatè comedat prævidendo inde infirmitatem incursurum, quâ aliquot festis non possit Missam audire, non peccat contra præceptum de audienda Missa ( nec similiter contra præceptum de recitatione Officij Divini, ) sed solùm contra propriam charitatem, & contra temperantiam. Igitur in re nostra præceptum recitationis Officij Divini obligat, ad non proijciendum breviarium, immo ad illud etiam quærendum, si nõ haberet, & commodè quærere posset; unde peccatum est illud in mare proijcere.

552 Ad quænam autem impedimenta tollenda obligent præcepta Ecclesiæ, & ad quæ non, colligi debet ex qualitate præcepti, & impedimenti, & partim ex usu hominum, quorum diuturna consuetudo dicitur optima legum interpres. Vnde colliges, quòd, qui ex negligentia in procuranda absolutione non confitetur, nec cõmunicat in Paschate, facit contra præceptum Comunionis, & Confessionis ; non tamen, qui ob eandem rationem in die festo Missam non audit, hoc frangit præceptum. Ratio est, quia præceptum confessionis, & communionis strictius est acceptũ; tum ratione materiæ ; tum quia est quo ad substantiam Divinum, & solum quo ad determinationem Ecclesiasticum.

553 Tertiò dices : studium est incompossibile cum auditione Missæ: ergo impedit Missam, & consequenter eius non auditio erit effectus in genere causæ formalis studij : ergo vitiabitur studium. Respondet Lugo num. 495. negando consequentiam,

eò, quòd impedire ultra incompossibilitatem addat causalitatem; cum autem studium non habeat causalitatem in omissionem, nec sit ratio, cur non existat auditio Missæ, sed potius huius negatio sit ratio ponendi studium, non potest dici, quòd studium impediat Missam.

554 Sed contra istam solutionem est, quòd quamvis studium non sit prius, & consequēter nec causa omissionis Missæ in intentione, est tamen causa ipsius omissionis in executione: ergo vitiabitur malitia ipsius omissionis, cum omissio non solum sit mala, ut intenta, sed etiam ut executa. Antecedens probatur; quia omissio non aliter ponitur in executione, quàm ponendo actum incompossibilem cum Missa; sed talis actus est studium in nostro casu: ergo studium est causa executionis ipsius omissionis, seu potiùs ipsa omissionis executio. Quapropter.

555 Aliter ad obiectionem respondeo concesso antecedenti distinguendo consequens: ergo impedit Missam in actu primò concedo consequentiam; in actu secundò distinguo consequens; si eam non supponat impeditam, concedo consequentiam, si supponat impeditam, nego consequentiam; unde solum vitiabitur studium quando non supponit aliquid, quod impediat Missam, communiter tamen aliquid supponit; qui enim determinat efficaciter non audire Missam, communiter determinat domi, aut alibi determinatè esse, quòd incompatibile est cum auditione Missæ; postquam verò id determinavit, studium non impedit in actu secundò Missam, quia sufficienter impeditur per eam mansionem. Si verò voluntas aliquando determinaret immediatè ipsum studium, tunc impediret in actu secundò Missam; quia etsi se haberet concomitanter ad eius omissionem in intentione, non tamen ad eius executionem: quapropter in hoc casu fateor cum P. Vazquez 1. 2. *disp.* 93. *cap.* 2. vitiandum malitiâ omissionis.

556 Pro huius quæstionis complemento inquires, an, qui peccat ex confidentia divinæ misericordiæ, debeat hoc explicare? Respondeo cum communi sententia negativè, quia id tantum addit circumstantiam aggravantem.

tem. Ei etiam, qui ex confidentia jubilei committit casum reservatum, prodesse potest jubileum, quia iste casus non excipitur in jubileis, quod similiter dic de Bulla Cruciatæ.

## QVÆSTIO XIX.
## De circumstantia Quomodo.

557 Circumstantia *quomodo* denotat modum, quo peccatum est commissum. Circa eam ergo inprimis intensio actûs non est necessariò confitenda. Ratio est, quia solùm est circumstantia aggravans. De duratione autem, quando debeat explicari, constat ex dictis quæst. 15. Circa alios autem modos, quibus peccatum fieri potest, sunt aliquæ difficultates. Inquires ergo primò, an, qui occidit alium discerpendo, aut eviscerando, debeat istam circumstantiam explicare? Respondeo debere, quia in ea continetur malitia crudelitatis, aut feritatis distinctæ speciei ab homicidio. Similiter debet explicari circũstantia violentiæ in furto, & fornicatione; quia furtum cum violentia est rapina, quæ est diversa species propter injuriam, quæ contra personam committitur: Fornicatio verò cum violentia est raptus continens injustitiæ malitiam.

558 Secundò inquires, an, qui peccat, quando habet vehementissimam Dei inspirationem ad non peccandum, teneatur istam circumstantiam confiteri? Respondeo non teneri, quia ista circumstantia quamvis peccatum aggravet notabiliter, non tamen mutat speciem.

559 Tertiò inquires, an quãdo adest circumstantia contemptûs in aliquo peccato, sit necessariò explicanda. Ante responsionem noto, contemptum aliũ esse materialem, quando, videlicet, aliquid contemnitur, sine intentione directa contemnendi; alium formalem, quando, videlicet, contemnitur aliquid, cum directa intentione contemnendi, seu vilipendendi. Cõtemptus ergo materialis in omnibus peccatis reperitur, quia quamcumque rem à Deo, aut ab homine præceptam non exequi est illum contemnere, & minus æstimare, quam debet; iste autẽ contemptus, cum transcendat omnia

omnia peccata, sufficienter explicatur illa narrando, sicut etiam ratio generica cuiusvis peccati manet declarata, dum declaratur peccati ratio specifica. Difficultas ergo præsens solùm procedit de contemptu formali.

560 Ad difficultatem ergo respondendo dico, si quis committat peccatum, sive veniale, sive mortale ex intentione directa vilipendendi Deum, aut eius legem, aut ex intentione id significandi, committit peccatum mortale contemptûs, & consequenter ea circumstantia est necessariò in confessione explicanda. Ratio est, quia Deum vilipendere, aut indignam de ipso æstimationem ostendere, adhuc in materia levi, continet gravem irreverentiã; sicut etiam mendacium simplex, quamvis levis sit materia, illud tamen proferre ex intentione offendendi Deum, gravem irreverentiam continet.

561 Dico 2. si quis committat peccatum veniale, materiam præceptam à Deo contemnendo, ut parvi momenti deordinationem continentem, ut faciunt, qui dicunt peccata venialia parvi momenti esse, & aquâ benedictâ facile ablui posse, non peccat mortaliter. Ratio est quia cum contemptus non terminetur ad Deum, sed ad materiam, non est unde in levi materia possit habere malitiam gravem. Dico 3. si materia levis contemnatur, ut inutilis, aut vana, erit peccatum mortale, nõ solùm si à Deo sit præcepta, sed etiam, si ab ipso sit solummodo consiliata. Ratio est, quia huiusmodi materiæ contemptus cedit in contemptum præcipientis, aut consiliantis illam; unde cum nullus contemptus formalis Dei careat malitiâ gravi, illâ non carebit talis contemptus rei à Deo præceptæ, aut consiliatæ.

562 Dico 4. contemptus legislatoris humani circumstantia etiam continet specialem malitiam; ea tamen non semper est gravis, sed proportionata gravitati contemptûs. Prima conclusionis pars constat: quia contemnere superiorem est contemnere Deum, cuius vices gerit, juxta illud Lucæ 10. *qui vos audit, me audit, & qui vos spernit me spernit.* Secunda autem conclusionis pars difficilior est, cũ communiter DD. asserant, pecca-

catum veniale transire in mortale, ratione contemptus, judicantes etiam contemptum Legislatoris humani in re levi gravem continere malitiam. Probatur autem; quia sicut Legatus, quamvis personam Principis repræsentet, & eius offensa censeatur offensa Principis, nunquã tamen est dignus tanto honore, quantò Princeps ipse: nec eius offensa est tanta, quanta esset, si Principi fieret. Sic Legislator humanus est Dei Vicarius, illumque repræsentat, non tamen ideo est tanto honore dignus, nec tam gravis eius offensa; quia quamvis sit Dei offensa, non tamen attingit illum immediatè, sed solùm mediatè. Vnde si quis non obtemperet levi in re Prælato ex contemptu ipsius, quatenùs imprudens est, indoctus, aut molestus, non erit peccatum mortale.

563 Sed dices: contemnere humanum Legislatorem, ut indoctum, imprudentem, aut molestum nõ esse contemnere illum, ut Legislatorem, sed ut hominem; contemnere autem ipsum, ut Legislatorem, semper est peccatum mortale. Sed ad hoc respondet Arriaga ad Legislatorem humanum, ut talem in concreto spectare esse prudentem, aut imprudentem, doctum, aut indoctum, nec aliter ipsum, ut in concreto posse considerari; si verò ut in abstracto consideretur vis legislativa, verum est, quòd omnis eius contemptus erit gravis, sed hoc ad rem non est, quia ea vis solùm in Deo reperitur intrinsecè, & in humano Legislatore per extrinsecam solùm denominationem. Vnde colliges communem sententiam cum Arriaga solùm de nomine contendere, de qua contentione nos parum curamus.

564 Ex dictis colliges, quòd moraliter judicandum est, hoc est, prudentum arbitrio, quando contemptus Legislatoris humani sit peccatum mortale. Certùm autem est; quòd mortale sit, quando quis judicat, aut alijs insinuat, se judicare, indignum quid esse obedire Legislatori, aut ipsum jus imperandi non habere. Ratio est, quia id judicare erroneum est, aut etiam hæreticum; id verò insinuare est injuriosum Legislatori, & alijs scãdalosum. Notat præterea Lugo *disp.* 16. *num.* 254. & *disp.* 20. *num.* 49. quòd etiam quando

 Præ-

Prælatus jubet aliquid sine præcepto ad mortale, neque ad veniale obligante, regulariter loquendo continet gravem irreverentiam, & est peccatum mortale inobedientiæ illi respondere dicendo, nolo facere: quod optimè numeris sequentibus probat addens num. 54. id etiam verum esse, quando eiusmodi responsio præberetur Vicario, qui imponendi præcepta potestatem non habet, quia Prælatus vult, ut in talibus similiter, ac ipsi obediatur eius Vicario: unde quamvis eum contemnere non sit tam grave, quantum esset cõtemnere Prælatum, adeo tamen grave est, ut regulariter loquendo in verbis positis contra ipsũ prolatis gravis irreverentia cõtineatur. Communiter tamen admittunt Doctores, nolle obedire Prælato in re levi ex levi contra ipsum indignatione, ne illum afficiat solatio, non esse peccatum mortale, nec necessariò in confessione aperiendum. Et hæc de contemptu satis.

565 Quartò inquires; an sit eiusdem speciei peccatum, quod committitur cum conscientia erronea, ac quod committitur absque illa. Respondeo affirmativè cum communi sententia. Ratio est, quia conscientia est prima regula humanorum actuum: cum ergo eadem malitia repræsentetur per conscientiam erroneam, quæ solet per veram, eiusdem speciei erit peccatum: unde adolescens, qui ante vigesimum primum annum existimat se teneri ad jeiunandum præcepto Ecclesiæ, & non jeiunat, committit eiusdem speciei peccatum, ac si completum haberet vigesimum primum annũ. Similiter, qui sumpsit ex aliquo loco proprium argentum putando esse alienum, idem peccatum committit, ac si revera alienum esset, nec tenetur in confessione suum errorem aperire, sed sat erit absolutè confiteri se furtum commisisse. Hoc autem intelligitur per se loquendo; quia per accidens potest esse necessitas declarandi, eò quòd, si sit excomunicatio, aut reservatio contra furantes, eas non incurrit, qui revera non furatur, sed solùm ex conscientia erronea, V. Arriagam *disp.* 34. *nu.* 9.

566 Quintò inquires; an etiam sit eiusdem speciei peccatum commissum cum ignorantia vincibili, ac peccatum scienter commis-

missum. Respondeo etiam affirmativè; ratio autem est, quia utroque modo peccatur contra idem præceptum; quodlibet enĩ præceptum obligat ad sui observationem, & simul ad notitiam necessariam ad eam observationem; nec est unde ignorantia sit speciale peccatum, quia solùm est mala, prout est periculum aliquod peccatum committendi, quòd periculum confiteri non debet, quando sequitur peccatum, sed solùm quando non sequitur: unde idem peccatum committit, qui in die festo Missam non audit ignorans culpabiliter esse diem festum, ac ille, qui festum esse sciens. Similiter qui ex ignorantia culpabili articulorum fidei, aliquem illorum negat, eiusdem speciei peccatum committit, ac si scienter illum negaret, quamvis in aliquibus sit magna differentia; qui enim illum scienter negat, & perdit habitum, & excomunicationem incurrit; qui verò illum negat ex ignorantia, nec habitum fidei perdit, nec excomunicationem incurrit.

567 Sextò inquires, an qui labitur in desideria efficacia obiecti turpis ignorando, quòd talia desideria sint mala, cognoscendo tamen obiectum illorum esse malum, possit à peccato excusari, & talia desideria non cõfiteri. Septimò inquires an actus, cuius obiectum aprehenditur ut malum, præscindendo à gravi, & levi malitia, sit peccatum mortale. Sed quia istæ duæ difficultates graviores sunt, quàm præcedentes, eas duabus sequẽtibus quæstionibus examinabo. Quapropter sit.

## QVÆSTIO XX.

### *An cognoscens malitiam actus externi, sed ignorans malitiam actus interni excusetur à peccato prorsus interno.*

568 QVæstionem hanc in proprijs terminis tractãt Sanchez *lib.* 1. *in decalogum cap.* 16. *& num. etiam* 16. *Granados* 1. 2. *controversia* 6. *de peccatis tract.* 5. *disp.* 3. *sect.* 2. *Franciscus de Lugo in tractatu speciali de conscientia part.* 2. *quæst.* 6. Eam prætetrea tractat sub parum diversis terminis Oviedus *tom.* 1. *in* 1. 2. *tract. de bonitate, & malitia controversia* 1. *punct.* 5. Obiter autẽ

can-

eandem quæstionem tangit Bonacina *disp. 2. de peccat. q. 8. p. 3. n. 26.* In alijs vero, quos evolvere potui, Doctoribus hanc quæstionem ex professo, immo nec obiter tractatam non reperio. Quæstio ergo claritatis gratiâ inquirit, an rusticus, qui cognoscit fornicationem esse malam, ignorat tamen invincibiliter, quòd actus internus, quo quis ipsam desiderat, sit malus, peccet, quoties fornicationem desiderat, quamvis eam non exequatur, vel potius à peccato propter talem ignorantiam excusetur.

569 Igitur 1. sententia tenet, talem hominem à peccato excusari, & nullatenùs ea desideria, quæ executioni non mandantur, peccata esse. Hanc sententiam tenet Bonacina loco citato eam nulla probans ratione, sed tantum inferens illam ex alia doctrina communi, proptereaque existimans, omnes Doctores, qui stant pro doctrina communi, hanc suam illationem tenere; sed male, cum eam exprese non doceant, excepto Sanchez, & ex doctrina communi, quam docent, nequaquam inferatur; eandem tamen tenent Sanchez, & Granadus num. præcedenti citati.

570 Secunda sententia tenet, dictum ignorantem nullatenus à peccato excusari, & consequenter omnia illius rustici desideria, adhuc executioni non mandata, peccata mortalia esse. Hanc sententiam tenent Recentiores aliqui suppressis nominibus à Sanchez, & Granados citati; eamque defendit citatus Franciscus de Lugo num. 6. & Oviedus satis clare; quamvis enim ipse non de ignorantia loquatur, sed de judicio, quo positivè judicetur, actum internum malũ non esse; tamen sic loquitur, quia judicat, quòd, si de ignorantia sit loquendum, est res omnino comperta, & de qua non liceat dubitare. Eandem autem sententiam probabilem judicant Sanchez, & Granados.

571 Huius equidem quæstionis casum multis abhinc annis, repente, occasione id poscente, resolui, eam quamvis apud nullum vidissem, nec unquam de eo cogitassem, resolutionem juxta secundam sententiam nuper relatam cum confidentia tribuens; quæ tamen confidentia adeò in me crevit in dies, ut meam reso-

solutionem evidentem judicaverim, antequam Sanchez, & Granados vidissem, quia tamen, post quam eos vidi, nihil invenio, quod me in meo assensu trepidare faciat, eandem resolutionem modo pro conclusione statuo, tantum non audens eam evidentem vocare, ne tantorum patrum sententiam improbabilem asseram. Quidquid ergo sit de contrariæ sententiæ probabilitate.

572 Secunda sententia, quã pro conclusione statui, probatur 1. inadvertentia inculpabilis non minus excusat à culpa, quàm inculpabilis ignorantia; sed inculpabilis inadvertentia malitiæ actus interioris, cum advertentia ad malitiam actus exterioris, qui est illius obiectum, non excusat à culpa: ergo nec similis ignorantia, & consequēter à culpa non excusabitur, qui fornicationem desiderat ignorando desiderij malitiam, cum cognitione malitiæ fornicationis. Maiorem supponit, ut certam M. Moya *disp. 8. quæst. 2. num. 8.* Vbi ex communi sententia ait, oblivionem, inadvertentiam, & ignorantiam invincibilem æquiparari non solùm in ordine ad excusandum à culpa, sed etiam in ordine ad excusandum à pœna. Minor, in qua sola est difficultas, probatur: si inadvertentia ad malitiam actus interioris sufficeret ad excusationem culpæ, de facto à malitia excusarentur desideria fornicandi aliquoties in viris doctis, & frequenter in indoctis; sed de facto rarò, vel nunquam excusantur talia desideria: ergo, quia non sufficit illa excusare inadvertentia dicta. Maior probatur; quia aliquoties, etiam homines docti, & indocti frequenter, ne semper dicam, consentiunt in fornicationem, nihil circa suum actum internum cognoscendo, & consequenter non advertendo ad ipsius malitiam, sed solùm ad malitiam ipsius fornicationis: ergo si dicta inadvertentia excusaret multoties fornicandi desideria à malitia excusari deberent.

573 Confirmatur ratio ista: quia si quis perrexerit in domũ concubinæ ad fornicandum, & ibi eam non invenerit, hoc ipso sine ullo scrupulo jurare poterit, se mortaliter peccasse; sed non poterit multoties sine scrupulo jurare se advertisse ad maliti-

litiam actus interni, quia facile in similibus eventibus continget, quòd tota hominis cogitatio occupetur in cogitatione delectationis, & etiam turpitudinis ipsius fornicationis: ergo ad hoc, ut homo peccet consentiendo in fornicationem, necessaria non est advertentia ad malitiam actus interioris. Patet consequentia; quia si necessaria esset ista advertentia ad peccatum, tunc non posset sine scrupulo jurari adfuisse peccatum, quando sine scrupulo jurari non posset adfuisse advertentiam.

574 Secundò probatur nostra sententia; quia si rusticus, qui ignorat malitiam actus interni, quo desiderat fornicationem, cognoscendo fornicationis malitiam non peccaret, cum fornicationem desiderat, sequeretur; quòd nec peccaret etiam ipsam fornicationem exercendo; sed hoc est absurdum: ergo etiam, quod desiderium in tali casu à malitia excusetur. Maior, seu sequela probatur; quia quãdo talis rusticus fornicationem comitteret de facto, nec peccaret actu voluntatis, quo illam volebat, nec actu ipso exteriori: ergo nullo modo peccaret. Consequentia est bona: prima antecedentis pars supponitur ex sententia contraria; secunda verò antecedentis pars probatur; quia actus exterior nullam potest habere malitiam formalem non derivatam ab interno: ergo eo ipso, quod internus nullam habeat malitiam, nullam habere poterit externus.

575 Dices fortasse factum externum per se loquendo nullam habere malitiam non derivatam ab interno; per accidens tamen ratione ignorantiæ circa malitiam interni, & cognitionis circa malitiam externi, posse habere malitiam ab interno nõ derivatam. Sed contra est primò, quia qui hoc dicat, explicare tenetur, quo modo actus externus habere possit malitiam ab interno non derivatam. Secundò eam solutionem sustineri non posse sic probo: quâcumque suppositâ ignorantiâ, nequit actus externus esse malus, si actus internus malus non sit: ergo falsa est solutionis doctrina. Probo antecedens: actus sine libertate secutus ad actum non malum, malus esse non potest; sed actus exterior sine libertate sequitur ad actum efficacem inte-

teriorem: ergo, quando actus interior malus non est, exterior malus esse non potest. Minor continet doctrinam communẽ; actus enim exterior non habet novam libertatem, sed solùm dicitur liber, quatenus sequitur ad actum interiorem liberum: quam doctrinam optimè tradit Granados 1. 2. *controversia* 2. *tract.* 14. *disp.* 1. *num.* 1. & *disp.* 6. *sect.* 3. *num.* 9. & 10. Maior autem non est minus communis, & certa; quia dum actus sine libertate sequitur, in eius sequela non potest esse moralitas, & solùm potest moralitatem habere, quatenus actus, ex quo sequitur est liber, unde non aliam moralitatem habet, quam ipsam moralitatem actus, ad quem sequitur: ergo si ille malus non sit, actus secutus malus esse non potest: stat ergo firmum, quòd actus non libere secutus ad actũ non malum, malus esse non possit.

576 Nec iterum recursus ad ignorantiam valet, quia nulla ignorantia efficere potest, quòd actus aliquis elicitus sine libertate aliquam malitiam habeat: ergo dum interior actus non est malus, & exterior elicitur sine nova libertate, nulla ignorantia efficere potest, quòd exterior aliquam contrahat malitiam in interiori omnino non repertam. Antecedens constat apud omnes; unde à peccato excusatur rusticus, dum in somnijs pollutionem patitur absque eo, quòd ullam causam libere dederit, quantumvis judicet eam pollutionem esse peccatum mortale. Similiter si ob carcerem, aut infirmitatem ab audienda missa impediatur, peccare non poterit quantumcumque ex sua rudi ignorantia se peccasse existimet. Similes alij casus passim ad Confessores perveniunt, in quibus pœnitentes non excusarentur, si juxta oppositam doctrinam excusari deberent desideria rustici: debent ergo rustici in prædictis casibus à peccato excusari, & quantumvis à Confessario nõ excusentur, excusati apud Deum erunt, quin sua, nec confessarij ignorantia eos reos culpæ possit efficere; excusandus tamen non est rusticus in nostræ quæstionis casu, ne inde sequatur, quòd etiam excusari debere, dum ipsam fornicationem externam committit.

577 Tertiò probatur sententen-

tentia nostra ratione à priori. Rusticus, dum in casu sæpius posito fornicationem desiderat, habet cognitionem sufficientem ad peccatum: ergo peccat, sine ulla excusatione. Consequentia patet; quia si excusari deberet, maximè ex cognitionis defectu; antecedens vero probatur: ad peccatum non est necessaria cognitio malitiæ actûs voluntatis, sed sufficit cognitio malitiæ obiecti talis actus; sed in casu nostro rusticus habet cognitionem malitiæ obiecti sui desiderij, & solùm caret cognitione malitiæ ipsius desiderij: ergo habet sufficientem cognitionem ad peccatum. Tota huius syllogismi difficultas in maiori consistit; sed ipsa certè apud me est Theologicum principium; omnes enim Theologi, dum cognitionem ad malitiam requirunt, expresse loquuntur de cognitione malitiæ obiecti, quin ulterius cognitionem malitiæ actûs requirant, juxta quam doctrinam sæpè loquitur ipse Granados tractatu de actibus humanis, & tandem eam in præsenti non audet negare; in responsione enim ad 2. confirmationem ait, *quòd licet illa expresa reflexio* (quâ scilicet cognoscatur malitia actus) *non sit necessaria; requiritur tamen, quòd homo non sibi prudenter persuadeat oppositum.* Ex hac tamen doctrina non sequitur, quòd ignorantia malitiæ actûs non excuset, sed solùm judicium de eo, quòd non sit malus, hoc equidem evidenter videtur sequi ex dicta solutione: & forsan propter hoc existimavit Oviedus, quòd Granados loquitur solùm de tali judicio, & non de ignorantia, quamvis re vera de ignorantia loquatur, & solum ab illa fugiat, dum non potest aliter se defendere. Ex quibus infero maiorem positam adeò claram esse, ut quamvis, eâ concessâ, argumentum solvi non possit, eam tamen Granados non audeat negare.

578 Quamvis autem nobis intersit parum, an judicium illud, quo quis judicat, actum internum non esse malum, à peccato excuset; quia nos loquimur de pura ignorantia, qua præcisè illius malitiam invincibiliter ignorat; quia tamen verius videtur, quòd nec judicium excuset, sic argumentor contra solutionem Granados. Per te ignorantia malitiæ actus interni cum cogni-

gni-

gnitione malitiæ obiecti non sufficit excusare à peccato: ergo neque sufficiet excusare positivum judicium, quo judicet, aut (ut tuis terminis loquar) prudenter sibi persuadeat, non esse malum. Probo consequentiam; quia ignorantia malitiæ non minus est potens ad excusandum peccatum, quàm judicium de non existentia malitiæ. Quod constat innumeris exemplis; si quis enim invincibiliter fornicationem malam esse ignoret, eodem modo à peccato excusaretur, ac si positivè judicaret, quòd mala non esset: & similiter est de alijs quibuscumque rebus prohibitis. Ratio autem à priori est, quia sive ignoretur malitia, sive judicetur non adesse, illa est omnino involuntaria; unde non potest moralis esse: fatendum ergo est, quòd non solùm ignorantia malitiæ actus interni, sed nec judicium de eo, quòd non sit malus, à peccato excusat, eò quòd ad peccatum necessaria non est cognitio malitiæ actûs, sed solùm obiecti illius, quæ est nostræ probationis maior.

579 Sed quia forsan aliqui liberalius negabunt, quam Granados, quamvis ipse maiorem negare non audeat, non est sine probatione relinquenda, probatur ergo: ad peccatum eius tantum cognitio est necessaria, cuius volitio est ad illud necessaria, sed ad peccatum non est necessaria volitio actus ipsius voluntatis, quo quis fornicationem desiderat: ergo nec est necessaria talis actus cognitio, & consequenter nec malitiæ illius. Maior est omnino clara; minor verò probatur 1. quia quamvis, ut exterior actus sit liber, sit necessarium, quòd sit volitus, ut interior liber sit, necessarium non est, quòd sit volitus: ergo similiter, quamvis, ut exterior actus sit peccatum, necessarium sit, quòd sit volitus, ut interior peccatum sit, non erit necessarium, quòd sit volitus. Secundò probatur minor, quia aliàs peccatum non esset volitio obiecti mali, adhuc nulla interveniente ignorantia, nisi daretur volitio reflexa illius volitionis, quod est satis absurdum. Nec valebit dicere ipsam reflectere posse supra se, quia id concedunt pauci, & ad summum est probabile, cum tamen certum omnino sit, quòd volitio illa obiecti mali, nulla in-

interveniente ignorantia, sit peccatum.

580 Sed respondebis ad hanc 3. probationem ex doctrina Sanchez, & Granados, sufficere ad peccatum cognitionem malitiæ obiecti, si judicetur malum, ut cadit sub illam volitionẽ, quòd non contingit in nostræ quæstionis casu. Sed falsò supponunt isti Doctores, obiectum in casu quæstionis non cognosci, ut malum, ut cadit sub illam volitionem; nam fornicatio juxta ipsos, ut in re exercita cognoscitur ut mala; sed sic cadit sub rustici volitionem; supponimus enim, quod desiderat efficaciter illam exequi: ergo cognoscitur, ut mala, prout cadit sub illam volitionem.

581 Confirmatur tertia nostræ sententiæ probatio, quia voluntas committendi fornicationem cum cognitione malitiæ illius, & ignorantia malitiæ talis volitionis repugnat actuali amori Dei: ergo est peccaminosa. Negant antecedens adversarij dicentes, quòd illa voluntas per ignorantiam excusata non repugnat amori Dei. Sed consideranti facile apparebit falsa doctrina; quia in matre diligente intensissime filium, eiusque salutem, non compatitur, quod illi desideret efficaciter infirmitatem, quantumvis cognoscat suum desiderium non opponi saluti filij, si sciat tamen, infirmitatem, quam desiderat, illi opponi. Hoc amplius non declaro, nec similia alia perpendo, quia ipsa consideranti satis plana fient.

582 Fundamentum autem contrariæ sententiæ unicum est, illud proponam, ne forte aliquid roboris amittat, verbis adversariorum: sic ergo arguit Granados *loco citato num.* 13. Nullus homo potest peccare, quando prudenter sibi persuadet non esse peccatum id, quod facit; sed qui invincibiliter ignoraret malitiam internæ voluntatis, pruden. ter sibi persuaderet, non esse peccatum illam elicere, quantumvis obiectum, quod respicit, esset malum: ergo non peccaret. Maior patet ex controversia de actibus humanis. Minor non minus perspicua est; nam ignorantia invincibilis est illa, quæ ita occultat malitiam obiecti, ut sibi homo prudenter persuadeat obiectum non esse malum. Huc usque Granados. Sed certè

dum

dum minorem declarat, deficit 1. quia ad persuasionem illam, non sufficit ignorantia, ut dicit, sed requiritur judicium de eo, quòd non sit malitia. Deinde in ipsa declaratione nostram doctrinam tradit, & suam destruit; ut enim homo possit persuaderi, quòd non peccat, requirit occultationem malitiæ, non cuiuscunque, sed obiecti: cum ergo in casu quæstionis non occultetur malitia obiecti, sed actus, non dabitur malitiæ excusatio. Sed quidquid de hoc sit, constabit ad argumentum, illud solvendo, prout proponitur à Sanchez.

583 Igitur Sanchez arguit hisce verbis; quia cum conscientia sit proxima bonitatis, & malitiæ humanorum actuum regula, nemo peccare potest, quamdiu conscientia prudenter dictat, id, quod agit, non esse peccatum, quod in ignorante invincibiliter contingit; prudenter enim sibi persuadet, actum illum internum culpâ vacare. Hucusque Sanchez; qui etiam videtur peccare transferendo ad ignorantiam malitiæ, quod est proprium judicij de illius non existentia. Sed quidquid de hoc sit, tota argumenti utroque modo propositi difficultas reducitur ad hanc propositionem: nemo peccat, cum conscientia dictat, id, quod agit, non esse peccatum: hanc ergo distinguo: si sermo sit de actione, externa cōcedo; si de interna subdistinguo; si conscientia dictet id, quod agit; & etiam, quod vult agere, sive facere, non esse peccatum concedo; si dictet id, quod agit non esse peccatum, & simul dictet, id, quod vult facere, esse peccatum, nego propositionem illam; cumque hoc modo contingat in casu nostræ quæstionis, in eo non dabitur à peccato excusatio. Quòd propositio illa intelligi debeat in sensu à me declarato constat ex omnibus nostræ sententiæ probationibus, quas abundantius dedi, quàm rei certitudo postulabat, quia præter adversarios, enumeratos sunt alij Recentiores doctissimi, qui mihi vocetenus vehementissimè contradixere. Sed congratulari mihi possum, quod alijs non minus doctis, & ingeniosis, meam sententiam persuaserim.

* * * *

*Qua-*

## *QVÆSTIO XXI.*

### *An actus, cujus obiectum apprehenditur præcisè, ut malũ, sit peccatum mortale.*

584 DVpliciter potest quis malum in communi apprehendere, scilicet, vel illud præscindendò à diversis malitiæ speciebus, vel illud præscindendo à malitia gravi & levi. Circa 1. præcisionem non est levis difficultas ad quam speciem illud peccatum pertineat; spectat tamen ad tractatus Theologicos in 1. 2. Circa 2. verò præcisionem, sive reperiatur simul cum 1. sive sine illa, præsens quæstio procedit. Et inprimis certũ est, quòd si postquam quis cognovit obiectum habere malitiam in communi, postea dubitet, aut scrupulizet, an ea malitia sit gravis, vel levis, peccet mortaliter, si actum committat, quin prius dubiam, vel scrupulosam deponat conscientiam, quia se exponit periculo peccandi mortaliter. Quæstio ergo solum procedit, quando ita cognovit malitiam in communi, ut de malitia gravi, aut levi nullo modo dubitaverit, nec eius ullam fecerit apprehensionem.

585 Prima ergo sententia asserit talem actum esse peccatum mortale. Sic sentit Vazquez 1. 2. *disp.* 59. *cap.* 3. *num.* 10. & alij apud Dianam 3. *part. tract.* 4. *de Sacramentis, resolutione* 162. Secunda sententia tenet, talem actum peccatum mortale non esse, sed solùm veniale. Sic Navarrus in manuali, *præludio* 9. *num.* 9. *Valentia* 1. 2. *disp.* 2. *quæst.* 14. *p.* 4. *Lopez* 1. *part. instruct. cap.* 3. *Salas* 1. 2. *tract.* 8. *disp.* 1. *num.* 33. *Diana citata solutione, Oviedus tractatu de bonitate, & malitia controvers.* 1. *punct.* 3. ac tandem noster Ludovicus à Concept. *tract. de pœnitentia casu* 1. Ista autem sententia limitari solet, ita, ut solum sit vera, quando dicto modo judicatur de malitia actûs, sive obiecti, & alias ipsum obiectum non est graviter malum, secundum se; si enim sit secundum se graviter malum, jam actus, adhuc non obstante tali judicio, erit peccatum mortale: sic limitat hanc sententiam Navarrus, & cum eadem limitatione videntur eam tenere reliqui citati, præter Oviedum, & nostrum Ludovicum, quatenùs omnes eam sententiam ex Navarro desumunt, quamvis aliqui co-

eorum ab ea limitatione videantur recedere.

586 Nostra conclusio sit, eum, qui cum cognitione mali in communi, hoc est, præscindenti à gravi, & levi, ita ut de malitia gravi, aut levi, ne apprehensionem quidem habeat, aliquid operatur, mortaliter non peccare, sed solùm venialiter, quamvis obiectum secundum se spectatum, gravem contineat malitiam. Cum tota ista latitudine tenent nostram conclusionem Oviedus, & noster Ludovicus, in eamque videtur consentire Valentia, Salas, & Diana. Probatur autem; quia non potest aliquis peccare, nisi voluntas aliquomodo malum amplectatur: ergo nec graviter peccare, quin aliquomodo malum grave amplectatur; sed non potest grave malum amplecti voluntas ullo modo, quando intellectus nullo modo gravem malitiam proponit: ergo peccare graviter non potest, quando intellectus nullo modo cognoscit malitiam gravem, sed solùm malum, sive malitiam præcisè. Nec aliquid referre potest, quòd obiectum de facto sit graviter malum, & quod ipsum obiectum determinatè cognoscatur; quia ipsum obiectum quamvis determinatè cognoscatur, non potest gravitatem malitiæ refundere in actum, nisi media ipsius malitiæ cognitione: ergo dum non cognoscitur malitiæ gravitas ullo modo, nullo etiam modo gravis malitia refunditur, quamvis res ipsa, seu obiectum materialiter sumptum cognoscatur.

587 Sed obijcies 1. ex P. Vazquez. Qui operatur id, quod cognoscit esse malum, eo ipso, quòd sine ulteriori examine illud facit, se exponit periculo committendi peccatum grave: ergo eo ipso graviter peccat. Respondeo negando antecedens; quia qui tale opus facit verum est, quòd, si tale opus sit graviter malum, efficiet actum, qui esset peccatum mortale, si adfuisset sufficiens advertentia; non tamen, qui tale sit de facto, quia ex defectu advertentiæ tale non est. Fateor tamen, quòd, si cognovisset, quòd se exponebat periculo efficiendi opus graviter malum, quòd peccaret graviter: in nostro autem casu nullatenùs id advertit, quia tale periculum cognosci non potest sine cognitione saltem apprehensiva ma-

litiæ gravis, quam cognitionem ſupponimus non dari. Vnde etiam colliges, quòd prædictus non peccat, etiam ex eo, quòd tenebatur inquirere de malitiæ gravitate, & eam inquiſitionem omiſit: nam ut in actu 2. teneatur ad eam inquiſitionem faciendam, debet in eo præſupponi aliqua de ea malitia gravi dubitatio, ſcrupulus, aut ſaltem apprehenſiva cognitio illius; cumque eam ſupponamus non dari, iam omitit inquiſitionem omnino inculpabiliter, ut potè ſine libertate.

588 Secundò obijcies ſequi ex noſtra ſententia, ruſticos frequenter excuſari à peccato mortali, quia frequenter ſatis contingit, quod comittant peccata ſine eò, quòd cognoſcant rationem mortalis, aut venialis. Reſpondeo tamen negando ſequelam, quia quamvis frequenter contingat, ruſticos peccatum mortale, & veniale non diſcernere ſub his terminis, bene tamen ſub alijs, ſcilicet, ſub ratione magni peccati, aut parvi peccati, quod ſufficit, ut mortaliter peccent. Quod verò aliquando nec ſub iſta ratione ea diſcernãt, contingere poteſt, ſed non frequenter, & tunc eſt caſus quæſtionis noſtræ, in quo abſurdum non eſt, quòd à mortali excuſentur, ſed potius intentum Doctorum noſtræ ſententiæ; & nota etiam, caſum quæſtionis contingere poſſe doctis hominibus, quia iſti etiam ſunt inadvertentiæ capaces, & imperfectæ advertentiæ: unde etiam in illis contingit, quòd peccata ſecundum ſe mortalia, de facto venialia ſint ratione ſemiplenæ deliberationis.

589 Tertiò obijcies ex noſtra doctrina ſequi; quòd in quæſtionis caſu nec veniale peccatum committatur, quod eſt abſurdum. Sequela probatur; quia in quæſtionis caſu, ſicut cognitio malitiæ præſcindit à malitiá mortali, præſcindit à malitia veniali: ergo ſi præſcindere à malitia mortali ſufficiat, ut mortale non ſit, præſcindere à veniali ſufficiet, ut non ſit veniale. Reſpondeo tamen negando ſequelam; ad cuius probationem nego antecedens; ſi ly ſicut denotet omnimodam paritatem; ratio eſt quia à malitia mortali omnino præſcinditur; à malitia verò veniali præſcinditur inadæquate, non verò adæquate; duo enim

im-

importat peccatum veniale, videlicet, & positivum aut quasi positiuum malitiæ parvæ, & negationem maioris malitiæ: præscinditur ergo ab illo secundum negationē istam, non verò secundum illud positivum parvæ malitiæ. Ratio. quia eo ipso, quòd aliquid cognoscatur ut malum, non potest non esse malum leve, aut grave; cumq; grave malum in se includat leve secundum positivum malitiæ parvæ, necessariò ad malum salvandum requiritur malum leve secundum positivam suam malitiam, quamvis non secundum negationem maioris: unde ab ea negatione præscindi potest, non tamen à levi malitia, secundum quod dicit, ea negatione seclusa. Sed dices: ergo tale peccatū non habebit negationem maioris gravitatis, quod necessarium erat, ut esset veniale. Respondeo negando consequentiam; quia, ut maiorem gravitatem nō habeat, sufficit, quòd maiorem gravitatem non cognoscat, & necessarium non est, quod eius cognoscat carentiam, cum obiectum nullam gravitatem possit refundere absque illius cognitione.

## QVÆSTIO XXII.
### De circumstantia Quando.

590 Circa istam circumstantiam dicendum est 1. cum communi sententia contra non paucos Doctores apud Lugum *disp.* 16. *sect.* 12. *num.* 515. non in quolibet peccato in die festo commisso hanc circumstantiam debere explicari. Ratio est, quia, *ut supra quæst.* 16. de loco sacro agentes perpendimus, non quodlibet mortale gravem continet irreverentiam contra diem sacrum. Quod cōfirmatur; quia communiter sic practicatur, neque enim pœnitentes istam circumstantiam cōfitentur, nec de illa confessarij solent interrogare. Quapropter tantummodo contra diem festū peccabit graviter, qui omittit Missam, aut efficit opus servile notabile; quia huiusmodi peccata opponuntur præcepto de cotalendis festis diebus. Peccaret tamen præterea graviter, qui comædias, aut ridicula spectacula faceret diebus veneris, aut Iovis Sancti. quia id graviter opponitur mysterijs, quæ representat Ecclesia in illis diebus; non tamen

men peccaret contra reverentiam illis diebus debitam, alia mortalia occulte committendo, ut tenet Lugo, quem refert & sequitur Tamburinus *lib. 2. meth. cap. 7. num. 4.*

591 Similiter non habet specialem malitiã gravem, peccatum mortale commissum in die communionis; nisi forte immediatè post communionem, quis pergeret ad peccandum; hoc enim proculdubio videtur gravem irreverentiam continere. Præterea, ut benè notat Tãburinus num. 42. si Sacerdos portans Sacram Eucharistiam copulam carnalem haberet, grave sacrilegium committeret; nõ tamen, si eam portans furtum, aut detractionem, similеve peccatum committeret.

592 Sed obiicies 1. opus servile specialiter prohibetur in die festo: sed nullum opus vilius, & servilius est, quàm peccatum: ergo istud specialiter prohibetur. Respondeo prohiberi in die festo opus servile; non quo homo efficitur servus Diaboli, sed servile, quod est proprium servorum, & ab hominibus plebeijs exerceri solet; peccatum autem est servile in 1. sensu, non in 2.

593 Obijcies 2. Ecclesia in die festo intendit, & præcipit cultum Dei; sed huic adversatur quodlibet mortale: ergo quodlibet est specialiter in die festo prohibitum. Respondeo tamen Ecclesiam non præcipere quemlibet Dei cultum in die festo; sed eum, qui consistit in auditione Missæ, & vacatione ab opere servili; circa intentionem verò fateor, quod etiam Ecclesia intendit, quod alijs modis cultus Deo exhibeatur, sed non peccat graviter, qui contra istum finem facit; quia finis præcepti non cadit sub præcepto, sed solùm res præcepta: sic qui unicam faceret comestionem se in illa nimis ingurgitando, non peccaret contra jeiunij præceptum, quamvis faceret contra finem illius, qui est carnis maceratio.

594 Secundò dicendũ, quòd quando quis omittit rem, ad quam est pluribus titulis obligatus, non tenetur eam circumstantiam declarare, si obligationes, vel tituli sint eiusdem rationis; tenetur tamen, si diversæ rationis sint. Ratio est, quia in 1. casu non apparet ulla diversitas specifica; datur tamen in 2. Ex huius conclusionis doctrina plu-

plurium casuum inferes resolutiones. Primò inferes, eum, qui omittit sacrum in die Dominica, in qua simul celebratur festum alicuius Sancti, non teneri istam circumstantiam declarare; etsi enim duplex adsit præceptum, est tamen eiusdem rationis, quia utrumque tendit ad religionis honestatem. Idem similiter dicendum est in casu, quo quis frangat jeiunium quatuor temporum, in quo simul incidat vigilia alicuius Sancti. Etsi dicas disparem in hoc casu reperiri rationem; quia præceptum temporum intendit temperantiam, vigiliæ verò, cultum illius Sancti. Respondeo etiam vigiliæ præceptum intendere temperantiam immediatè; eam tamen temperantiam ulteriùs ordinat in honorem Sancti; jeiunium autem solum constituitur in ea virtute, quam immediatè intendit præceptum.

595 Secundò colliges, eum, qui frangit votum sæpè renovatum, non teneri hanc circumstantiam confiteri. Ratio est, quia non additur obligatio nova per voti repetitionem, sed confirmatur antiqua; quod adeò verùm est, ut quamvis renovans votum, intendat novam sibi obligationem imponere, probabilius sit, quòd id non consequatur; quia unica materia sub unitate, & virtute, non est capax nisi unius obligationis.

596 Tertiò inferes, eum, qui violat jeiunium ex præcepto Ecclesiæ, & simul ex voto obligans, teneri istam circumstantiam cōfiteri. Ratio est, quia vinculū voti est omnino diversæ rationis à præcepto, illudque frangere continet malitiam contra religionem. Inquires autem 1. An, qui frangit jeiunium ab Ecclesia, & simul à regula præceptum, duplicis malitiæ peccatum committat, & eam debeat malitiam explicare. Respondeo probabilius esse, quod teneatur; quia diversæ rationis est utrumq; præceptum; quamvis enim, si regula accipiatur, ut quædam lex præcisè, eius præceptum sit eiusdem rationis cum præcepto Ecclesiæ; quia tamen ea lex obligat probabilius ratione voti, diversæ rationis est, ideoq; eius transgressio est contra religionem.

597 Secundò inquires, An, qui præceptum superioris transgreditur, peccet dupliciter, cōtra

tra votum ſcilicet, & contra obedientiam. Reſpondeo probabilius eſſe, quòd dupliciter peccet; quia Prælatus ratione prælatiæ poteſt ſub obedientia ligare, & ratione voti manet ſubditus ligatus; probabile tamen eſt, quòd ſolum peccet contra votum. Ratio eſt; quia aliqui probabiliter judicant, totam ſuperioritatem, & juriſdictionem, quã habet Prælatus Regularis, ei convenire ratione voti, & ad ſummum, ſi ei conveniat aliqua alia, ea eſt ad præcipienda ſolũ ſimilia his, quæ Epiſcopus poteſt præcipere ſuis ſubditis. Deinde id ipſum eſt probabile; quia quantumvis Prælatus habeat poteſtatem ligandi, non ſolùm ratione voti, ſed etiam ratione obedientiæ, ut verus Prælatus, tamen probabile eſt, quòd communiter non intendat ligamen obedientiæ, ſed ſolum voti.

598 Notandum tamen hîc eſt, verſari notabilem differentiam inter tranſgreſſionem obedientiæ, & voti; nam in illa tenetur tranſgreſſor declarare materiam tranſgreſſionis; an ſcilicet ſit jeiunium, auditio miſſæ, aut quodvis aliud; in voto verò non tenetur declarare materiã, ſed ſufficiet dicere, violavi votum in materia gravi. Ratio, quia votũ, rem quam promittit, vovens, conſtituit in virtute religionis, & non in alia; præceptum verò conſtituit rem præceptam in illa virtute, circa cuius materiam verſatur; ideoque qui violat jeiunium præceptum, peccat contra temperantiam, quia præceptum jeiunij, cum ſit in materia temperantiæ, facit, ut illud pertineat ad temperantiæ virtutem; qui verò jeiunium, quod vovit, frangit, non violat temperantiam, ſed religionem; quia votum non facit, ut res ipſa ſit in virtute, ad cuius materiam ſpectat, ſed in quacumq; materia ſit, facit, ut pertineat ad virtutem religionis. Etſi quæras iterum huius diſparitatis rationem, ea eſſe poterit, quòd vovens ſolùm intendit cultum Dei per rem, quàm promittit; præcipiens verò, cum ſit perſona communis, intendit ſubditos in omni virtute creſcere, ideoque eius præcepta intendunt materiam virtutis, in qua verſantur.

599 Huic doctrinæ non parum refragatur Arriaga *in præſenti diſp.* 32. *num.* 23. *&* *tom.* 8. *diſp.*

*disp.* 41. *sect. ult.* existimans non magis præceptum, quam votum constituere posse rem præceptã in virtute, circa cuius materiam versatur: unde solùm asserit, eã constituere in materia obedientiæ: inde tamen consequenter debebat asserere, quòd, qui præceptum frangit, non teneretur materiam explicare; non tamen audet, sed potius vult inconsequenter procedere, quàm hoc inconveniens contra communẽ praxim deglutire; quamvis enim ipse dicat, inobedientias ipsas specie differre ratione diversitatis materiæ. Sed certè si materia omnino materialiter se habeat, credi non debet, quòd semper diversitas materiæ tantam diversitatem refundat in inobedientiam, ut specie differant ipsæ inobedientiæ, non minus, quàm si de formali se haberent materiæ ipsæ: unde cum nõ audeat negare diversitatem specificam inter peccata, quando materia ad diversas virtutes spectat, ut id rectè intelligatur, dicendum est, eas materias constitui per præceptum intra virtutes illas speciales, quarum materia sunt.

600 Quartò inferes: probabile esse, quamvis oppositum teneat absolutè P. Corella *cap.* 3. *in* 3. *præcept. num.* 22. eum, qui frangit jeiunium comedendo carnes unum peccatum committere, & non teneri istam circumstantiam confiteri. Ratio est, quia etsi detur duplex præceptum, utrumque tamen ad eandem virtutem temperantiæ pertinet, ob similemque rationem committit unum peccatum, qui carnes simul, & ova comedit; non tamen negamus, quòd carnium comestio in utroque casu sit circumstantia valdè notabiliter aggravans; id enim juxta nostram sententiam non sufficit, ut ea debeat circumstantia confiteri.

601 Quintò inferes: probabile etiam esse, eum, qui celebrat cum excommunicatione, & in mortali, ac non jeiunus, unũ tantum committere peccatum; ratio est, quia, quamvis faciat contra tres obligationes; omnes tamen respiciunt eandem virtutem religionis, ac reverentiæ Sacramento debitæ. Inquires tamen, an saltim in eo casu triplex committat peccatum, quia scilicet, conficit, ministrat, & suscipit Sacramentum indignè.

Reſpondetur non committere niſi unicum; quia etſi reperiantur tres diverſi actus, unum moraliter componunt actum, eò, quòd ſint ſubordinati. Similiter etiã eſt probabile, quòd qui habet ordinem ſacrum, & beneficium, unum peccatum committat recitationem omittendo, eo, quòd unam violet orationis, ſive religionis virtutem.

602 Hîc tandem inquires, an effectus peccati debeat in cõfeſſione declarari. Reſpondeo negative cum comuniori ſententia. Ratio eſt, quia effectus peccati non eſt in ſe peccatum, ſed in ſua cauſa: unde ſufficit eius cauſam confiteri: unde, qui alteri venenum propinavit, de quo mortuus eſt, ſufficit, ſi dicat ſe alteri venenum propinaſſe, quin ſit neceſſarium dicere, an mortuus ſit, niſi per accidens ratione excomunicationis, alteriusvè cenſuræ, quæ, ut incurratur, effectum ſequi requirit. Similiter, qui peccaminosè cauſam dedit pollutioni in ſomnijs ſecutæ, ſufficit dicere, ſe cauſam pollutioni dediſſe, quin neceſſarium ſit dicere, an de facto fuerit ſecuta, vel non. V. Tambur *lib. 2. method. cap. 6. § 2.*

603 Sed dices, effectus peccati, quamvis non ſit in ſe liber, eſt tamen liber libertate ſuæ cauſæ: ergo eſt in ſe peccatum, debetque conſequenter confiteri. Probatur conſequentia, quia actus externus eſt peccatum in ſe, & tamen ſolum eſt liber libertate actus interni: ergo quãvis effectus peccati ſolum ſit liber libertate ſuæ cauſæ, erit ſimiliter in ſe peccatum, & non ſolùm in cauſa. Reſpondeo tamen negando conſequentiam; ad cuius probationem etiam nego conſequentiam; eſt enim diverſo modo liber effectus, ac externus actus; hic enim ita eſt liber libertate interioris, ut cũ fit communiter loquendo, liberè abſolutè fiat, quamvis aliena libertate; effectus vero ſolùm eſt liber libertate cauſæ, dum cauſa ipſa liberè ponitur; dum verò ipſe ponitur effectus, nullam obtinet libertatem in ſe, adhuc denominativè, ſed ſolum in cauſa; unde ſola cauſa eſt peccatum: unde etiam actus externus, ſi aliquando in actu 2. liberè non fiat libertate actus interni, ipſum de facto extrinſecè afficiente, pec-

peccatum non erit in se, sed solùm in actu præcedente, qui liberè ad eum terminabatur. Videatur Lugo *disp. 16. de pœnit. sect. 9. & Arriaga disput. 34. sect. 1.* qui quamvis oppositam sententiam teneat, nostram judicat probabilem, & benè num. 5. explicat sententiam nostram de effectu moraliter separato ab actione peccaminosa; nam de coniuncto illud fateri debere credit in omnium sententia. Et benè quidem tunc enim nomine actùs externi comprehenditur, licet in rigore ab illo valeat distingui.

## *QVÆSTIO XXIII.*
## *Quando sit reiteranda confessio.*

604 CVm confessio aliqua reiterari debet, eius reiteratio est procul dubio de integritate novæ confessionis, in qua reiteratur: unde ut omnino cognoscatur quidquid necessarium est, ut confessio sit integra, nunc visuri sumus, quando confessio sit reiteranda. Igitur certum est iterandam confessionem, quæ fuit invalida: unde iteranda confessio 1. si non adfuit dolor ad valorem Sacramenti pœnitentiæ necessarius. Secundò, si non adfuit intentio recipiendi Sacramentum. Tertiò, si confessarius non absolvit, aut absolutionem sine intentione protulit, aut jurisdictionem non habebat. Præterea iteranda cõfessio; quando pœnitens actualiter, dum suscipit Sacramentum peccat, vel propositum peccandi habet, sed hoc ad primum casum reducitur, quia in isto casu non stat dolor ad valorem Sacramenti necessarius: similiter ad eundem casum reducitur, quando quis omittit aliquod mortale culpabiliter; si verò inculpabiliter illud omisit, videlicet, per oblivionem, aut quia invincibiliter putabat se posse illius peccati confessionem sine peccato omittere, & ad aliam confessionem differre, tunc inquam non est illa confessio invalida, & consequenter, nec iteranda, sed sufficiet ipsum peccatum omissum confiteri. Similiter ob defectum doloris est invalida, & iteranda confessio facta ex fine mortaliter malo; alijque casus his similes ex dictis in toto hoc tractatu facilè resolvun-

vuntur; quapropter modo veniamus ad alios, in quibus aliqua specialis difficultas potest inveniri.

605 Inquires ergo 1. An sit repetenda confessio facta indocto confessario. Respondetur negativè cum Arriaga *disp.* 35. *à num.* 4. contra P. Franc. Alchacoa *in sum: Catenata lib.* 3. *q.* 83. *cas.* 7. quia nullus est confessarius adeò ignarus, ut non percipiat aliquod peccatum, de quo se accusat pœnitens, saltim in communi, & in confuso; hoc autem sufficit ad Sacramenti substantiam, & valorem: unde talis confessio erit valida, & cõsequenter non iteranda.

606 Sed obijcies 1. talis cõfessarius, quamvis cognoscat aliquod peccatum; si tamen nõ cognoscat eius speciem, nec an sit mortale, vel veniale, non potest rectum judicium efformare: ergo non potest valere illius absolutio. Respondeo negando consequentiam; quia ex antecedenti solùm sequitur, quòd confessarius peccet judicium malè ferendo, non tamen, quòd judicium non sit validum, si adsit bona fides pœnitentis; si enim non adsit, sed cognoscat insufficientiam confessarij, peccat etiam ipse pœnitens, & consequẽter nullum fit Sacramentum: sicut dum accedit pœnitens cum quolibet alio peccato actuali; quod autem si bona fides pœnitentis adsit, non fiat nullum Sacramentum, confirmari potest ex eo, quod sæpè contingit, quòd confessarius etiam doctus nesciat de aliquo peccato in particulari discernere, an sit mortale, & cuius speciei, & tamen tunc conficitur Sacramentum validum, ita ut illud peccatum directè etiam remittatur, quin sit necessarium, errore detecto, illud iterum confiteri, ut asserit Tamburinus *lib.* 2. *meth. cap.* 1. *§.* 3. *num.* 18. *&* *§.* 4. *num.* 26. ergo similiter dicendum est, quando indoctus, non circa unum tantum, sed circa plura eundem errorem, aut ignorantiam habet.

607 Secundò obijcies: confessio facta confessario dormienti, aut linguam pœnitentis non intelligenti debet iterari: ergo similiter confessio facta valde ignaro confessario. Probatur consequentia; quia continget aliquando, quòd non melius cõcipiat peccata ignarus, quam dor-

dormitans. Respondetur concedendo antecedens, non absolutè, sed quantum ad illa peccata, de quibus constat, aut prudenter dubitatur, quòd non fuerint intellecta; non tamen, quo ad alia, & negando consequentiam; & ad probationem dico, contingere posse, ut dormitans ita bene percipiat peccata pænitentis quam ignarus, quantum ad jus, non tamen quā tum ad factum, quod præcipuè videtur exigi in confessionis præcepto; ignarus enim factum percipit, quia rectè percipit, quòd pœnitens furatus sit quatuor argenteos, quamvis nesciat, an hoc sit mortale; dormitans verò hoc factum non percipit; unde peccatum, quòd non audit, eodem modo se habet, ac si non fuisset confessum: unde si advertat pœnitens ante absolutionem aliquod peccatum non auditum, debet illud repetere; si verò post illam, valida erit confessio, & solùm tenebitur illud repetere, quando id adverterit. Vide Lugum *disp.* 16. *num.* 607. *&* 610. *Tambur. lib.* 2. *meth. cap.* 10. *num.* 52 *&* 53. *&* *Arriag. disp.* 35. *num.* 9.

608 Secundò inquires, an quando excomunicatus aliquis absolutus fuit à peccatis, & nō ab excōmunicatione, sit confessio iteranda. Respondetur negativè contra non paucos, quos citat, & sequitur Sanctius *in selectis disp.* 32. *num.* 11. Responsio autem est intelligenda quando pœnitens inculpabiliter procedit, alias enim ex alio capite confessio erit invalida. Probatur autem responsio; quia, Ecclesia, dum removet excōmunicatum à Sacramentis, non removet eà irritando, sed solùm prohibendo; quòd constat; tum quia oppositum, non exprimitur, quòd in re odiosa sufficit; tum quia matrimonium non irritatur per excōmunicationem, cū facile posset, sicut per alia impedimenta dirimentia: ergo dū pœnitens bona fide procedit, quòd absolvatur à peccatis ante absolutionem ab excōmunicatione, non tollit Sacramenti pœnitentiæ valorem: talis ergo absolutio est valida, & consequenter non reiteranda confessio. Vide Tambur. *cit. cap.* 10. *num.* 54. *&* *Arriagam disp.* 35. *sect.* 2.

609 Contra nostram tamen responsionem objicies 1. textum in

in cap. si celebrat de Clerico excõmunicato: ubi loquendo de Clerico minori excõmunicatione ligato, sic dicitur: *Peccat autem conferendo Sacramenta ecclesiastica, sed ab eo collata virtutis non carent effectu, cum non videatur à collatione, sed à participatione, quæ in sola consistit perceptione remotus.* Vbi per particulam remotus, nõ solùm significatur prohibitio circa receptionem, sed etiam invaliditas, cum prohibitio etiam circa collationem supponatur, dum dicitur peccat autem &c. vel aliter sic potest perpendi allatus textus: juxta illum, ideo collatio Sacramenti facta ab excõmunicato minore excõmunicatione, non est irrita, quia ab ea non est remotus, sed est remotus à receptione: ergo ea est irrita.

610 Sed inprimis ad hoc argumentum respondere debent adversarij, cum ipsi fateantur, Sacramenti matrimonij receptionem irritam non reddi per excõmunicationem, in qua tamen pari ratione argumentum urget. Respondet autem Sanctius, esse disparitatem, quia in matrimonio, & alijs Sacramentis, si ponantur omnia essentialia, non est, quomodo Ecclesia possit ea irritare; in pœnitentia verò potest facile tollendo jurisdictionem à ministro respectu talis excõmunicati. Sed contra est, quia non difficilius potest Ecclesia matrimonium irritare, quia potest irritare consensum contrahentis excõmunicati, ut illum irritat, dum adsunt alia impedimenta dirimentia: nulla ergo est disparitas posita.

611 Modo ad argumentum respondeo in dicto textu probari, non esse irritum Sacramentum ab excõmunicato excõmunicatione minori collatũ, quasi à fortiori ex eo, quod ille non sit à tali collatione remotus; inde enim constat, quod adhuc dato, quòd remotio irritaret (de quo non curat textus, quia non facit ad intentum) non sit irrita talis collatio, nec careat effectu. Vnde constat etiam ad aliam textùs ponderationem; ideò enim collatio non est irrita; quia ab ea excomunicatus non est remotus, si sermo sit de ratione sufficienti, & à fortiori id probanti; non verò si sit sermo de ratione unica; adhuc enim posito, quod esset remotus à tali collatione, posset non esse irrito,

to, de quo textus non curat.

612 Propter textum præcedentis argumenti existimat Sanctius cum Vazquez falsam esse communem doctrinam asserentem excõmunicationem minorem differre in hoc à maiori, quòd nullatenùs prohibeat administrationem Sacramentorũ; existimat enim fundatus in dicto textu, eam esse graviter prohibitam; ex nostra tamen soluti ne rectè intelligitur communis illa differentia: unde ex vi prohibitionis, nec venialiter peccat ille, qui minori excõmunicatione ligatus Sacramenta ministrat. Dixi ex vi prohibitionis: quia ex indecentia, quæ ex ipsa natura rei oritur, tenent non pauci peccare venialiter, quamvis absolutè ab ea etiam veniali culpa talem ministrantem liberum esse doceat satis probabiliter Filliucius *tom.* 1. *tract.* 13. *cap.* 2. *num.* 23. & alij apud ipsum. Videatur Amadeus *tract. de censuris proposit.* 1.

613 Secundò obijcies: absolutio collata ab excõmunicato est invalida: ergo etiam absolutio ipsi excõmunicato collata. Respondeo concedendo antecedens, si sit sermo de excõmunicato non tolerato, etsi non adsit communis error, & nego consequentiam. Ratio disparitatis est, quia excõmunicatio privat jurisdictione activa, non tamen jurisdictione passiva; non enim facit, quod excõmunicatus non sit subditus sui Prælati. Concessi antecedens de excõmunicato non tolerato; quia si excõmunicatus toleratus sit, valida etiam erit absolutio si pœnitens non peccet petendo, potest enim cõtingere, quod petendo absolutionem ab excõmunicato tolerato, non peccet, si aut ignoret excõmunicationem, aut petat ex iusta causa. Addidi etiam, *si non adsit communis error*; quia, si adsit, etiam est absolutio valida adhuc data à non tolerato juxta communem sententiam; quia Ecclesia jurisdictionem in eo casu supplet.

614 Tertiò obijcies: Ecclesia separat excõmunicatum quantum potest à receptione Sacramentorum: sed potest ita separare, ut irritet Sacramentum pœnitentiæ ab illo susceptum: ergo illud irritat. Probatur maior; quia Ecclesia vult, ut excõmunicatus sit tanquam Ethnicus, & publicanus, ideoque excõmunica-

catio dicitur maxima pæna. Respondetur distinguendo maiorem: separat quantum potest prohibendo, concedo maiorem; quantum potest irritando, nego maiorem; & concessa minori, nego consequentiam. Vnde Ecclesia non vult, ut in omnibus excõmunicatus sit tanquam ethnicus; sed solum in aliquibus. Nec similiter excõmunicatio est maxima pœna, quam Ecclesia potest imponere, sed maxima, quam solet imponere.

615 Tertiò inquires, an sit iteranda confessio, quando confessarius ante absolutionem oblitus est peccatorum, & statûs pœnitentis. Multipliciter hic casus contingere potest. Primò si confessio fuit longa, & duravexit per aliquos dies; ita ut confessarius tempore absolutionis non recordetur peccatorum, quæ audierat. Secundò si audita confessione oporteat absolutionem differre per aliquos dies, & cum postea redit, iam confessarius oblitus est peccatorum, & statûs pœnitentis. Tertio quando cognoscitur, confessionem præteritam fuisse invalidam propter aliquem defectum, & modo, eo ablato, vult pœnitens ab illis peccatis absolui, est tamen iam confessarius oblitus.

616 Respondeo ergo, quòd si in casibus dictis, aut similibus, iam confessarius imposuit pœnitentiam, necessarium non est confessionem repetere, sed sufficit dicere: *accuso me de peccatis in tali confessione confessis*; si verò confessarius pœnitentiam non imposuit, quamvis pœnitens non debeat distinctè singula peccata confiteri, debet tamen ea aliquomodo declarare, ita ut confessarius sufficiens judicium faciat ad prudenter pœnitentiam imponendam. Ratio primæ partis est; quia si pœnitentia iam est imposita, sufficienter est iam de peccatis judicatum; & solùm restat ad judicij complementum, quòd absolutio proferatur, qua dignus fuit pœnitens judicatus.

617 Secunda responsionis pars duo continet; primum est, quod pœnitens non debeat distinctè singula peccata confiteri, hoc autem constat; quia cum iam illa distinctè confessus fuerit, solum est necessaria illorum reconfessio, adhoc, ut confessarius recordetur ad prudenter imponendam pœnitentiam, ad quod sufficit cognitio peccato-

rum,

rum, non omninò exacta; sed quæ indicet sufficienter pœnitentis statum. Hinc fit, quod communiter, si fœmina, quæ plura peccata in confessione dixisset, unum culpabiliter omisisset, si facti pœnitens iterum accedat, ut rectam confessionem faciat, sufficit, si se accuset de peccato omisso, de culpa in omissione confessionis illius cõmissa; & deinde uno verbo de omnibus confessis in illa confessione sacrilega, quod verum esset, etiam si ex oblivione confessarius non imposuisset pœnitentiam; quia sufficienter, cõmuniter loquendo, recordabitur confessarius statûs pœnitentis, ut prudenter imponat pœnitentiam, quia ad hoc necessarium non est, quòd sciat, adulteria esse viginti, periuria duodecim, aut similiter aliorũ peccatorum numerum determinatum. Secundum quod 2. respõsionis pars continet, est, quòd debeat repeti confessio quando pœnitentia non est imposita; quamvis non exactè, aliquo tamen modo sufficienti ad prudẽter pœnitentiam imponendam, quod de se satis constat, cum ad rectitudinẽ judicij spectet, quod prudentet pœnitentia imponatur.

618 Ex dictis colliges, quòd si quis plures fecisset confessiones invalidas eidem confessario, aut de earum nullitate scrupulum haberet, uno verbo posset cum illo confessario eas repetere, dicendo: *accuso me de omnibus, quæ in alijs confessionibus sum tibi confessus*, simul explicando defectum, quem cognoscit, si culpam contineat. Si tamen vellit illum defectum supplere cũ alio confessario, debebit singula peccata referre, ac si nunquam fuisset ea confessus. Ratio est: quia, ut hic confessarius judicet, nihil juvat, quod alteri confessa fuerint: unde ei omnia distinctè confitenda sunt. V. Tamburin. *lib.* 3. *meth. cap.* 2.

619 Pro quæstionis huius complemento nota, posse evenire, quòd aliquis teneatur unã confessionem malam ex præteritis repetere, quin teneatur repetere aliàs post ipsam factas, in quibus non confessus est illius defectum. Ratio est, quia post illam confessionem malam potuit contingere, quod in sequẽtibus inculpabiliter daretur oblivio defectûs illius confessionis: un-

unde ob bonam illam fidem possent illæ confessiones validæ, & fructuosæ esse, sicut tales sunt dum alia peccata inculpabiliter etiam omittuntur. Ita Tamburinus *lib. 2. meth. conf. cap.* 10. *nu.* 46. *& Arriaga disp.* 35. *num.* 3.

620 Denique nota, hic ultimo inquiri posse, an ille, qui confessus est peccatum, omissâ per oblivionem circumstantiâ, satisfaciat postea confitendo solam circumstantiam. Respondeo satisfacere, si tales sint istæ malitiæ, ut possit utraque sine alia sufficienter declarari, non tamen si aliqua illarum dicto modo sufficienter non declaretur, de quo videndus Lugo *disp.* 16. *sect. etiam* 16. *per totam.*

## QUÆSTIO XXIV.

## *In quibus casibus ex defectu doloris sit iteranda confessio.*

621 DIximus ad initium præcedentis quæstionis reiterandam esse confessionem, primò quando non adfuit dolor necessarius ad valorem Sacramenti pœnitentiæ. Quando autem dolorem istum defuisse judicare debeamus, ex dictis in toto hoc tractatu, præsertim *disp.* 2. *præced.* & maximè ex quæst. illius 11. deducendum est. Quia tamen res hæc est ex gravioribus, & magis necessarijs, quæ in huius Sacramenti administratione occurrere possunt, placuit ex M. Thyrso septem casus referre, in quibus pœnitens habet fundamentum ad prudenter judicandum, se in confessionibus præteritis dolorem verum, & efficacem, firmumque propositum non habuisse; in eis namque omnibus confessiones sunt nullæ judicandæ, ac proinde iterandæ, seu repetendæ; aut, quod idem est, confessio generalis facienda totius illius temporis, in quo talis defectus in confessionibus adfuisse judicetur. Prædictos ergo casus recensebo verbis tanti Magistri, & circa singulos, si quid animadversione dignum occurrerit, adnotabo.

622 Igitur M. Thyrso *tom.* 3. *suarum disputationum selectarum disp.* 44. *num.* 33. Sic primum proponit casum. * Respondeo primò hoc fundamentum habere mercatores, qui habent consuetudinem falsò jurandi, se merces tanto pretio emisse, nec posse infra tantum pretium illas ven-

vendere. Hi enim ob villissimũ, & exiguum lucrum quotidie peierant, & quamvis sæpè confiteantur, semper redeunt cum eisdem peccatis periurij: quod argumentum efficacissimum est, eos sua juramenta falsè confiteri sine proposito firmo, non amplius falsum jurandi: obligandique sunt repetere confessiones factas durante illa consuetudine prava; monendique sunt, ut pravam illam consuetudinem abscindant; si autem non fecerint, neganda est illis absolutio, vel differenda quo usque fructus emendationis agnoscatur. *

623 Circa casum tamen istũ fateor monendos prædictos mercatores, ut abscindant prædictam consuetudinem etsi non fecerint, negandam, aut differendam absolutionem. In ordine tamen ad confessiones repetendas noto sæpe excusari prædictos mercatores à repetendis confessionibus prædictis, quia confessarij eos reprehendere, ut debebant omittunt, & malitiam periurij illis non detegunt, qua propter alij inadvertenter in periuria talia labuntur; alij, quamvis sufficienter advertant, ad peccandum mortaliter; tamẽ post paucos dies à confessione propositum, quod in illa fecerunt obliviscuntur, quòd non tollit, quominus illud habuerint, & verum fuerit, & efficax. Quare præcisè ex relapsu, si ad malitiam periurij non advertant, non tenentur confessiones repetere: neque similiter, si advertant illam, aliunde tamen agnoscant ex fragilitate in ea periuria incidisse, prava consvetudine ductos, immemoresque propositi, quod elicuerunt.

624 Secundum casum sic proponit idem M. num. 34. * Secundò tenentur confessiones repetere concubinarij, qui habentes domi concubinam, & potentes illam de domo pellere; sæpè id in confessione promiserunt; & nunquam promissis steterunt, ij enim sufficiens habent fundamentum ad credendum, se non attulisse firmum propositum in illis confessionibus. *

Circa casum istum animadvertenda sunt, quæ diximus circa negationem absolutionis debitam existentibus in occasione proxima, quam deserere nolunt disp. 2. quæst. 11. & quando juxta ibi dicta neganda foret absolutio, si ea conferatur ob igno-



ran-

rantiam, inadvertentiam, aut malitiam confessarij, vel quia pœnitens illum decepit; absolutio erit nulla, ac proinde confessio iteranda, & repetenda.

626 Tertium proponit casum eodem num 34. sic. * Tertio, qui licet non habeant concubinam domi suæ, sed alia in domo frequenter illuc accedũt; & quamvis sæpè coram confessario proposuerint non ampliùs adire sine urgente necessitate illam domum; nihilominùs post confessionem factam redeunt cum eadem frequentia, qua antea. Ij enim nullum fundamentum habent, ut credant, se habuisse verum, & serium propositum vitandi illam occasionem proximam peccandi; ac proinde debent iterare illas cõfessiones, *

627 Circa istum casum noto regulam illius fixam omnino non esse. Nam potest contingere quod quis ad domum meretricis redeat frequentius, & frequentius peccet uno mense post confessionem, quam alio mense ante illam, quamvis cum verò dolore, & proposito confessus fuerit; quia id potest ex fragilitate provenire, & ex majoribus, aut frequentioribus tentationibus. Videatur N. P. Leander *tom.* 1. *tract.* 5. *disp.* 7. *q.* 56 Quare eandem, aut majorẽm repetitionem peccatorum non judico fundamentũ satis prudens ad inferendum defectum doloris, & propositi, nisi accedat aliud signum, quod, scilicet, parum post confessionem levi occasione, aut tentatione perculsus ad peccata redijt, ita ut possit judicari, quod si verum propositum habuisset, non potuisset tam cito illius oblivisci, aut tam de facili ad frangendum ipsum vinci. Cui doctrinæ consonant, quæ docet M. Moya *disp.* 7. *q* 5. & quam nos dedimus *disp.* 2. *quæst.* 11. Huc etiam facit quod docet Tamburinus *lib.* 3. *method. conf. cap.* 5. *n.* 10. cum Cardinali de Lugo *disp.* 22. *de pœnit. sect.* 2. §. 3. scilicet * De confessionibus præteritis factis à pœnitente, nisi clare contrariũ constet; supponendũ regulariter adfuisse dolorẽ, cõfessariũq; rectè suum munus obivisse. *

628 Quartum proponit casum eodem nu. 34. sic * Qarto tenentur habentes in eadem domo fœminam, cum qua labun-

buntur frequentissimè in peccata fœdissima, si solitariè, & seclusis arbitris cum illa commorentur; in confessione sæpè proposuerunt, nunquam quærere occasionem commorandi cum illa in loco occulto; & post cōfessiones cum eadem frequentia relapsi sunt, qua antea: hoc enī sufficiens est fundamentum, ut credant se non attulisse in illis confessionibus firmum propositum. Si commoratio in eadem domo est inevitabilis, & qui cōfitetur adhibuit conatum serium ad emmendationem, quia remedijs usus est, quæ ipsi à confessario contra recidivū imperata sunt, & occasiones extrinsecas peccandi, quas pollicitus fuerat, re ipsa removit; quamvis relapsus sit aliquoties post confessionem, iste non habet fundamentum sufficiens, ut credat, se in priore confessione fuisse confessum sine vero, & firmo proposito; immo ex effectibus conijcere prudenter potest, se cum verò proposito confessum fuisse; & solum ex fragilitate fuisse relapsum. *

629 Circa istum casum, admissa secunda eius parte circa primam, supposita necessitate cohabitationis, noto adhibendam limitationem, quam præcedenti casui adhibendam esse monuimus.

630 Quintum proponit nu. 35. sic * Quintò tenentur confessiones repetere, qui habentes obligationem restituendi, & bona unde restituant, quotidie in confessionibus proponunt restituere, & nunquam restituunt: & quamvis illis non desit pecunia ad ludum, ad lites iniustas, & ad pompam vanam in vestibus; illis tamen deest ad reddendum creditoribus: ij namque sufficientissimum habent fundamentum, ut credant, se non fecisse confessiones validas, expeditque, ut confessarij, antequam peccata pœnitentis audire incipiant, ipsum interrogent, an habeat debitum aliquod, fueritq; in mora solutionis; & an in alijs confessionibus illum dixerit, & promiserit restituere, & non fecerit; si enim in una, vel duabus confessionibus non implevit promissum, debet illum non absolvere, quin prius solvat, si potest. *

631 Circa casum istum noto secundam partem, in qua asserit interrogandum pœnitentem ante

te confessionem, an debitum habeat, non practicari, sed eam interrogationem faciendam intra confessionem illis, qui speciale fundamentum, aut rationem dubitandi dederint. Circa primam verò partem noto, pœnitentes, quamvis deberent statim restituere, abstinendo à sumptibus superfluis & sæpè illicitis; quod tamen non restituant, ab eis abstinendo, sæpè non est signum defectus doloris, & propositi; quia quando ad obligationẽ restituendi advertunt, quod restituere non possint; & quando sumptus superfluos, & illicitos faciunt, non advertunt eis impediri restitutionem debitam, quod sæpè provenit ex eo, quod à confessarijs non monentur, nec urgentur, ut deberent ad restitutionẽ faciendam, ut monere ipsos teneri ait M. Thyrso in secunda parte huius quinti casus. Dum ergo ea restitutionis procrastinatio ex inadvertentia ad peccatum in procrastinatione commissum procedit, nec est signum defectus doloris, & propositi, nec fundamentum sufficiens ad obligationem imponendam repetendi illas confessiones, si aliud non adsit.

632 Sextum casum proponit n. 36. sic * Sextò qui habent consuetudinem incidendi frequenter in pollutiones voluntarias, & quibus confessio, & Eucharistiæ sumptio non est ullum frænum, ut saltem rarius prolabantur; sed cum eadem frequentia prolabuntur, ac si confessi non fuissent; suspicari vehementer possunt, se non accessisse ad confessionem, & cõmunionem cum legitima dispositione; ac proinde repetere debent illas confessiones, &c. *

633 Huic sexto casui applicanda est, & quidem a fortiori, doctrina, quam pro tertio casu observavi supr. num. 627. & quartò etiam applicandam dixi num. 629.

634 Septimum, & ultimum casum proponit num. 38. sic * Denique ut alia omittam, habent sufficiens fundamentum ad credendum se indigne confessos fuisse, illi, qui inimicitias gerunt cum proximis suis, & quãvis dicant, se non velle eis malum; nullam tamen occasionem prætermittunt eis nocendi, vel in honore, de eis murmurando; vel in bonis exterioribus, impediendo occasiones, in quibus eorum

rum adversarij possent res suas augere, vel callide obsistendo, ne ad officia honorifica in republica evehantur, aut stemmata nobilitatis obtineant in aliquo ex ordinibus militaribus, & qui frivolo prætextu nolunt communicare cum illis; nec eorum domus ingrediuntur; nec æquo animo ferunt, ut illi ad ipsorũ domus divertant. *

635 Istum casum probo in omnibus, dummodo prædicta iniqua officia non fuerint moraliter interrupta. Si enim inimicitias gerens eas deponat, ut confiteatur, & à prædictis noscendi modis per aliquod tempus desistat, cum animo semper abstinendi, non erit sufficiens fundamentum judicandi se indigne confessum, quod postea, mutato animo, ex inconstantia, & fragilitate, ad pessima illa officia revertatur.

636 Hos casus oportuit recensere ex Magistro adeò experto. Observationes verò circa illos positas oportuit non omittere; quæ non ut impugnationes, aut limitationes, eorum accipiendæ sunt, sed ut declarationes, ne nimis rigidam doctrinam videantur continere.

## *QVÆSTIO XXV.*

### *An qui mortale peccatum in confessione culpabiliter tacuit tenetur omnino confessionem illam repetere.*

637 AFfirmativam responsionem tanquam certam amplectendam esse potius supposuimus, quam probavimus, quæst. 23. num. 604. quia tamẽ ea nostra doctrina in dubium revocata est à quibusdam Missionarijs, qui P. M. Thyrsum consuluerunt ab eo quærentes, an ei, qui mortale ob verecundiam in confessione tacuit sufficeret, ipsum quod tacuit, peccatum fateri, & itidem peccatum, quod commisit illud tacendo, & etiam indigne communicando; quin esset necessarium fateri peccata alia, quæ in illa confessione, aut in pluribus, in quibus illud tacuit; fassus est, oportuit quæstionem instituere de re, quæ sine quæstione, videbatur.

638 In hac ergo quæstione R. P. Iosephus Gavarri in libro, quem scripsit lingua vulgari, cui titulus *Notitias singularissimas* pa-

*para los Confessores*, proponit, pro levamine confessorum, & pœnitentium, sententiam asserentem ea peccata in illis confessionibus manifestata non esse necessariò repetenda, quam sententiam latinè consultò proponit verbis Patris Ioannis Maria de Castilento, *in Seraphica Theologia moralis Polyanthea verbo confessio diff.* 33. Qui gravissimos DD. eam tenere dicit, & aliquos in particulari refer. Vide illos apud M. Thyrsum *cit. disp.* 43. *num.* 9. *qui num.* 10. verba transcribit, in quibus opinio Castilenti, & præcipuum illius fundamentum continetur. Qui (Castilentus) licet nostram sententiam probabiliorem dicat, oppositam practicari posse ait per hæc verba: *etiam opinio hæc prior tuta conscientia mihi videtur practicari posse, maximè post factum ad tollendos scrupulos, & vexationes, tam à pœnitentibus, quam à confessarijs.* Cui sententiæ favet Ludovicus de S. Ioanne *in summa num.* 52. *de pœnit. apud Thyrsum cit. n.* 10.

639 Nihilominus sententiam, quam nos supposuimus, ut certam, latè eam discutiens, ut certam etiam, tenendam resolvit M. Thyrso; citata enim *disp.* 43. *sect.* 2. præmittit Castilentum incompossibilia asserere, dū asserit prædictas confessiones esse invalidas, & aliunde eas nō necessariò iterandas tradit. Deinde probat nullum Doctorem, ex citatis à Castilento eius opinionem tradidisse; sed potius manifestissimè oppositam. Quare sect. 3. relatis gravissimorum Theologorum testimoniis, tandem ipse num. 41. sic concludit. * Ergo ex mente tot illustrium Doctorum, omnino est certum, esse invalidam, ac proinde repetendam confessionem omnē, in qua pœnitens ob verecundiam tacet aliquod peccatum mortale, ac proinde oppositum est omnino improbabile, non solum practicè, sed etiam speculativè. Immo ex mente Victoriæ, Cano, Suarez, & Valentiæ, cùm hæc assertio sit de fide certa, opposita ex mente ipsorum non solùm est improbabilis, sed aliquid amplius. Ego ab omni alia censura abstineo, & pænitus improbabilem, & in praxi minimè tutam censeo. * Ita sapientissimus M. qui latè ea disp. 43. per novem sectiones rem hanc discutit. Cuius doctrinam sic breviter commemorare oportuit,

tuit, ne quis rem certam in dubium revocare possit, si forte eam in Castilento, aut in Gavarri offendat. Consonat autẽ doctrinæ à M. Thyrso traditæ ea, quam tradit M. Moya *disp. 1. de pœnit. quæst. 8.*

640 Qui tamen P. Gavarri prædictã Castilenti sententiam proponit, eam probabilem indicans, & Missionarij memorati in eam inclinabant eo, quod difficile redire soleant pœnitentes missi, ut exactius examinent conscientiã suam, ad cõfitenda peccata, quæ in confessionibus, in quibus aliquod mortale tacuerunt, cõfessi sunt, ita ut dicat Gavarri, quod de viginti, vix tres redire soleant, proderit hic instructionem P. Magistri Thyrso transcribere, qua Missionarij, & alij confessarij uti possint, ut facilius cõfessiones generales excipiant, & ut pœnitentes, qui peccata tacuerunt, alliciantur, ut vel statim confessiones generales faciant, vel si longiori examine indigeant, illo peracto, redeant.

641 Igitur Apostolicus P. *citat. disp.* 43. *à num.* 3. sic fatur. * Ego sane undecim annorum spatio, quo per has Hispaniæ Provincias cõtinuo Missionibus operam navavi, innumeras confessiones generales excepi; contigitq; aliquando, ut una die mensis Maij à primo manè usq; ad horam secundam post meridiem, octo supra sexaginta confessiones generales necessarias ob peccata in confessionibus celata, audirem; sæpissimeq; una die quadraginta, & quinquaginta: & nunquam aliquem, qui peccata tacuisset, audivi, quin illum obligaverim ad repetendas illas cõfessiones, in quibus præ verecundia peccata mortalia tacuerat. Ad excipiendas ejusmodi cõfessiones, debet Missionarius è pulpito sæpè clamare, confessiones, in quibus præ verecundia celantur peccata, nullas omnino esse, & peccata in illis exposita iterum manifestanda: idq; quotidie inculcare, vel ante concionem, vel in concione, vel post ipsam; orationem Dominicam, vel salutationem Angelicam cum populo recitando pro his, qui peccata tacent, breviter illos exhortando ad vincendam verecundiam; & ad reiterandas cõfessiones cum prava conscientia factas,

642 De-

642 Debetq; rem hanc facilitare, illos instruendo, quo pacto conscientiam sunt discussuri, & peccata omnia similia ad certas classes reducturi, ut paucis verbis multa confessario exponant. Debet magno cum amore, & benignitate hos pœnitentes excipere, illisq; animum adijcere ad manifestanda sua peccata, quantumvis fœda, callide eis insinuando, se magnis illis peccatis non terreri, nec sibi admirationem ullam ingerere, utpote, qui assvetus sit majora audire: & quo graviora sibi manifestentur, eo majori cum gaudio, & consolatione sui spiritus se auditurũ confessionem; caveatq; ne illos à suis pedibus dimittat, quousq; ab ipsis expresserit peccata illa fœda, quæ præ verecundia tacuerant. Postquam autem dulcibus verbis illis persuaserit totum venenum occultum evomere, si prudenter timuerit, eos, si semel dimittantur ad examen magis accuratum faciendum, non redituros ad ejus pedes; & eorum conscientia non fuerit nimis implexa, non prius à se dimittat, quam confessionem generalem absolvant. Debet autem confessarius ad eam faciendã eos adjuvare, interrogando per singula præcepta de singulis speciebus peccatorum, quot nimirum vicibus per singulas hebdomadas, vel per singulos menses commiserint tale peccatum, v. g. juramentũ falsum, vel juramentum grave damnum inferendi proximo, &c.

643 Et sanè cum vita agricolarum, & rusticorum, & similium hominum simplicium fit uniformis, ordinarie, & ut plurimum non est difficilius eos adjuvare ad faciendam confessionem generalem viginti annorum, quam unius. Et experientia docet homines rudes & simplices non melius discutere conscientiam suam, si sinantur per plures dies peccata vitæ præteritæ recogitare, quam si confessarius eos interroget singillatim de singulis speciebus peccatorum. Interroget ergo primum Confessor de numero peccatorum, quæ tacuerant; animadvertat que, sæpè pœnitentes non verecundari de confitendo speciẽ peccati, verecundari autem de numero, si sit ingens. Unde ne numerum tace-

ant,

ant, cum primum dixerint, se v.g. peccatũ bestialitatis commisisse, statim confessor sagax interroget; quoties hoc peccatum commisisti? An millies? An sexcenties? An centies? Pænitens enim hoc audiens, animum sumit ad manifestandum integre omnia sua peccata, quãvis sint in excessivo numero, quem numerum excessivũ non auderet exponere nisi confessarius animum ea interrogatione adijceret. Et quia sæpè homines simplices numerũ magnum explicare solent per centum, vel per alium numerum affinem; hac explicatione cõfessarius non quiescat; sed ad comperiendum interroget per quot annos habuerit pravam illam consvetudinem committendi ejusmodi peccata, an per viginti? an per decem. Et cum audierit numerum annorum, statim descendat ad hebdomadas, vel menses, sic interrogando: *Quoties autem singulis hebdomadibus, vel singulis mensibus hoc peccatum commisisti?* Et sic sæpissime deprehendet pœnitentem, qui bona fide ob suam simplicitatẽ dixerat, se centies comisisse illud; commisisse millies, vel bis millies, ut ego expertus sum frequentissimè, singulis fere diebus, Missione durante. Postquã numerum peccatorum, quæ pœnitens tacuerat, cõpererit, comperire curet, quot confessiones, & communiones sacrilegas fecerit; quod facile obtinebit, si interroget, quoties quotanis ad sacramentum pœnitentiæ, & Eucharistiæ accesserit. Post hæc ingrediatur præcepta decalogi, & interroget singillatim in uno quoq; de speciebus peccatorum, quæ ab ejusmodi hominibus committi solent; interrogando, quoties singulis hebdomadibus, vel singulis mensibus, vel singulis annis in illa peccata prolapsus sit.

644. Si autem noverit pœnitentis conscientiam esse aliquantulum implexam; & illum esse ex alio oppido; vel esse agricolam, qui non poterit facile alia die redire, postquam varijs interrogationibus charitatis viscera ostendendo, & benigne loquendo, eruerit omnia peccata mortalia, quæ præ erubescentia tacuerat; illum paterne admoneat, ut confessionem inceptam interrumpens, per aliquas horas vitam suam præ-

præteritam recogitet, diſcurrẽdo per oppida in quibus commoratus eſt, per perſonas, cum quibus egit, & communicationem habuit; per negotia quæ tractavit, ut ſic in memoriam facilius revocare poſſit peccata, quæ contra ſingula præcepta per ſingulos menſes, vel annos ad-admiſſerit; deſignando illi horam, in qua redire poſſit, promittens ſe illum auditurum cum primũ examine facto advenerit.

645 Si autem perſona, quæ peccata in confeſſionibus per multos annos occultavit, conſcientiam habet valde implexã propter officia, quæ exercuit, & negotia, quæ geſſit; poſtquã modo aſſigato illi perſvaſſerit, vulnera illa occulta manifeſtare; & pœnitens patefecerit omnia, quæ illi ruborem, & verecundiam ingerebant; declaret illi ſtrictã obligationẽ confeſſionem illam interrumpendi ad recogitanda peccata vitæ præteritæ ſacrilege in aliȷs confeſſionibus expoſita; aſſignetq; illi aliquos dies, in quibus ſe diſponat ad confeſſionem generalem: & non dubitet, quod ad pedes ejus regreſſurus ſit ad finiendam confeſſionẽ incæptam; poſtquam etiam manifeſtavit omnia quæ præ nimia verecundia ante celaverat; nihil eſt, quod ipſum detineat: & deſiderium excutiendi onus illud graviſſimum, quo per tot annos premebatur; ipſum vehementer impellet; ipſaq; victoria, quam jam de verecundia obtinuit, adiget illum ad perficiendum opus incæptum. Ego teſtari veriſſimè poſſum, nunquam ad meos pedes acceſſiſſe peccatorem, qui non redierit ad faciendam confeſſionẽ generalem, ſi ſemel ab ipſo prius obtinuerã, ut antequam diſcederet, manifeſtaret omnia peccata, quæ illi verecundiam ingerebant. Quapropter hoc debet confeſſarius ante omnia curare, ut antequã pœnitenti præcipiat majus examen facere, prius ab illo exprimat, & quaſi extorqueat cõfeſſionem omnium, quæ verecundiam cauſabant, devicto enim hoc Goliath, facile debellantur cæteri Philiſtæi. * Ita ſapientiſſimus Pater, quæ quia digna ſunt, ut obſerventur, non piguit ad longũ tranſcribere.

***

QVÆST.

## QVÆST. XXVI.

### *Quando liceat dimidiare confessionem.*

646 Titulus supponit aliquãdo confessionem dimidiari posse: quæ suppositio ab omnibus est recepta, quamvis enim integritas confessionis sit de jure Divino, jus illud Divinum non ita rigorosè obligat, ut in aliquibus casibus non possit censeri, quod excusentur pœnitentes à materiali confessionis integritate, propter grave onus, quod sequeretur ultra gravissimum, quod in se continet hoc Sacramentum. Præsertim autem ad hoc manuducit, quod propter oblivionem inculpabilem, necessarium est concedere posse contingere confessionem, quæ non sit integra materialiter: ergo similiter etiam poterit contingere confessio materialiter non integrà ob aliam justam causam à tali integritate excusantem. Igitur hujus quæstionis difficultas est, qui sint casus, in quibus judicandum est licere confessionem dimidiare.

647 Cõmunis sententia tenet, quod quotiescunq; ex una parte urget necessitas confitendi; ex alia verò non potest fieri materialiter integra absq; gravi, & speciali damno proprio, vel proximi, potest dimidiari confessio, omittendo illa peccata, aut circumstantias, ex quibus damnum timetur. Dixi autem: *peccata, aut circumstantias*, quia si damnum solummodo timeatur ex declaratione circumstantiæ, ista debet omitti, & manifestari peccatum; si verò, aut ex manifestatione peccati inconveniens timeatur, aut etiam ex illius manifestatione confessarius astutus deducturus sit circumstantiam, ex qua damnum timetur, tunc poterit etiam peccatum taceri, ut docet Arriga disp. 33. n. 4.

648 Hinc colliges 1. dimidiari posse confessionem quando adest periculum emigrandi è vita absq; absolutione, si expectetur confessio integra, ut sæpè contingit in ægritudine mortali, naufragio, aut prælio: in quo casu sufficiet unum aut alterum peccatum confiteri, pro temporis oportunitate. Immo, quamvis unius confessio posset integrè audiri, poterit dimidiari, ut aliorum confessiones audian-

diantur. Præterea possunt plures simul absolvi, confitendo solum peccata in communi si id necessitas postulaverit. Unde, si magnum sit, & valde proximum naufragij periculum, potest confessarius dicere, qui habent atritionem, & volunt absolvi genuflectant, & omnes genuflexos absolvere dicendo: *ego vos absolvo &c.*

649 Secundo colliges, quod si ex confessione alicujus peccati prudenter timeat pœnitens aliquod grave damnum temporale corporis, honoris, aut fortunarum, sibi aut proximo eventurum, potest, urgente necessitate confitendi, dimidiare confessionẽ, illud peccatũ tacendo.

650 Tertio colliges, quod si aliquis non posset absq; gravi nota Eucharistiam omittere, & non posset absq; longiore præparatione, aut confessione, quã tempus permittit, confiteri integre, posset dimidiare confessionem. Qui casus contingere potest, si dum Eucharistia defertur infirmo, ipse dicat se velle reconciliari, & inveniat Parochus, quod indiget confessione generali. Tunc ergo; aliquibus auditis peccatis, absolvendus est, & integra cõfessio ad aliud tempus oportunum differenda.

651 Nota tamen, quod in prædictis, & similibus casibus potius est dimidianda confessio, quam cum contritione sola ad Eucharistiam accedendũ: quod, ut certissimum docet N. P. Leander *to.* 1. *tract.* 5. *disp.* 5. *q.* 53 & ut certum, M. Moya *tract.* 3. *disp.* 1. *q.* 1. *n.* 5. *&* 6. Et quidẽ hoc verum est, etiamsi nullum mortale habeat pœnitens, præter illud, ad quod tacendum legitimam causam habet; nam tunc confiteri debet de venialibus, illud mortale tacendo, & nullatenus potest cum sola contritione accedere; in articulo quidem mortis propter periculum damnationis; extra illum vero ob majorem certitudinem status gratiæ, quæ habetur per confessionem, etiamsi ex justa causa non sit integra, quam per contritionem. Quam doctrinã optimè tradit Arriaga *disp.* 33. *de pœnit. nu.* 4. *qui eadem disp* 33. *nu.* 3. *&* *disp.* 36. *num.* 2. benè etiam docet, quod ablato impedimento confitendi peccatum omissum, non est necessarium confiteri illud, quam primum possit, sed sufficit, quod confi-

teatur illud, cum occurrat tempus, in quo obliget præceptum confessionis: quod etiam tenet N. P. Leander *to. 1. tract. 5. disp. 5. q. 59.*

652 Adverto tamen 1. quod si, antequam confessionis præceptum urgeat, velit ex devotione confiteri, tenebitur tunc, impedimento ablato, confiteri illud peccatum omissum; alias ea confessio ex devotione facta dimidiaretur sine causa. Secũdo adverto contra Arriagam cit. nu. 2. quod si pœnitens debeat communicare, & impedimentum ablatum sit, tenebitur illud peccatum confiteri; quia illud peccatum in ea confessione de venialibus (aut de alijs mortalibus, si adessent) ex causa omissum, non aliter remittitur, quam mortalia oblita: qui autem habet mortalia oblita, si recordetur illorum ante communionem, aut celebrationem, tenetur illa confiteri, ut tanquam certissimum docet N. P. Leander *to. 2. tract. 7. disp. 7. quæst. 21. & habes in meo comp. nu. 294.*

653 Colliges 4. quod si mulier prudenter timeat ex confessione alicujus peccati confessarium sumpturum occasionem etiam ad peccatum solicitandi ita, ut ipsi mulieri immineat periculum consentiendi, aut saltim tales preces futuræ sint illi nimis onerosæ, potest tale peccatum tacere. Si tamen solum timeat, quod confessarius ex sua malitia consentiet in peccatum, ipsi tamen non erit suis precibus scandalosus, aut onerosus, non potest confessionem dimidiare; quia ad ipsam spectat integrè sua peccata confiteri; scandalum verò passivum confessarij parum ad illam spectat, & solum illud evitare tenetur, si commode possit: unde, si sine notabili incommodo temporali, aut spirituali possit, alteri confiteri, debet; si tamen non ita, illi potest integrè, confiteri. Sic etiam fœmina decenter ornata juxta usum patriæ potest è domo exire, causa audiendi Missam, etiam diebus non festis immo etiam recreationis gratia, quamvis sciat nonnullos eam concupiscendo ex malitia peccaturos; si verò sciat aliquos peccaturos ex fragilitate, adhuc non tenebitur omnino è domo non exire, sed aliquo-

aliquoties solum abstinere, si sine gravi incommodo potest, eo quòd majori commiseratione dignus est peccans ex fragilitate, quam peccans ex malitia. Cum gravi tamen incommodo non tenetur peccatum alterius, etiam ex fragilitate, vitare: unde quia grave esset fœminæ privari jure standi ad ostium, vel fenestram, non tenetur hoc jure se privare propter peccatum adolescentis turpiter illā amantis, adhuc ex fragilitate.

654 Quintò colliges, quod si quis sit mutus, vel surdus, qui integrè confiteri non possit, potest confessionem dimidiare, dicendo tantum, quantum moraliter potest: ut cum Layman *lib.* 5. *tract.* 6. *cap.* 8. *num.* 9. *tenet Tamburinus lib.* 2. *meth. conf. cap.* 10. *n.* 6.

655 Alios quatuor casus, qui apud ipsum sunt 4. 5. 6. & 7. addit idem Tamburinus *cap.* 10. *à num.* 21. in quibus certum putat dimidiari posse confessionē, per hæc verba. * Quarto quando pœnitens, propter fragilitatem sibi notam, timet, ne diu immorando in similium peccatorum examine, in eadem prolabatur; poterit enim non se examinare: nisi leviter: quamvis sint ex defectu examinis nonnulla tacenda. Immo simile quid debere observare confessarium in interrogationibus de hujusmodi rebus turpibus diximus supra *cap.* 7. §. 10. *num.* 77.

656 Quinto, quando pœnitens est nimis scrupulòsus, ex Castro Palao *tom.* 1. *tract.* 1. *disput.* 4. *p.* 2. *num.* 4. tunc enim cum adsit tum periculum faciendi odiosam confessionē, tum periculum damni ipsius pœnitentis, tum summa difficultas, quæ est moralis impossibilitas; præstat aliqua potius omitti, quam notabilia hæc detrimenta subire.

657 Sexto, quando confessarius ipse, non habens alium confessarium, peccatum suum confiteri Sacerdoti non possit, nisi frangat sigillum confessionis: tunc enim fateri poterit peccatum in genere, idq; cum magna cautela, ne sigillum frangat.

658 Septimo, quando confessario imminet periculum notabile. Ut si pœnitens sit cum morbo contagioso, nec confessarius possit à longè audire:

tunc

tunc enim paucis peccatis auditis, absolvat. * Ita Tamburinus & bene.

659 Hic tandem duo notare debes. Primũ, quod, cum quis dimidiatè ex causa confitetur, non tenetur habere contritionem de peccato, aut peccatis, quæ ex causa omittit; quia per ipsum Sacramentum cum attritione receptum remittuntur directè peccata omissa ex causa justa. Quod tenet N. P. Leander *tom.* 1. *tract.* 5. *disp.* 5. *q.* 51. & *Arriaga disp.* 33. *num.* 3. Secundum, quod notare debes, est, (ex N. etiam Patre Leandro l. c. q. 58.) quòd, quando justa causa adest tacendi aliquod peccatum, dimidiari Confessio potest, non solum quando urget præceptum Divinum, aut Ecclesiasticum confessionis; sed etiam probabilius, quando non urget, si alias, confessione non dimidiata, poenitens sit cogendus diu carere poenitentiæ sacramento; id enim est sufficiens nocumentum, ut ad illud vitandum, confessio, quæ aliàs integre fieri nequit dimidiatur.

## QVÆST. XXVII. *An possit dimidiari confessio tacendo aliquod peccatum quando illud declarari non potest, nisi declarando illius complicem.*

660 CAsus quæstionis evenire potest, dum quis carnaliter accessit ad matrem, sororem, aut consobrinã, urgeatq; necessitas confitendi, & non adsit, nisi notus confessarius, qui necessario deveniet incognitionem talis cõmplicis; quia in tali loco scit poenitentem non habere aliam consangvineã in simili gradu, nisi eam, quam de facto cognovit. In hoc casu prima sententia tenet, non debere complicem manifestari, sed potius tacendũm illud peccatum, & confessionem dimidiandam. Sic Navarrus Valentia, Villalobos, & alij, quos citat, & sequitur Diana 1. *part. tract. de circunstantijs resolut.* 49. & 3. *part. tract.* 4. *resolut.* 64. & probabiliorem putat Arriaga *disput.* 33. *num.* 14. Secunda sententia, quam tenent noster Pater Leander, P. Amicus, Lugo, Tabur. *lib.* 2. *method. cap.* 9. *àn.* 8. & *cap.* 10 *num.* 30. & alij communiter, inter quos sunt etiam D.

Ber-

Bernardus, & D. Thomas, tenet non posse in tali casu confessionem dimidiari, sed potius complicem declarandum, si alia via non adsit declarandi peccatum.

661 Secunda sententia verior mihi videtur, & probatur; quia præceptum confessionis obligat ad confessionem integrã, adhuc quando ad eius integritatem necessarium est, pœnitentem ipsum graviter infamari apud confessarium: ergo etiam obligabit ad integram confessionem; quando ad integritatẽ necessarium est proximum graviter infamare. Probatur cònsequentia, quia nulla videtur ratio, cur pœnitens debeat magis prospicere famæ proximi, quam suæ.

662 Respondebis tamen primò, quod confessio per se loquendo affert secum infamiam pœnitentis, unde eo ipso, quod detur confessionis præceptum, obligat pœnitentem ad se infamandum; cum verò confessio per se loquendo non afferat proximi infamiam, non debet ita judicari, quod obliget præceptum, quando sequutura est proximi infamia. Sed contra est, quia confessio non semper affert secum infamiam pœnitentis; quia plura sunt peccata, quæ sine infamia confiteri possunt, imo paucissima sunt peccata, quæ dici non possint sine gravi infamia: poterat ergo cogitari, quod obligaret confessionis præceptum ad confitendum omnia peccata, quæ sine pœnitentis infamia dici possent, non tamen illa, quæ sine illius infamia dici non possunt: cum ergo hoc nemo audeat dicere, nec dicendum est, quod non teneatur ad ea declaranda, quæ declarari non possunt sine infamia complicis.

663 Respondebis 2. quòd pœnitens debet infamiam, quæ apud confessarium resultat, subire; quia inde resultat ei maximum bonũ Sacramenti; cum autem Sacramentum non cedat in bonum complicis, non est cur ille detrimentum famæ subire teneatur. Contra tamen est, quia ut excusetur complicis manifestatio, necessarium non est, quod pro ea excusànda inveniamus bonum complicis, sed sufficit si intercedat bonũ maximum manifestantis: ergo cum istius bonum intercedat in Sacramento, sufficiet, ut possit, & de-

& debeat complicem manifestare. Antecedens probatur; quia mihi licet proximum apud meum amicum infamare illi referendo injurias ab eo acceptas, quando id mihi deservit in levamen, & solatium, ut communiter Doctores tenent; & tamē meum solatium bonum meum est, & non bonum proximi infamati: ergo similiter ad excusandam manifestationem complicis, necessarium non erit, quod interveniat bonum manifestantis. Quod confirmari potest; quia absolutè loquendo majus bonum meū necessarium est, ut ego possim me ipsum infamare, quàm ut possim infamare meum proximum: ergo si bonum confessionis integræ sufficit, ut me apud confessarium possim infamare, sufficiet à fortiori, ut possim etiam meū complicem infamare.

664 Adverte tamen, quod, ut constat ex casu quæstionis, nobis sermo est de infamia, quæ præcisè apud confessarium sequitur ex manifestatione peccati; si verò aliquando sequutura sit alia infamia, vel aliquod aliud damnum, fatemur tunc non esse manifestandum peccatum; sicut nec manifestandum est, quando simile damnum immineret ipsi pœnitenti. Ratio verò disparitatis est; quia hoc damnum non sequitur ex peccati confessione, sed ex malitia confessarij illud revelantis, aut ejus notitiâ male utentis: unde ad istud malum subeundum non obligat confessionis præceptum, bene tamên ad malum infamiæ, quod resultat ex peccati manifestatione, quia istud malum per se conducit ad confessionis bonum, & per se sequitur in tali casu ad confessionis integritatē.

665 Secundò adverte, quòd quando necessarium non est ad declarandum peccatum, non debet manifestari complex; sed potius in eo occultando est magna cura adhibenda, quam non solent multi pœnitentes ponere, nisi quando ipsi refugiunt, quod talis persona cognoscatur; & alias facilè detegunt aliorū peccata & defectus, etiam si complices non sint, existimantes id in confessione licere; omnino tamen illicitum est. Unde si pœnitens possit alium quærere, aut expectare confessariū, cui complex notus non sit, ad id tenebitur: & quidem sub o-

nere restitutionis, si ea esset possibilis, ut notat Arriaga disp. 33. nu. 19. Notat tamen Tamburinus l. c. nu. 11. (quod etiam tenet Arriaga disp. 33. nu 18.) non obligari expectare illum, ultra duos dies. Et nu. 12. addit probabiliter excusari ab expectando, vel quærendo alium, propter majorem consolationẽ, quam habet ab amico, aut docto confessario Sacramẽtum recipiendo. Cui doctrinæ favent à fortiori Gerson, Medina, & Fagundez apud Arriagam disp. 33. num. 5.

666 Dubitant tamẽ hîc Doctores, an saltim aliquando possit cogi pœnitens à confessario, ut sibi manifestet complicem in casu, in quo sine ea manifestatione sufficienter declaratur peccatum. Respondeo posse cogi, ùt id declaret, quando maximè expediret, ut confessarius corrigeret complicem; ea tamen manifestatio debet fieri extra confessionem, aut si intra illam, cum licentia utendi ejus notitiâ ad correctionem. Quia tamen correctio confessarij communiter suppleri potest per correctionem pœnitentis, aut alterius viri prudentis, sufficiet si proponat pœnitens, quod corriget, aut quæret prudentem, qui corrigat, solumq; tenebitur ad id confessarium eligere in casu rarissimo, in quo ipsius tantùm correctio, fructum speretur consequutura. V. Arriag. *cit. disp.* 33. *sect.* 4. *per totam.*

667 Tertiò adverte, quod si uno, aut altero peccato pœnitentis audito, advertam me illius idioma non intelligere, quamvis illa duo peccata benè perceperim, non debeo illum absolvere, si possit alium quærere confessarium suæ lingvæ peritum, cui integrè confiteatur. Similiter si etiam auditis multis peccatis non reservatis dicat unum reservatum, à quo nec per privilegium aliquod absolvere possum, non debeo illũ à non reservatis absolvere, sed ad superiorem pro omnium absolutione mittere. Nec obest quod in utroq; isto casu obligabitur pœnitens ad confitendũ bis eadem peccata, est enim incònveniens, quòd ad id teneatur per se; non tamen quòd per accidens obligetur, ut contingit in utroq; isto casu. V. dicenda à num. 786.

QVÆST.

## QVÆST. XXVIII. De sex ultimis conditionibus confessionis Sacramentalis.

668 Explicuimus qua potuimus comprehensione, & qua valuimus brevitate per 23. quæstiones præcedentes, ea, quæ spectare judicavimus ad confessionis integritatem, quæ est 10. illius cõditio. Nunc jam est tempus, ut ad reliquas explicandas properemus. Undecima: ergo confessionis conditio est, quod sit secreta: vnde non solum necessarium non est, ut confessio publicè fiat, ut aliqui hæretici autumant, sed etiã necessarium est, quod fiat secreto; ita ut, quamvis nec id sit necessarium ad valorem Sacramẽti, nec etiam aliqua lege ad id teneamur; consvetudo tamen rationabilis id ita præscribit, ut publicè fieri nequeat, sine rationabili causa, absq; labe peccati, saltim venialis. Unde malè confessarij plurium puerorum confessiones audiunt simul, & si doli sint capaces, mortaliter peccant.

669 Confessio etiã fieri potest per interpretem, dum aliter fieri non potest; tum quia ex rationabili causa potest publicè fieri confessio. Difficultas tamen est, an ad eam per interpretem faciendam, quando aliter fieri non potest, obliget cõfessionis præceptum. Communis sententia tenet non obligare præceptum Ecclesiasticum. Præceptum autem Divinũ non obligare etiam in articulo mortis docet communior sententia; addendo tamen, quòd tunc frequenter aderit obligatio ex lege charitatis; quia frequenter erit pœnitens incertus de sua contritione.

670 Communẽ sententiam veram existimo quantũ ad præceptum Ecclesiasticũ; quamvis enim sit modificativum præcepti Divini, modificat tamen, & determinat, ut semel in anno confiteatur quisq; *solus proprio Sacerdoti*; particula autem *solus* videtur excludere ab obligatione confessionem per interpretẽ faciendam; circa præceptum autem Divinum in mortis articulo veriorẽ judico aliquorum sententiam asserentem, obligare tunc ad confessionem etiam per interpretem faciendam, si aliter fieri

fieri non poteſt. Probatur autẽ, quia confeſſionem facere per interpretem; aut non eſt onus grave, aut ſaltim non tam grave, quòd ſubiri non debeat propter bonum confeſſionis obtinendum in mortis articulo: ergo in tali articulo obligabit ad eam præceptum Divinum confeſſionis. Antecedens probatur; quia multi exiſtimant, quod non ſit peccatum mortale revelare crimen proximi uni, aut duobus ſecretum ſervaturis; juxta hos autem non erit onus grave peccata dicere interpreti, cum ſecretum ſit ſervaturus ex ſigilli obligatione. Dato tamẽ, quod ea ſententia ſit falſa, & quod onus ſit grave vni tantum peccata dicere, quod non ſit tantum onus, quod ſubiri non debeat, probatur; quia cum maiori onere obligat præceptum confeſſionis in eo articulo, quàm extra illud; ſic enim extra mortis articulum, quamvis ad ſit celebrandi neceſſitas, non tenetur Sacerdos in peccato exiſtens confeſſariũ quærere per 6. milliaria diſtantem, & tamen tenebitur in mortis articulo: frequenter autem reputabitur maius onus talem confeſſarium quærere, quàm duobus confiteri: ergo cum idẽ onus ſit confiteri per interpretem, ac duobus confiteri, ad hoc onus tenebitur in articulo mortis propter confeſſionis bonum.

671 Quod cõfirmatur; quia etiam extra mortis articulum aliquando cogitur pœnitens duobus ſua peccata manifaſtare; ſi enim habeat peccata reſervata, & ſuperior non poſſit propter occupationes eum audire, petere ab ipſo facultatẽ debet, ut ab alio à reſervatis abſolvatur, jã eſt aliquod ſaltim reſervatum illi manifeſtare, quod obtentâ licentiâ debet poſtea manifeſtare confeſſario, cui abſolutio committitur.

672 Dices tamen: ſi ſcirem, confeſſarium revelaturum aliquod meũ peccatum vni tantũ, & hoc ſub confeſſionis ſigillo, non tenerer, etiam in articulo mortis, illud ipſi cõfiteri: ergo nec confiteri per interpretem, cum idem ſit onus. Reſpondeo tamen negãdo antecedens, quia quod vni, & ſub ſigillo manifeſtetur meum peccatum non eſt tantum onus vt dixi, quod ſubiri non poſit propter bonum confeſſionis integræ in articulo mor-

mortis, quãvis extra illum articulum possit confessio dimidiari ad declinandum onus. Ratio autem disparitatis est, quia maius inconveniens subiri debet, ne cõfessio omnino prætermittatur, quàm ne differatur; in articulo autem mortis, siquis non cõfiteatur, omittit confessionem; si verò extra illum non cõfiteatur, illam solummodò differt. Licet autem prædicta sententia sit probabilior, est tamen probabilis, & secura sententia asserens, quod, licet in articulo mortis teneatur pœnitens confiteri per interpretem; non tamen tenetur ad integrè tunc confitendum, sed sufficiat fateri per talem interpretem aliqua venialia, & generatim omnia mortalia. Ut tradit Tãburinus *lib. 2. meth. conf. cap. 10. n. 19. & Arriaga disp. 51. sect. 7. num. 53. & 54.* qui tamen, si certus esset pœnitens de sua contritione omnino à confessione illum excusat. Unde etiam extra mortis articulũ, poterit dictus pœnitens per interpretem sic dimidiatè confiteri, quamvis ad id non teneatur.

673 Circa eandem conditionem secreta est notandum; quòd quamvis ex communi usu confessio fieri debeat ore, id essentiale non est; unde quando aliter fieri nequit, potest signis, aut scripturâ. Et etiam nota, quod sufficienter voce confitetur, qui peccata tradit scripta confessario, ut legat, voce tamen dicit: *accuso me de omnibus, quæ legisti, aut quæ hic scripta sunt*, sic enim voce se accusat de omnibùs illis peccatis; quod etiam expedit practicari, quando præ verecundia, aut scrupulis difficulter posset pœnitens sua peccata verbo explicare. Quod novissimè tradit M. Thyrso *tom. 3. disp. 35. nu. 9. Arriaga disp. 51. sect. 8. & Tamburinus tom. 3. lib. 5. cap. 2. q. 1. nu. 1.*

674 Duodecima cõfessionis conditio est, quod sit *lacrymabilis*, id est dolorosa; quatenus autem dolorosa esse debeat, sufficienter explicuimus *disp. 2. per totam.* Decimatertia conditio est, quod sit accelerata, id est, ne multum differatur post peccatum, 14. est, quod sit fortis, ita scilicet, ut nullâ verecundiâ aliave tentatione possit pœnitens à confessionis integritate divelli. 15. est, quod sit accusans, id est sibi imputans peccata;

cata; quamvis enim peccator possit ab alijs tentari, & adjuvari; semper tamen est ipse præcipua suorum peccatorum causa. 16. deniq;, & ultima conditio confessionis est, quod sit *parere parata*; id est, quod pœnitens sit promptus ad obediendum præceptis discreti confessarij. De materia autem hujus obedientiæ diximus aliqua *disp. 2. præcedenti à quæst.* 11. & alia dicemus disp. 4. sequenti; nunc vero de hac 3. dicta sufficiant.

## DISPVTATIO IV.

### *De Satisfactione Sacramentali.*

675 EGimus disputationibus præcedentibus de dolore, & confessione, quæ sunt partes materiales Sacramenti Pœnitentiæ; in hac agemus de satisfactione Sacramentali, quæ est etiam pars materialis, etsi non essentialis, ut dolor, & confessio, integralis tamen, ut dicebamus disp. 1. quæst. 2. sit ergo.

### *QVÆST. I. De Obligatione imponendi, atq; acceptandi satisfactionem.*

676 Pœnitentia, sive satisfactio Sacramentalis est *voluntaria compensatio pœnæ temporalis debitæ ob injuriam Deo illatam, consistens in operibus pœnalibus à confessario taxatis*; opera autem pœnalia ad tria communiter reducuntur, scilicet, ad orationẽ, jejunium, & eleemosynam; non quia ista sola pœnalia sint, sed quia cætera ad aliquod istorum reducuntur; omnes enim corporis aflictiones reducuntur ad jejunium; opera verò, quæ ad cultum Dei spectant, ad orationem, & quæ ad bonum proximi, ad eleemosynam. Opera internè merè apta sunt, ut in satisfactionem imponantur, & si enim non sint sensibilia, fiunt tamen sensibilia per impositionem, & acceptationem. Receptio Sacramentorũ etiam potest in pœnitentiã imponi; ordinis autem receptio excipi debet, quæ imponi non potest eo, quod sit onus nimis grave, ob quam etiam rationẽ imponi non potest Religionis

ingress-

ingressus. Quod etiam extendunt aliqui ad Sacramentũ matrimonij; sed probabilius ejus susceptio potest aliquando imponi, quia non est tam onerosa, & solet nimis conducere ad remedium peccatorum carnis.

677 Pro resolutione autem eorum quæ in titulo quæstionis sunt proposita, dico 1. confessarius sæpè tenetur sub pecccto mortali pœnitentiam imponere, non tamen semper. Prima conclusionis pars est communis, & constat 1. ex Tridentino *sess.* 14. *cap.* 8. sic definiente: *debent ergo Sacerdotes Domini, quantum spiritus & prudẽtia suggesserit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate, & convenientes iniungere satisfactiones, ne si forte peccatis conniveant, & indulgentius cum pœnitentibus agant, levissima quædam opera pro gravissimis delictis iniungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur.* Secundò, constat à paritate judicis humani, qui graviter peccat non imponendo pœnam gravem, quam reus meretur.

678 Secunda verò conclusionis pars constat 1. quia peccatum non est; moribundo pœnitentiam nòn imponere, cum illi sufficiat dolor morbi, & cõtritio, & aliam implere non possit; congruentius tamen erit in eo casu levem pænitentiam imponere, ut brevem orationem, aut quod dicat IESUS. Deinde probatur 2. conclusionis pars; quia satis probabile est, quod, si pœnitens ante confessionem per contritionem, & alia opera satisfecisset sufficienter; non sit necessarium ei ullam pœnitentiam iniungere. Notat tamen Arriaga *disp.* 47. *sect.* 4. *num.* 37. nunquam posse certititudinem haberi, imò nec probabilitatem, quòd pœnitens satisfecerit sufficienter. Vnde ait ex hoc capite nunquam in praxi excusari posse confessarium ab iniungenda pœnitentia. Tertiò probatur; quia si pœnitẽs levem pœnitentiam mereatur, non erit mortale eam non imponere, sicut levem poenam omittere in Iudice humano, veniale solum esset. Et si dicas, quod manebit mancum sacramentum. Respondeo, quod quando pœnitens omnino satisfecit, non manet mancum sine parte sua integrali, quia tunc eam non exigit ad suã perfectionem; quando verò pœna levis est debita, leviter indiget

illa ad

illâ ad suam perfectionem, unde leviter solum ad eam imponendam obligat. V. Arriag. l. c. à n. 39.

679 Nota tamen 1. posse cõfessarium imponere pro pœnitentia opus aliàs præceptum, quia illud est satisfactorium, & ut magis satisfactorium sit per impositionem elevatur; dum tamen confessarius id non exprimit, aut ex circũstantijs id velle non colligitur, semper debet judicari, quod imponat opus nõ præceptũ. Hinc colliges, quod, si scrupulosus multoties intra horam ad sacramentũ pœnitentiæ accedat, melius erit illi imponere levissimam pænitentiam, aut eandem sæpius imponere, quàm sine pænitentia dimittere. Secundò colliges, posse injungi pœnitentiã pro defunctis applicandã, tum quia potest prodesse pœnitẽti, & si nõ satisfactio operis, satisfactio tamen volũtatis, qua vult illã pro defunctis applicare; tũ quia dato, quod etiã ista voluntas defunctis applicetur, applicabitur tamen defunctis tota satisfactio debita ex opere operantis, pœnitenti verò ea, quæ debetur ex operé operato, quod optimè docet Lugo *disp.* 25. *à nu.* 62. Tertiò colliges, quod si confessarius imponat eleemosynam satisfaciet eam erogando patri, matri, fratri, aut uxori, aut etiam extremè indigenti. Ratio est; quia eleemosyna est major; & quamvis sit alias debita, ipsa tamen materia denotat satis, quod sit juxta voluntatem confessarij imponẽtis; sibi tamen non potest, quãvis pauper sit, eleemosynam erogare. Addit tamen noster Pater *disp.* 9 *quæst.* 50. non esse improbabile, quod posset Confessarius eam eleemosynam iniunctam commutare, ut ipsimet pœnitenti pauperi applicetur.

680 Secundò nota per se loquendo pœnitentiam debere esse talem, ut satisfieret per illã ad æqualitatem pro pœnis in Purgatorio debitis; quia tamen quanta ea sit cognosci non potest, tota relinquitur pœnitentia confessarij arbitrio, non ut imponat, quam voluerit, sed quam magis proportionatam judicaverit. Cum tamen concilium afferat attendendum etiam esse pænitentium qualitatem; optimè advertit Lugo n. 60. excusari confessarios, qui leves pænitentias imponunt pro gravissimis pec-

mis peccatis ob pœnitentium infirmitatem, qui si graviores pænitentias reciperent fugerēt confessionem, aut confessarios ineptos quærerent. Addit in dubio inclinandum in partem benigniorem, quia in ea minus est periculi. Tandemq; advertit monendum pœnitentem de insufficientia pœnitentiæ iniunctæ, & consulendum indulgentiarum usum, aut etiam prœcipiendum, ut defectus supleatur.

681 Tertio nota, satis esse receptam sententiam asserentem, quòd, dum confessarius postquā aliquam pœnitentiam sub præcepto imposuit, omnia bona opera pœnitentis in pænitentiam applicat, ea elevat, ut sint satisfactio sacramentalis: unde Diana cum alijs 3. *p. tr.* 4. *resol.* 97. & *p.* 9. *tra.* 9. *resol.* 54. existimat excusari à peccato confessarium sic ea opera imponentem, quamvis peccata sint gravissima, & pœnitentia alia sub præcepto imposita, sit levis. Oppositam tamē doctrinam omnino defendit Lugo *disp.* 25. *sec.* 4. *à n.* 53. dicens veriorem sententiam asserere, nullam, nec partialem pœnitentiam posse imponi, nisi sub præcepto, addensque n. 57. non videri probabilem doctrinam illorum, qui à peccato excusant confessarios leves pœnitentias imponentes pro gravissimis peccatis, si addant illa verba *quidquid boni feceris*, &c. Vidit Diana Lugum, ideòque illum refert *part.* 9. *citata.* non tamen refert censuram, quam suæ opinioni tribuit, nec illius fundamenta cum proprietate refert. mihi quidem valde probabiliter procedit Lugo in omnibus, si excipiamus censuram, quam tribuit oppositæ sententiæ: ea enim mihi videtur probabilis satis, etsi probabilior, ut verum fatear, doctrina Lugi, cuius fundamenta non vacat expendere. Pro sententia Dianæ videatur Amicus *disp.* 11. *nu.* 29. & *disp.* 16. *à nu.* 83. Pro nostra verò Arriaga *disp.* 47. *sect.* 5.

682. Dico 2. pœnitens tenetur acceptare pœnitentiam à cōfessario prudenter impositam. Conclusio ista est communis, ita, ut quamvis graves Doctores oppositam tueantur, eam tamen nonnulli damnent, alij ut erroneam, ali ut temerariam, alij ut improbabilē. Sed quidquid sit de istis cēsuris, quas improbabiles appellat N. Pater *disp.* 9. *q.* 56. nostra sen-

ſtra ſentētia probatur: tum quia reus tenetur acceptare iuſtam Iudicis ſententiam in Iudicijs alijs: ergo etiam in Judicio ſacramentali, tum etiam; quia, ut dicebamus n. 677. Tridentinum imponit, aut declarat obligationem, ut Confeſſarij imponant graves pœnitentias pro culpis gravibus: ergo ſimilis obligatio debet adeſſe in pœnitentibus ad tales pœnitentias acceptādas.

683. Dices obligationem ponendi pœnitentiam non eſſe abſolutam, ſed ſub conditione, quòd pœnitens velit illam acceptare, ſicut eſt obligatio abſolvendi pœnitentem diſpoſitū, non abſolute, ſed ſub conditione, quòd abſolvi velit. Contra tamen eſt; quia poteſtas abſolvendi eſt conjuncta cum popoteſtate ligandi: unde quāvis poſſit abſolutè pœnitens velle, nec abſolvi, nec ligari, ex ſuppoſitione, quòd velit abſolvi, quod eſt beneficium, debet velle ligari pœnitentiâ, quæ eſt onus annexum tali beneficio.

684. Sed obicijes 1. unuſquiſque poteſt differre ſatisfactionē ad aliam vitam: ergo non tenetur pœnitentiam acceptare, quâ anticipatur ſatisfactio. Reſpondetur; ante inſtitutionem ſacramenti pœnitentiæ potuiſſe unū quemque ſatisfactionem ad aliā vitam reſervare: poſt inſtitutionem verò huius ſacramenti, nō poſſe, ſed teneri in hac vita ſatisfacere, quantum ad eam partem, quam ei prudenter confeſſarius in pænitentiam impoſuerit; quia cum iſto onere ei impenditur abſolutio: & ſacramētum, cum ſit inſtitutum per modum judicij, non ſolum eſt inſtitutum ad abſolvendum, ſed etiam ad plectendum.

685 Secundò objicies: ſi pœnitens teneretur acceptare pœnitentiam, etiam deberet acceptare penitentiam æqualem, ſufficientemque pro extingvendo toto debito pænarum Purgatorij, quod nimis durum eſt. Reſpondetur tamen negando ſequelam; quia ſuppoſita conſvetudine rationabili mitigandi pœnitentias propter tepiditatē, & fragilitatem pœnitentium, dicta pœnitentia rationalis non eſſet, ideòque eam non teneretur acceptare. Aliam addit rationem Arriaga *diſp.* 47. *ſect.* 6. ſcilicet, quia pœnitentia ſufficiens pro extinguendo toto debito ex multis capitibus eſt nobis ignota

ignota, ita, ut nec probabiliter possimus, quænam sit sufficiens, judicare. Vnde proportio pœnitentiæ cum peccatis non est attendenda secundum debitum istius pænæ.

686. Nota tamen 1 probabile satis esse, qvòd pænitẽs quamvis teneatur acceptare, & implere pænitentiã levem, eam non teneatur acceptare, & implere sub culpa gravi, sed solùm sub levi. Ratio est, q..., ut diximus n. 678 Sacerdos solùm tenetur sub levi culpa eam pœnitentiam imponere: ergo similiter solùm sub levi pœnitens tenebitur eam pœnitentiam implere, & acceptare; verum autem est, quòd difficile evenire potest, quòd pœnitens benè dispositus nolit levem pœnitentiam acceptare; si vero pœnitentia sit gravis, & justa, quamvis sit pro solis venialibus tenetur probabilius pœnitens sub gravi culpa eam acceptare, & implere, quia, si non impleat, deficit suæ obligationi in re gravi.

687. Nota secundò, pœnitẽtem absque gravi peccato posse non acceptare pænitentiam gravem; dicendo se nolle absolvi à tali confessario, sed velle adire alium idoneum. Sicut enim inceptam confessionem potest relinquere ex alia causa, ita ex ista obtinendi leviorem pœnitentiam ex judicio prudentis cõfessarij: sed in eo casu consultiùs faciet confessarius, si ei mitiget pœnitentiam, usque dum velit acceptare, præsertim cum noster Pater Leander quæst. 57. dicat esse æque probabile, quòd potest pœnitens absolvi, quamvis solum modicissimam pœnitentiæ partem velit acceptare, dum modo intentionem habeat satisfaciendi Deo in hac, vel in alia vita. Vnde adduci potest in nostram sententiã Arriga acriter defendens oppositam *disp.* 48. *sect.* 2. quia ipse fatetur, quòd dum pœnitens habet pro se opinionem probabilem, ut non teneatur acceptare pœnitentiam, potest illam non acceptare, & si confessarius non consentiat, alium adire.

## *QVÆST. II.*

### *Dubia quædam circa satisfactionem resolvuntur.*

688. DUbitabis 1. quis possit pœnitentiam cõmutare. Pro huius dubij resolutio-

lutione dico primo: pœnitens propria auctoritate non potest pœnitentiam sibi impositã commutare etiam in evidenter melius. Conclusio ista est communis, oppositum tamen defendit satis probabiliter cum aliquibus ab ipso citatis noster Pater Leander *disp.* 9. *quæst.* 83. & *quæst.* 102. Probatur autem nostra conclusio; quia non potest subditus rem a superiore præceptã commutare etiam in meliorem: unde non potest jeiunium, aut Missam præceptam commutare adhuc in votum castitatis, aut Religionis, aut alia quævis opera præstantissima; sed pœnitens tenetur ad pœnitentiam tanquã confessarij subditus: ergo non potest illam commutare etiam in evidenter melius.

689. Sed obijcies 1. pœnitens authoritate propria potest commutare suum votum in opus evidenter melius: ergo & pænitentiam sibi injunctam saltim ex voluntate interpretativa confessarij. Respondeo negando consequentiam: quia in voto nascitur obligatio ex promissione rei, quæ Deo grata esse creditur; cum autem res melior sit Deo gratior, cum in illam commutatur, non fit contra voti Religionem; obligatio autem præcepti nascitur ex voluntate superioris, non quia utcumq; sit res illi grata, sed quia illam in particulari determinavit, & melius est obedire, quàm sacrificare.

690. Secundò obijcies: casu, quo pœnitens obliviscatur pœnitentiæ iniunctæ, & non possit adire primum confessarium, potest adimplere pœnitentiam secundum proprium arbitrium, considerando peccata confessa, & satisfactionem, quæ communiter solet adiungi pro similibus peccatis: ergo potest commutare illam. Respondo concesso antecedenti, negando consequentiam, quia, quòd modo dicto possit pœnitens in casu antecedentis pœnitentiam adimplere, non est, quia ad illam teneatur, aut illa vere sit pœnitentia sacramentalis, sed quia illam sic adimplere, nocere nequaquam potest: unde existimo cum Lugo *disp.* 25. *num.* 87. *Arriaga disput.* 38. *nu.*3. & *disp.* 45. *n.* 25. & 33. *Amico disp.*16. *à n.*96. & alijs apud istum, quod ille, qui pœnitentiam oblitus est, si non possit interrogare cõfessarium,

qui

qui eam imposuit, ad nullam pœnitentiam tenetur, quia nec sibi ipse potest eam imponere, nec tenetur apud alium confiteri distinctè, nec confusè, ut pænitentiam denuo recipiat, cum fuerit iam valide absolutus: unde solum tenebitur suam negligentiam confiteri, si ea oblivio processerit ex negligentia graviter culpabili.

691. Tertiò obijcies: si pænitens velit lucrari indulgentiam aliquam plenariam, excusatur ab impletione pænitentiæ: ergo similiter, si velit exequi aliquod opus magis satisfactorium, quam ipsa pœnitentia. Respondeo negando consequētiam; ratio disparitatis est; quia ut docet noster Pater *disput.* 14. *quæst.* 172. per indulgentiam tollitur debitum totius pænæ; unde omnino cessat finis præcepti pænitentiæ, & consequenter eius obligatio; quando autem aliud opus exequitur, non cessat finis præcepti, nisi tot faceret opera, & tam satisfactoria, ut possit judicare, quòd per ea esset adæquatè satisfactum, in quo casu etiam dicerem cessare obligationem pœnitentiæ; in neutro tamen per commutationem, sed per cessationem finis: vide tamen dicta supra nu. 678. Similiter in utroque cessabit obligatio pœnitentiæ satisfactoriæ, non tamen pœnitentiæ medicinalis.

692. Dico 2. unus confessarius potest commutare pœnitētiam ab alio impositam. Conclusio est communis contra Sāctium *disp.* 14. *nu.* 19. & alios. Probatur; quia confessarius potest commutare pœnitentiam à se ipso impositam: ergo & ab alio impositam. Probatur consequentia; nam unus confessarius non se habet, ut superior alterius, sed sicut duo Episcopi, aut Iudices in eodem Episcopatu, aut Tribunali succedentes: quapropter sicut secundus Episcopus potest commutare, vel temperare pœnam à suo prœdecessore impositam, ita erit de confessarijs.

693. Notandum tamen est 1. quòd si prima pœnitentia fuit imposita à superiore pro non reservatis, etiam potest illam inferior commutare, quia quoad non reservata non est inferior, sed æqualis: si verò fuit imposita pro reservatis, probabilius non potest illam commutare;

tare, quia eam pænitentim imposuit superior, ut talis, & inferior nequit commutare superioris præceptum. Quamvis autẽ possit iterum ab illis reservatis absolvere, tamen sicut circa illa non potuit primam sententiam ferre, sic non potest primam sententiam commutare. Nec obstat, quòd inferior, dum superior commutavit votum reservatum in materiam non reservatam, possit hanc materiam in aliam commutare; quia in hoc casu non mutat sententiam superioris; quia superior commutans non præcipit, ut pœnitens exequatur rem, quam commutat, sed consentit, ut rem illam loco reservatæ solvat, unde ad illam tenetur ex voto: & quia materia est non reservata, potest inferior eam iterum commutare. V. Tamburin. *lib.* 4. *meth. cap.* 3. *nu.* 19. *& Arriagam disp.* 48. *nu.* 30.

694 Secundò notandum est, quòd unus confessarius non potest alterius pœnitentiam commutare, nisi intra Sacramentũ, & auditis peccatis, pro quibus imposita fuit. Ratio est, quia sententia in iudicio prolata non potest abrogari, nisi in eodem, aut simili judicio, in quo cùm denuo sententiam ferat imponendo pœnitentiam, in quam commutat, debet peccata illa cognoscere, saltim in confuso, ne judicium ferat incognitâ causâ. Doctrinæ huius numeri, & præcedentis favet N. Pater *à quæst.* 98. *usq. ad* 101. quatenus, etsi oppositum doceat, id docet plerumque, ut æque probabile solum: plus autem justo favent nostræ sententiæ Tamburinus l. c. n. 26. dum eam dicit certam: & Cardinalis de Lugo *disp.* 25. *num.* 110. dum oppositam dicit omni specie probabilitatis carere. Ei tamen concedit Arriaga extrinsecam saltim probabilitatem *disp.* 48, *num.* 28 Tertiò denique noto, quòd si sit idem confessarius, & recordetur saltim in confuso statꝰ præcedentis, potest extra sacramẽtum pœnitentiam commutare; quia talis commutatio potest referri ad præcedens judicium, velut complementum illius. Vide Lugum *disp.* 25. *sec.* 6. *& Arriag. disput.* 48. *nu.* 31.

695 Secundò dubitabis; an sit peccatum mortale implere pœnitentiam in mortali. Respondeo negativè; quia alia præcepta, ut

pta, ut

pta, ut jeiunium, & auditio Missæ non obligant ad finem præcepti, sed ad rem præceptam: ergo similiter præceptum de satisfactione sacramentali. Confirmatur; quia ex opposito sequeretur, quòd, qui haberet pænitentiam recitandi singulis diebus mensis coronam Virginis Sanctissimæ, teneretur sub peccato mortali singulis diebus se constituere in statu gratiæ, quod durissimum est.

696 Sed obijcies: si pœnitentia impleatur in mortali, impeditur effectus Sacramentalis satisfactionis, qui est augmẽtum gratiæ, & remissio pœnæ; nam in statu peccati mortalis nec obtinetur gratia, nec remittitur pœna. Jn primis circa huius argumenti materiam valde controversum est, an satisfactio causet gratiæ augmentum ex opere operato, & communior sententia est illam non causare, nisi quando impletur ante absolutionem; de quo V. Arriagam *disp.* 47. *sect.* 1. Vnde cum pœnitentia impletur in mortali non impeditur augmẽtum gratiæ ex opere operato. Circa remissionem pænæ, quæ ex opere operato satisfactioni correspondet, juxta communiorem sententiam, quamvis id etiam extra quæstionem non sit, dicendum est, tali effectui obicem poni; sed non apparet ratio, quare id sit peccatum mortale, imò hoc ipsum à veniali excusant Lugo, & Arriaga probabiliter quidem. Nota tamen aliquos existimare, ita impediri effectũ satisfactionis in casu argumenti, ut nec postea sit præstandus obice ablato. Alij veriùs existimant ipsum præstari postea, obice ablato. Jmò non desunt, qui probabiliter judicent, talem effectum nullatenus impediri, sed statim conferri, non obstante statu peccati; quia iste non est incompatibilis cum aliqua satisfactione orta ex elevatione operis pœnalis facta ex meritis Christi. Videãtur Amicus *disp.* 16. *sect.* 2 *&* 3. *Lugo disp.* 25. *per tres primas sectiones, & Arriaga disp.* 47. *sect.* 2. *&* 3.

697. Tertiò dubitabis; quanto tempore differri possit impletio pœnitentiæ. Variè Doctores huic respondent dubitationi. Breviter dico, posse sine peccato differri per annum computandum à die susceptionis

sacramenti. Ratio est, quia cum ad sacramentum iterum nõ teneatur accedere usque ad annum, intelligi potest, quod ille annus sit designatus, ut spatium, intra quod debeat, & possit pænitentiam adimplere. Notandum tamen est 1. quod licet Amicus hanc teneat doctrinam, eam limitat dicendo, pœnitentiam debere impleri antequam pœnitens ad novum sacramentum pœnitentiæ accedat; sed oppositum tenet expresse Henriquez, cuius verba refert, & approbat noster Pater quæst. 89. Quæ sententia videtur conformior praxi, & ex opposita videtur sequi, quòd multoties deberet confessarius non admittere aliquos ad confessionem, quia integrè non impleverũt, pænitentiam quo valde minueretur confessionũ frequentia. Secundò notandũ est, quod quando confessarius designat tempus, quo pœnitentia debeat adimpleri, tunc debet in illo adimpleri. Addit tamẽ probabiliter N. Pater quæst. 87. tunc adhuc mortale non fore, si valde pænitentia ex negligentia differatur.

698 Quartò dubitabis, an Pœnitentia debeat imponi ante absolutionem? Respondeo debere ex congruentia; sic enim poterit melius pænitens ad eam acceptandam obligari. Poterit tamen adhuc absque veniali culpa post absolutionem imponi, quia adhuc idem videtur judicium moraliter perseverare, & nullum præceptum hoc prohibet; nota tamen, quòd aliquãdo non solum expediet, quòd imponatur, sed etiam, quod impleatur ante absolutionem, si videlicet, timeat prudenter confessarius, quod alias illam pœnitentiam non implebit.

## QVÆST. III. ALIA Dubia de satisfactione resolvuntur: & explicatur decima quinta propositio damnata à SS. P. N. Alexandro VII.

699 QVinto dubitabis, an requiratur ad satisfaciendum pœnitentiæ impositæ actualis intentio eam implendi. Respondetur probabilius negative. Quia confessarij non obligant ad intentionem illam reflexam; sed solum ad opus præscriptum. Sic etiam sa-

tisfacit præcepto audiendi sacrum, qui audit illud sine intentione præceptum implendi. Similiter, qui recitat officium, sine intentione implendi præceptum recitationis, illi satisfacit: Et qui facit rem, ad quā ex voto tenetur sine intentione implendi votum, voto similiter satisfacit. Jmò, qui rem, ad quam ex præcepto, aut voto tenetur, facit cum intentione positiua non satisfaciendi præcepto, aut voto; illi nihilominus satisfacit, nec est necessarium intentionem mutare; sed solum conscientiam erroneam, si forte illam habebát, quod nō satisfaceret, deponere.

700 Addit præterea N. P. Leander, quòd, si quis audiret sacrum in die festo cum intentione non satisfaciendi præcepto per illud, & nec aliud postea audiendi, satisfaceret adhuc, licet propter eam malam intentionem (quæ mala quidem esset solum ex conscientia erronea, quòd non fieret satis præcepto per sacrum illud) peccaret. Vnde postea non teneretur aliud sacrum audire; sed solum peccatum malæ intentionis confiteri. Vide illum *to. 3. tract. 2. disp. 1. à q. 89. ad 94. & tom. 6. tract. 8. disp. 4.* §. 2. & meum operum illius cōpendium num. 493. 494. & 1153.

701 Vnde etiam est probabile, quòd, qui facit opus ex pœnitentia præscriptum cum intentione positiva non implēdi pœnitentiam, sed eius implendi tionem differendo, satisfacit præcepto. Uide Arriagam *disp. 47. sect. & subsect. 3.* qui addit ex P. Thoma Sanchez *lib. 4. de voto cap. 3. num. 2.* * Si confessarius imposuit pro pœnitentia jeiunium, vel eleemosynam disjunctim, & jeiunavit (pœnitēs) cum intentione tamen non satisfaciendi, sed postea dandi eleemosynam, posse tamen deinde, mutata priori voluntate, non dare eleemosynam, sed velle satisfacere per jeiunium præcedens. *

702 Sextò dubitabis, an pænitens possit implere pœnitentiam per alium? Respondeo, tanquā certum, negativè. Quia præceptum confessarij de pœnitentia implenda, dum aliud confessarius non explicat, est personale: sicut ergo, præcepta de recitatione horarum, auditione Missæ, jeiunij, & similia

milia non valent per alium impleri, quia perſonalia ſunt, ſic nec poterit per alium impleri pœnitentia. Quare meritò oppoſita ſententia eſt damnata ab Alexandro VII. 15. enim propoſitio ex damnatis ab ipſo eſt: *Pœnitens propria authoritate ſubſtituere ſibi alium poteſt, qui loco ipſius pœnitentiam adimpleat.*

703 Nota tamen primò, probabilius eſſe, quòd poſſit pœnitens per alium implere pœnitentiam de licentia confeſſarij; & etiam ſine illa, quando per ſe illam implere non poteſt. Ratio prioris partis; quia pœnitens ſatisfacit implendo pœnitentiam iuxta Confeſſarij præcipientis voluntatem. Additque N. P. Leander *tom.* 1. *tract.* 5. *diſp.* 9. *quæſt.* 92. quòd poteſt confeſſarius ſuam voluntatem extra confeſſionem declarare, quamvis à principio ſic non voluerit, nec intellexerit. Quòd autem hæc doctrina non damnetur ullatenus in præfata propoſitione, conſtat, quia ibi ſolum damnatur ſubſtitutio facta propria authoritate.

704 Ratio autem poſterioris partis eſt: primò, quia, ut ait N. P. Leander l. c. q. 91. tunc adeſt voluntas confeſſoris interpretativa, & virtualis. Secundo: quia melius eſt adimplere pœnitentiam per alium, quàm nullo modo eam implere: pœnitens autem non potens implere pænitentiam per ſe, nullo modo eam adimplebit, ſi non impleat per alium: unde cum liberum illi ſit in eo caſu non implere illam abſolutè; quia ad impoſſibile non tenetur, liberum à fortiori erit illam implere per alium. Si autem data fuiſſet à confeſſario pœnitentia diſiunctivè, ut eam impleret per ſe, vel per alium, dum per ſe non poſſet, eam per alium implere teneretur, & ſi alium non inveniret, eſſet ab ea liber.

705 Neque poſteriorem iſtã noſtræ doctrinæ partem comprehendit propoſitio damnata; quia in ea Pontifex ſolùm damnat ſubſtitutionem ad implendam pœnitentiam per alium, ad quam per ſe implendam tenetur; non ad illam implendam, ad quam non tenetur; quia iſtam ſicut omittere omnino poteſt, ſic à fortiori poterit per alium eam implere. Nec majori

indiget

indiget explicatione propositio ista 15. ut videri in Torrecilla *tract.* 2. *consult.* 9. *à num.* 8. & in M. Lumbier, ac in Theatro morali, & alijs propositiones ab Alexandro VII. damnatas explicantibus.

706 Quamvis autem P. Arriaga de propositione dicta damnata nihil agat, eam nec cōmemoret, ut pote, qui ante decretum Alexandri scripsit, tamen doctrinam à nobis in hoc dubio tactam optimè tradit *to.* 8. *disp.* 48. *sect.* 3. ubi non solum concludit, quòd dum ex consensu confessarij impletur pœnitentia per alium, satisfiat præcepto confessarij; sed etiam addit, quòd correspondeat illi pœnitentiæ satisfactio pro ipso pœnitente, si pro eo à substituto applicetur, non solum ex opere operantis, sed etiam ex opere operato. Quia sicut, dum judex reo pœnam imponit perse, vel per alium implendam, eodem modo, & ad eosdem effectus eam admittit impletam per alium, atque impletam per ipsum reum, sic censeri debet, quod dum Sacerdoti concedit Christus, ut possit imponere pœnitentiam per alium implendam, eam pœnitentiam ad eosdem effectus admittit, ac si à pænitente impleretur, ac proinde ad satisfaciendum, tum ex opere operantis, tumque ex opere operato.

## DISPVTATIO V.

### *De Absolutione Sacramentali.*

707 Postquam tractavimus in tribus præcedentibus disputationibus de partibus materialibus Sacramenti Pænitentiæ, agendum modo sequitur de illius parte formali, quæ est, absolutio, de qua solita brevitate, ea præsertim, quæ ad praxim necessaria sunt, in hac quinta disputatione percurremus.

### *QVÆST. VNICA*

#### *Quænam sit absolutionis forma.*

708 Forma absolutionis: quæ communiter à confessarijs profertur, hæc est: *Misereatur tui Omnipotens Deus, & dimis-*

*& dimissis peccatis tuis perducat te ad vitam æternam amen. Dominus noster Iesus Christus te absolvat, & ego authoritate ipsius te absolvo, in primis ab omni censura Ecclesiastica, si quam forte incurristi, inquantum ego possum, & tu indiges; deinde ego te absolvo ab omnibus peccatis tuis in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, amen. Passio Domini Nostri Iesu Christi, & merita B. Mariæ, & omnium sanctorum, & quidquid boni feceris sit tibi in remissionem peccatorum, in augmentum gratiæ, & præmium vitæ æternæ, amen.*

709 Jnquires autem 1. Quænam verba ex contentis in prædicta forma sint de essentia sacramēti. Respōdeo cum communi, & probabiliori sententia esse hæc duo: *absolvo te* Ratio est, quia pronomen *te* sufficienter designat personam, quæ absolvitur, seu cui sacramentum confertur; verbum autem *absolvo* etiam sufficienter significat ab solutionem à peccatis; idem enim significat, ac remitto; hoc autem significare remissionem offensæ constat ex usu; in oratione enim Dominica dicitur: *sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*, ubi remissio offensarum significatur per solum verbum *dimittimus*.

710 Sed obicies 1. ergo essentia absolutionis poterit salvari in solo verbo *absolvo*. Probatur cōsequentia; quia etiam per solū istud verbum, adjunctis circumstantijs, constat, hunc pœnitentem absolvi. Respondetur tamen negando consequentiam. Ratio, est quia verbum *absolvo*, de se habet vim significandi debitum, quod remittitur, scilicet offensam saltim in confuso, personam verò non significat de se, sed solùm ratione circūstantiarum. Forma autem de se, & ex vi verborum debet esse significativa effectùs, qui causatur per sacramentum.

711 Secundò obijcies: si Petro dicatur: vis Mariam in uxorem, & respondeat volo, sufficit ex parte Petri ad sacramentum matrimonij: ergo similiter si pœnitens dicat confessario: absolvis me? sufficiet ad sacramentum pœnitentiæ, si respondeat, absolvo. Respondetur inprimis hoc argumento posse similiter probari, quòd sufficiens forma sacramenti pænitentiæ sit volo, si scilicet, id respondeat confessarius interroganti

ganti

ganti: vis me absolvere? Deinde nego consequentiam; quia sacramentum matrimonij, est anomalum, & in multis non servat regulas aliorum sacramentorum: inde potest sine verbis celebrari nutibus, aut scripturâ, non tamen sic reliqua sacramenta.

712 Secundò inquires, Quænam verba ex positis in forma sint de necessitate præcepti. Circa hoc variant Doctores. Mihi in primis videtur certum, quòd omittere *Misereatur tui*, & etiam *Passio Domini nostri*, non sit peccatum mortale. Deinde videtur multò probabilius, quòd nec peccatum veniale sit: unde sine ullo peccato potest ista forma proferri: *ego te absolvo ab omnibus censuris, si forte incurristi, & à peccatis tuis In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, amen*; vel etiam si pœnitens frequenter confiteatur, sitque præsumptio probabilis, nullam censuram incurrisse, poterit hæc forma proferri: *ego te absolvo à peccatis tuis. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, Amen.*

713. Deinde existimo probabilius esse, quòd omittere pronomen ego, & alia verba *in Nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, amen.* non sit peccatum mortale, sed solùm veniale: Ratio est, quia nullum adest præceptum, nec consvetudo graviter obligans ad ea verba proferenda. Denique existimo probabilius esse, quòd sit peccatum mortale omittere sine causa *à peccatis tuis.* Ratio est quia Paludanus, Major, Angelus, Petrus Soto, & alij, existimant, ista verba esse de necessitate sacramenti, quorum sententia, etsi falsa esse videatur, non tamen videtur improbabilis: ergo illa verba omittens se exponit periculo non conficiendi sacramentum, quod dum ipsum facile potest cum omnimoda certitudine conficere, mihi videtur non posse à gravi culpa excusari.

714 Tertio inquires; Quænam mutatio in verbis formæ reddat invalidam ipsam formam. Respondeo esse doctrinam communem in materia de sacramentis in genere, quòd mutatio substantialis tam in forma, quàm in materia cuiusvis sacramenti reddat sacramentum invalidum; ea autem in for-

in forma quavis judicatur substantialis mutatio, quæ sensum verborum mutat. Vnde colliges istam formam esse invalidam: *absolvat te Deus*; istas vero validas, *absolvaris a me: absolvatur Petrus à me: volo absolvaris; placet te absolvi: iubeo hunc absolvi: sacramentum absolutionis tibi impendo.* Ratio est, quia in istis nòn mutatur sensus formæ, cum significent absolutionem à peccatis per modum sententiæ; in 1. verò mutatur; quia deprecative eam significant. Advertetamen nullam ex prædictis formis esse omnino certam: unde peccatum mortale erit quâvis illarum uti; uti vero his formis: remitto tibi peccata: vel condono te, non mortale, sed veniale videtur, quia in eis videtur omnino certum sensum formæ non mutari; adhuc tamen est satis probabile, quòd mortale sit, quia sic absolvens, recederet in re gravissima à consveto Ecclesiæ modo.

715. Quartò inquires; Quem sensum habeant verba absolutionis. Ratio dubitandi est, quia in casu, in quo peccata ante confessionem supponuntur remissa, vel quia iam fuerunt antea confessa, vel quia pœnitens cum contritione accedit, non videtur posse verificari legitimum verborum sensum; sicut enim non possum verè alicui dicere: solvo te à vinculis, si, cum ego accedo, supponitur iam ab eis solutus: sic non potero verè dicere, *absolvo te*, pœnitenti, qui iam solutus supponitur à vinculis peccatorum.

716 Divus Thomas 3. *p. q.* 84 *artic.* 3. *ad* 5. asserit, verba absolutionis hunc sensum facere: *Sacramentum absolutionis tibi impendo*, quod verum est, quamvís peccata supponantur ante absolutionem remissa. Sed ante ista verba, melius mihi, explicaverat Divus Thomas absolutionis sensum. Jste verò, quem protulit ultimis verbis articuli, majori declaratione videtur indigere. Jnprimis enim in alijs Sacramentis verba non significant tale Sacramentũ poni; hæc enim verba, ego te baptizo &c. non significant poni Sacramentum baptismi, sed ablutionem poni: ergo illa verba *ego te absolvo*, non significant poni Sacramentum absolutionis. Deinde Sacerdos non ponit totum Sacramentum, sed solam formam:

mam: ergo verè solùm potest significare formam poni: hoc autem ipsa forma inepte significat; verba enim ipsius significabunt sui positionē, quod omnino est alienum à modo significandi verborum.

717. Pater Svarez *disp.* 19. *sec.* 2. *n.* 19 & aliqui Thomistæ apud Aravio asserunt, sensum formæ absolutionis hunc esse: ego tibi confero gratiam peccatorum remissivam; qui sensus etiam est verus, quamvis ante absolutionem supponantur peccata remissa. Sed contra istam explicationem obijcit Cardinalis de Lugo *disp.* 13. *n.* 71. verum quidem esse, quòd forma absolutionis istam significationem habeat, eam tamen habet ex Christi institutione, quam etiam participant confessio, & dolor; solent tamen formæ Sacramentorum gratiam significare ex Christi institutione, sed simul etiam retinere proprium significatum, quod eis convenit ex hominum institutione, secundum quem etiam verificantur. Vnde forma Baptismi significat ablutionem materialem ex institutione hominum præter gratiam, quam significat ex Christi institutione, & secundum utramque significationem verificatur. Nostra ergo difficultas quærit sensum formæ absolutionis secundum significationem, quam habent verba ex impositione humana.

718. Ipse igitur Cardinalis de Lugo l. c. nu. 72. ait sensum absolutionis esse: *ego tibi remitto peccata in Deum commissa*; quæ verba tantum denotant peccatorum remissionem, attenta hominum impositione, præscindendo ab eo, quod fiat cum infusione gratiæ, vel sine illa. Quòd autem absolutio remissioni æquivaleat, constat; quia in Evangelio aliquādo utitur Christus uno verbo, aliquando alio; dicit enim: quorum remiseritis peccata; &c. alibi verò; quæcunque solveris super terram, quæ æquivalentia verborum communiter ab omnibus admittitur: restat ergo declarare quomodo verus sit dictus sensus, quando supponātur jam peccata remissa. Respondet tamen Lugo, quod sicut quis sine ulla falsitate secundò vovet, quod antea voverat, & secundò renuntiat iuri, cui antea renuntiaverat, sic potest secundò remitere

tere offensam, quam remiserat, seu quæ jam erat remissa. Quia remissio nihil aliud est, quàm cessio juris, quod Deus habebat ad puniendum, & odio habendum peccatorem, cui juri, etsi unum sit, potest multoties cedi. Unde constat, inquit, ad rationem dubitandi responsio. Ad paritatem autem in eam adductam respondet solutionem vinculorum consistere in destructione vinculorum materialiũ: unde non potest exerceri, postquam alligatio non datur; absolutio verò à peccatis, seu illorum remissio, consistit in actu voluntatis, quo quis cedit, & se obligat, ad hoc, ut nunquam se possit vindicare: qui actus voluntatis potest frequentari, etiam postquam vi alterius actus est similis cessio facta.

719 Sed istam expositionem multis reijcit Arriaga *disp.* 49. *sect.* 6. *subsect.* 2. Falsum enim est primò, quod quis possit juri secundo cedere, cui jam ante cesserat, quia id esset cedere juri, quod non habet, & solvere omnino solutum: quod implicat. Licet enim, qui ligatus est, possit iterum, atque iterum ligari; tamen, qui solutus est, & nullam habet ligaturam, non potest iterum solvi. Vnde bene potest quis secundò vovere, quod ante vovit, quia id est iterum se ligare; tamen solvere eum, qui iam erat solutus, non potest.

720 Secundò reijcit Arriaga eandem expositionem. Quia cedere juri, quod Deus habebat ad puniendum, & odio habendum peccatorem, si peccatum est jam dimissum, idem est, ac Deum se obligare ad non faciendam chimæram; cum sit quid chimericum, & impossibile, quod Deus puniat peccatorem propter peccatum dimissum. Cum verò homo, postquam se obligavit vòto, possit physice illud non implere, potest optimè iterum se ligare, & obligare ad rem promissam.

721 Ex dictis autem corruit responsio data ad rationem dubitandi. Nam, licet absolutio habeat pro obiecto actum voluntatis, scilicet, condonationem, & cessionem juris, cum rursus ista condonatio, & cessio debeat habere obiectum, & hoc debeat esse ius aliquod, quod Deus habeat propter peccatum, quod quidem non datur, si iam sit dimis-

ſit dimiſſum: & impoſſibile ſit, quod Deus propter illud, aut de illo velit vindicari, non minus implicat ſecunda à peccatis abſolutio, quàm à materialibus vinculis.

722 Quia tamen res hæc eſt magis ſcholaſticæ, quam moralis conſiderationis, alijs omiſſis, quæ videri poſſunt apud Arriagam *tota ſect.* 6. *citata.* Dico breviter cum ipſo *ſub ſect.* 3. explicando magis ſententiam P. Suarez, ſenſum formæ *abſolvo te* eſſe: *confero tibi gratiam ex ſe remiſſivam eius peccati, quod commiſiſti: ſi remiſſum autem non eſt, illud tibi remitto.* Cum enim remiſſio peccati fiat per collationem gratiæ, rectè illis verbis *abſolvo te* quibus ex inſtitutione Chriſti, ſignificatur gratia peccatorum remiſſiva, ſignificatur etiam condonatio, & remiſſio peccati, quam ſignificant ipſa verba ex inſtitutione hominum. Vnde ſecundarium, & mediatum ſignificatum eorum verborum conformatur ſignificationi verborum ex hominum inſtitutione; primarium verò inſtitutioni Chriſti. Per quod patet reſponſio ad impugnationem Cardinalis de Lugo ſupra num. 717. poſitam. Præter quam, quod dici poterat, neceſſarium non eſſe ſenſum formæ verificari iuxta ſignificationem, quam habet ex hominum inſtituto; cum non deſint, qui dicant etiam in baptiſmo ly *Baptizo* non ſignificare ablutionem corporalem, quam ex hominum inſtituto habet ſignificare; ſed ſolùm animæ ablutionem ſpiritualem. Vide Arriagam *tota ſect.* 6. *citata.*

723. Quintò inquires, an poſſit abſolutio dari ſub cōditione. Reſpondeo cum communi ſententia poſſe, ſi conditio ſit de præterito, aut de præſenti, ita ut abſolutio ſit valida, ſi conditio ſit poſita; ut tamen talis abſolutio licita etiam ſit, debet etiam adeſſe rationabilis cauſa, v. g. ſi dubitet, an abſolverit pænitentem, poteſt iterum ſub conditione abſolvere: ſimiliter ſi tantùm adſit materia dubia, aut ſi dubius de uſu rationis; atq; etiam in alijs caſibus ſimilibus. Advertit tamen N. P. Leander, quod ſufficit conditio, vel exterius prolata, vel mente retenta. Si autem conditio ſit de futuro, non ſolum illicita, ſed etiam invalida evadet abſolutio; quia Sacerdos non

non habet potestatem, ut posito sacramento, illius suspendatur effectus; quod latissimè defendit Lugo *disput.* 13. *sect.* 5. *& P. Arriaga disp.* 50. *per tres primas sectiones.*

724 Sextò inquires, an possit absolutio sacramentalis absenti conferri. Respondeo negativè. Quæ responsio, quamvis contra graves authores ex antiquis, est jam omnino certa ex Bulla Clementis VIII. edita anno 1602. die 20. Junij ubi. *Hanc propositionem, scilicet, licere per literas, seu internuntium confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri, & ab eodem absenti absolutionem obtinere, ad minus uti falsam temerariam, & scandalosam damnavit.* Deinde prohibuit sub pœna excommunicationis ipsi reservatæ *ne illa publicè, aut privatim doceatur, neve unquam tanquam, aliquo casu, probabilis defendatur, aut in praxim quovis modo deducatur.* Nec potest dici, quòd in dicta Bulla solùm prohibeatur absolutio absenti data; non verò, quòd invalida declaretur. Clarum enim est, quòd à Clemente nulla judicetur talis absolutio, alias non posset illam prohibere in omni casu; quia si valida esset, aliquis contingere posset casus, in quo licitè posset conferri, quacunq; Ecclesiastica prohibitione non obstante.

725 Sed contra doctrinam numeri præcedentis obijcies ex Magistro quodám, quem, suppresso nomine, refert M. Moya *tract.* 3. *disp.* 6 *quæst.* 5. *à num.* 2. argumentum, quod latissimè, & nervosè proponit dictus M. & sic brevitatis causa proponi potest. Probabile est per principia extrinseca, etiam post decretum Clementis, absolutionem à confessario absenti collatam esse validam. Sed absolutio valida nullo præcepto Ecclesiastico potest reddi illicita pro casu extremæ necessitatis: ergo probabile est modo per principia extrinseca, non modo, quod sit valida, sed etiam licita in casu extremæ necessitatis. Consequentia est bona, & ut talis approbatur à Lugo *disp.* 1. *sect.* 5. *num.* 64. ubi, ut effugiat argumentum, majorem illius contendit esse falsam, nosq; etiam num. præcedenti consequentiam esse bonam insinuavimus, cum à contradictorio illius ad contradictorium majoris pro-

ris pro-

ris propositæ argumentum feci- mus, & obiter minorem fassi su- mus, imo & confirmavimus. Tota ergo difficultas est in pro- banda majori.

726 Sic ergo probatur major. Ante decretum Clementis pro- babile erat à principijs extrinse- cis absolutionem absenti datam validam esse. sed per tale decre- tum præfata opinio non est fa- cta improbabilis: ergo etiam post ipsum probabile extrinse- cè est, quod ea absolutio sit vali- da. Consequentia constat. Ma- jorem probat M. Moya *à num.* 4. *ad* 7. referendo Doctores, qui e- am tenebant sententiam ante decretum, & plurium illorum verba transcribendo, qui adeò plures sunt, & adeò insignes, ut abunde ante decretum suffice- rent ad conciliandam prædictæ sententiæ extrinsecam probabi- litatem.

727. Minorem autem præced. syllogismi probat Neothericus apud Moyam l. c. à num. 8. ex eo, quod Pontifex in suo Decre- to non damnavit propositionem asserentem absolutionem absen- tis esse validam, sed asserentem esse licitam, ut tradunt Villalo- bos, Ægidius Coninch, & alij. inter quos Joannes Præpositus *in* 3. *part. quæst.* 4. *de qualit. Con- fess. dub.* 3. *num.* 78. sic tenet eò, quòd sic declaraverit ipse Cle- mens VIII. Verba ipsius sunt. * Nihil decernit Clemens VIII. de validitate absolutionis, quod ipsemet declaraverit Cardinali Bellarmino, & Cardinalis signi- ficavit Lesio die 20. Aprilis an- no 1608. addens se idem sentire, scilicet, in prædicto decreto non agi de validitate, seu invalidita- te absolutionis, quia solùm di- cit non licere. * Si ergo nihil circa validitatem innovavit Pon tifex in suo decreto: ergo per illud non est facta improbabilis extrinsecè opinio de validitate, quæ ante illud erat extrinsecè probabilis. Unde aliqui apud Moyam num. 13. fatentur eti- am modo esse probabile absolu- tionem absenti collatam vali- dam esse, si pœnitens bona fide procedat. Quod additur; quia si pœnitens sciat esse prohibi- tam, peccabit eam recipiendo, & propter istud peccatum abso- lutio erit nulla.

728. Respondetur ad Argu- mentum negando majorem syl- logismi positi num. 725. ad cu- jus probationem allatam n. 726. non

nego majorem : cujus falſitatem ſic oſtendo : *ſi abſolutio in abſentia valet, aliquando licet: ſed poſt decretum numquam licet* ( ut ex ipſo conſtat ) *ergo poſt decretum nunquam valet.* Tunc ſic ſyllogiſmus iſte eſt formalis, & præmiſſæ ſunt certæ : ergo & concluſio : ergo ejus contradictoria non eſt probabilis, quæ eſt propoſitio minor à nobis negata. Ad declarationem autem Pontificis factam Cardinali Bellarmino, quâ præcipuè probatur illa minor, reſpondetur intelligendam eſſe cum hac reſtrictione, ſcilicet, quòd nihil decernat circa validitatem directè ; non verò, quod circa eam nihil indirectè decernat ; cum enim decernat nunquam licere, & hoc verum eſſe non poſſit, ſi valida foret, quia tunc, in caſu extremæ neceſſitatis ſaltim, licita deberet eſſe, decernendo directè, quod numquam ſit licita abſolutio in abſentia , indirectè decernit, quod non ſit valida. Quod autem iſta limitatio ſit declarationi apponenda, ſuadetur ex eo, quòd potius ſint reſtringenda verba declarationis privatæ ; quàm verba decreti : tum quia verba decreti ſine ulla reſtrictione ſunt recepta ab univerſali Eccleſia. Tum quia decretum authenticum majori rigore intelligendum eſt, quàm privata ejuſdem decreti declaratio. Videantur hæc apud M. Moyam tota quæſt. 5. ubi latè ſatis, ac non minus eruditè materiam hujus objectionis pertractat. Videanturque dicenda *diſput. ſeq. q. 3.*

729. Hîc denique adverte, quòd quamvis abſolutio à cenſuris permitti debeat ante abſolutionem à peccatis ; ſi tamen aliquis Confeſſarius cum recta intentione abſolvendi à neceſſariis, quam communiter habent omnes Confeſſarij formaliter, aut virtualiter ; ſi inquam abſolveret ſub forma iſta abſolvo te in nomine Patris, & cætera pœnitens à cenſuris, & peccatis maneret abſolutus, & ad ſummum Confeſſarius venialiter peccaret. Nota etiam aliam formam abſolutionis aſſignari à noſtro Patre *diſp. 2. q. 40.* ex congruitate dandam religioſis in articulo mortis pro ipſorum majori ſolatio.

* * *

DISPV-

# DISPVTATIO VI.
## *DE MINISTRO SACRAMENTI Pœnitentiæ.*

730. POstquam disputationibus præcedentibus de omnibus, & singulis Sacramenti Pœnitentiæ partibus tractavimus, operæ pretium est modò de ipsius Sacramenti Ministro aliqua tractare; sunt autem multa, quæ occurrunt in ea pertractanda, ita ut in plures etiam disputationes partiri possent: quia tamen quæstiones multiplicando sufficienter vitatur confusio, hac unica disputatione comprehendam, quæ magis ad praxim necessaria judicavero.

### *QVÆST. I. DE MINIstro ordinario Sacramenti Pœnitentiæ.*

731. Certum in primis est in hac materia solum Sacerdotem esse ministrum hujus Sacramenti, quod definitur à Tridentino *sess.* 14 *Canone* 10. Quapropter, qui Sacerdos non est, nec in mortis articulo potest Sacramentum pœnitentiæ administrare: unde nec in articulo illo ei debent manifestari peccata, quamvis desit Sacerdos, nisi in aliquo raro casu, in quo id oporteat ad petendum consilium circa restitutionem, aut aliquid aliud simile.

732. Deinde Doctores communiter distinguunt duplicem potestatem necessariam, ut aliquis sit minister hujus Sacramenti; altera potestas dicitur ordinis; altera jurisdictionis: quamvis autem communiter Doctores asserant, potestatem ordinis conferri in ipsa ordinatione, potestatem verò jurisdictionis postea ab Ecclesia conferri, non desunt, qui dicant, utramque potestatem à Christo in ordinatione conferri; quomodo autem Ecclesia istam jurisdictionem limitet multipliciter explicant; alij enim dicunt, Ecclesiam solùm limitare jurisdictionem prohibendo; alij vero dicunt potestatem jurisdictionis conferri in ordine; relinqui verò Ecclesiæ materiæ determinationem; unde Ecclesia limitat pote-

potestatem, quatenus limitare materiam determinat. Alij denique asserunt, potestatem jurisdictionis à Christo in ordinatione conferri, sub conditione tamen, nisi Ecclesia prohibuerit: unde pro casibus, pro quibus adest Ecclesiæ prohibitio, non confertur à Christo talis in ordinatione potestas. Ex his constat, quod præter ordinationem requiritur ad absolvendum, quod Sacerdos ab Ecclesia obtineat facultatem absolvendi fideles: sive ista det ei jurisdictionem, sive assignet materiam; sive denique sit conditio sine qua non, censetur à Christo collata ea potestas, aut saltim licitè exerceri sine illa non potest. Unde ad Ministrum Sacramenti pœnitentiæ, præter Sacerdotium, requiritur ea Ecclesiæ facultas. Quam facultatem, ut cum cõmuniori loquamur sententia, dicemus potestatem jurisdictionis. Circa doctrinam hujus numeri videndus Amicus *disp.* 15. *sec.* 1. *& Lugo disp.* 15. *sec.* 2. *& disp.* 18. *sec.* 3.

733. Igitur Minister Ordinarius hujus Sacramenti est, qui jurisdictionis potestatem habet ex vi sui muneris, aut officij. Unde Pontifex est Minister Ordinarius Sacramenti pœnitentiæ respectu omnium fidelium. Episcopus respectu omnium fidelium sui Episcopatûs, & Parochus respectu omnium sui oppidi, vel Parochiæ. Ratio autem est, quia hoc Sacramentum institutum est ad salutem animarum: ergo eis, quibus ista cura committitur, concedi debet hujus Sacramenti administratio. Notandum tamen est 1. respectu regularium, Ordinarium Ministrum esse Prælatum, sive immediatũ, sive mediatũ atq; etiam probabilius Vicarius, si cõstitutus sit, ut in prælati absentia ejus munus exerceat

734. Secundò notandum est, quod ille, qui habet duplex domicilium, potest apud quemlibet ex Parochis illorum confiteri. Unde Scholastici vel possunt in Universitate, in qua student præceptum confessionis implere, vel in proprijs suis locis. Tertiò Vagorum, qui nullum habent domicilium, Ministrum Ordinarium esse Parochum loci, in quo habitant; unde etiam potest confiteri cuilibet approbato ab Episcopo illius loci. Quartò similiter potest cuilibet approbato confiteri Peregrinus;

quia etsi non amittat proprium ordinarium, ex consuetudine tamen, & illius voluntate tacita, cuilibet confiteri potest.

735. Quintò notandum est immediatum Pastorem cujusvis Episcopi esse Pontificem; ut autem commodè possit Sacramentum pœnitentiæ recipere sine recursu ad Pontificem, est concessa Episcopis, in cap. finali de pœnitentia, & remissionibus, facultas eligendi sibi in confessarium quemlibet simplicem Sacerdotem, ex suis subditis; quam facultatem extendi etiam ad superiores Religionum, Generales, & alios Prælatos immediatè Pontifici subjectos, certum est; multoque probabilius, quod etiam ad Provinciales & etiam Conventuales Prælatos extenditur; quia isti sunt verè Prælati, & jurisdictionem habent in utroq; foro, notatq; Tambur. *tom. 3. l. 5. tract. de casib. res. c. 11. n.* 16 quod possunt eligere Sacerdotem, quem voluerint, etiamsi nec subditus sit, nec Religiosus, nec ab ordinario approbatus. Nullatenus tamen ea facultas extenditur ad Parochos; quia nec in jure dicuntur Prælati, nec consuetudo eis suffragatur, eò, quod per Tridentinum sit abrogata, quod petit approbationem in Sacerdote, ut possit eligi à Parocho.

736. Nota tamen, quod licet oppositam sententiam asserentem, scilicet, Parochos posse eligere simplicem Sacerdotem non approbatum in confessarium, tenuerint aliqui, quos refert M. Moya *tract. 3. disp. 7. q. 2. num.* 11. & 12 ea tamen modo nullam obtinet probabilitatem; cum potius sit damnata à SS. P. N. Alexandro VII. siquidem 16. propositio ex damnatis ab ipso est hæc. *Qui beneficium curatum habent, possunt sibi eligere in confessarium simplicem Sacerdotem non approbatum ab ordinario.*

737. Sextò notandum est, Pontificem similiter eligere posse sibi confessarium, cui dicunt aliqui à Christo conferri facultatem; verius tamen videtur, quod ea conferatur ab ipso Pontifice ex plenitudine potestatis; quia licet non possit dare alteri potestatem, ut eum liget censuris; expedit tamen, ut ipse Pontifex bono hujus Sacramenti fruatur, quod possit alteri conferre jurisdictionem, ut eum liget sacramentali pœnitentia.

QUÆST.

## QVÆST. II. DE MINI-stro delegato Sacramenti Pœnitentiæ.

738. MInister Delegatus Sacramenti pœnitentiæ est ille, qui jurisdictionem ad absolvendum habet non ex vi muneris, aut officij sui; sed ex commissione alterius ordinarij, scilicet: sic omnes Religiosi approbati ab Episcopo ad confessiones audiendas, habent potestatem delegatam in omnes fideles à Pontifice concessam; sæculares verò, quamvis eam non habeant à Pontifice concessam; possunt tamen eam accipere à quolibet Parocho pro suis ovibus, & ab Episcopo etiam pro suis, qui communiter eam dare solet simul cum approbatione. Ratio cur quilibet Minister ordinariam possit absolvendi facultatem delegare, est, quia id pertinet ad rectam sui muneris exequutionem, cum per se ipsum non possit omnibus suis ovibus hoc Sacramentum semper administrare.

739. Delegatus autem minister non potest suam potestatem subdelegare, nisi expressa facultas subdelegandi sit ei concessa; si tamen alicui cōmittatur officium Parochi absentis, aut nondum Sacerdotis, aut cum Parochus relinquat loco sui per 15. dies, potest alteri facultatem absolvendi delegare, non tamen potest illum loco sui statuere ad omnia munera Parochialia. Ratio est, quia, quamvis iste sit verè delegatus, indiget tamen, ut impleat rectè suum munus facultate subdelegandi in ordine ad confessiones audiendas, & una, aut altera vice aliud munus Parochi subeundum, in ordine verò ad omnia munera non apparet tam facilè necessitas, nec tam facilè præsumi potest primi delegantis voluntas.

740. Sed inquires 1. an ad absolvendum à peccatis sufficiat jurisdictio præsumpta? Respondeo duplicem esse præsumptionem; alteram voluntatis consequentis, scilicet, quod superior, quando postea sciat, quod feci, ratum habebit, quæ dicitur ratihabitio de futuro; alteram de præsenti, quâ præsumo, superiorem de facto, & de præsenti habere voluntatem dandi mihi jurisdictionem, ut Sacramentum administrem, quæ ratihabitio de præsenti dicitur. Igitur dico 1. ratiha-

ratihabitio de futuro non sufficit ad valorem Sacramenti pœnitentiæ. Probatur; quia superior non potest dare jurisdictionem, nisi habeat de præsenti voluntatem conferendi illam; si ergo de præsenti in casu conclusionis non habet voluntatem, sed eam habebit: ergo non dat jurisdictionem, ac per consequens Sacramentum sine jurisdictione, & invalidè administratur. Postquam autem Sacramentum invalidum est, non potest per subsequentem voluntatem validum fieri; quia non potest valor Sacramenti manere suspensus; aliorum tamen contractuum valor potest manere suspensus, & sic in eis proderit ratihabitio de futuro: quapropter, qui accipit rem alienam rationabiliter existimando, dominum postea ratum habiturum, non peccat; quia ratihabitio illa *retro trahitur, & mandato non est dubium comparari*, ut habetur in jure. In casu autem nostro, potius propter rationem dictam tenet alia regula, scilicet, *quod ab initio non valet, tractu temporis non convalescit.*

741. Dico 2. si ratihabitio de præsenti sit conditionata, scilicet, quia prudenter judico, quod si peterem facultatem, eam mihi concederet superior, non sufficit ad valorem Sacramenti. Ratio est, quia ea facultas, & voluntas eam dandi de facto non adest in superiore, sed solùm adesset, si peteretur: ergo non dat jurisdictionem, sed solum daret, si peteretur; nulla enim causa operatur aliquid antequam sit. Nec est simile, quando sumo rem alienam judicando, Dominum mihi eam concessurum, si peterem; tunc enim non pecco; quia ad peccatum in ablatione alieni, requiritur quod sit contra voluntatem Domini: unde ut excusetur ablatio à peccato sufficit licentia præsumpta, quia eo ipso non est contra Domini voluntatem. Ad valorem autem Sacramenti non sufficit, quod ejus administratio non sit contra superioris voluntatem, sed est necessarium, quod ille jurisdictionem præbeat, quam non præbet de facto, si de facto non habet voluntatem.

742. Dico 3. ratihabitio de præsenti absoluta sufficit ad validum Sacramentum, si manifestatur aliquo signo externo probabili.

babili. Ratio est; quia hoc ipso probabile est hunc habere jurisdictionem; si verò nullo externo signo probabiliter manifestetur, non sufficit ad valorem Sacramenti, quamvis defacto adsit voluntas in superiore. Ratio est quia jurisdictio conferri debet modo humano, & consequenter signo aliquo externo, probabiliter saltim, manifestari.

743. Pro majori luce præcedentis conclusionis nota 1. quod, si aliquis sine Episcopi licentia coram ipso confessionem alicujus audiret, inprimis peccaret incipiendo sine licentia. Deinde, quamvis plures, quos afferunt, & sequuntur Diana 3. *part. tract.* 4. *resol.* 68. *&* *N. Pater disp.* 11. *quæst.* 94. asserant absolutionem futuram validam, probabilius mihi est, quòd foret invalida; quia mihi videtur esse casus conclusionis præcedentis. Et si opponas regulam juris asserentem quòd *qui tacet consentire videtur*; quæ præcipuè vim debet habere, quando ille, qui tacet tenetur contradicere. Respondeo argumentum probare, quod Episcopus consentit, & facultatem dat, quando advertit, quod ille aliàs non habet facultatem, & quòd teneatur illum impedire; cum verò Episcopus, quando id videt, possit ad id non attendere, etsi attendat frequentius ignoret, aut non advertat, an ille approbatus sit; ac tandem si utrumque advertat, possit judicare, quod excusatur à contradictione, quia potest judicare confessionem esse de venialibus, hinc est, quòd non potest talis confessarius ex eo, quod Episcopus illum videat, & taceat, judicare probabiliter, quod consentiat, sed solùm dubitare.

744. Secundò nota, ad validam absolutionem sufficere, quod confessarius habeat jurisdictionem probabilem; imò etiam ad licitam. Ratio est; quia talis absolutio valida erit, etiamsi talis opinio probabilis revera sit falsa, quia, quandocumque adest jurisdictio probabilis, si opinio est falsa, confertur ab Ecclesia jurisdictio, ne omnia Sacramenta, quæ cum opinione illa conficiuntur, invalida sint, sicut ne sint invalida Sacramenta, quæ conferuntur ab eo, qui non habet jurisdictionem, putatur tamen communi errore, illam habere, Ecclesia jurisdictionem

nem

nem supplet. Si autem opinio esset circa potestatem ordinis, licitè non posset Sacramentum administrari, nisi quando adesset necessitas, & non esset alius, quia si opinio illa probabilis esset falsa, nullum conficeretur Sacramentum, quia Ecclesia potestatem ordinis supplere non valet.

745. Deinde nota 3. quod in casu in quo quis absolvit cum opinione probabili de sua jurisdictione, absolutio valida esse potest, Primò si talis opinio probabilis sit vera de facto. Secundò etiamsi illa sit falsa, ex eo, quod sit vera ea, quæ asserit, jurisdictionem tunc suppleri ab Ecclesia. Tertiò denique adhuc si ista opinio valdè communis sit falsa, ex eo, quod alia opinio satis communis etiam sit vera, quæ asserit, eum, qui bona fide confitetur de mortalibus, & venialibus non habenti jurisdictionem circa mortalia, directè à venialibus absolvi, & indirectè à mortalibus: cum enim communiter pœnitentes simul cum mortalibus confiteantur aliqua venialia, valida erit absolutio juxta hanc opinionem, adhuc in casu, in quo propter nullam ex duabus præcedentibus validam esse contingat: unde quia aliquam ex tribus opinionibus, videlicet, quod jurisdictionem habet confessarius, quòd, si non habet, suppletur ab Ecclesia, quod, quidquid sit de his duobus, si aliqua venialia confitetur, absolutio valet; quia inquam aliquam ex his opinionibus, judicant aliqui esse moraliter certam, dicunt adhuc in articulo mortis posse impertiri licitè absolutionem cum jurisdictione probabili; quia moraliter certum est, validam esse absolutionem.

746. Nihilominus semper videtur aliqua manere incertitudo, quæ quamvis parva sit eò, quòd ad nullitatem absolutionis requiratur, quod tres opiniones positæ simul falsæ sint, & ad valorem sufficiat, quod una tantùm sit vera, sufficere videtur, ut probabilius mihi videatur in articulo mortis illicitum esse cum ea parva incertitudine absolutionem conferre, si potest ea cum certitudine omnimoda conferri. Extra articulum tamen mortis assentior Lugo asserenti nullum esse periculum in conferenda absolutione cum ju-

risdictione probabili; quia ut dicebamus ferè nulla eit in ea incertitudo, & parva illa, ac ferè nulla incertitudo non potest illicitam reddere administrationem; quia ex una parte cum mors non immineat, ea incertitudo tolli poterit, dum alias confiteatur cum jurisdictione certa. Ex alia verò parte necessarium non est, quod minister Sacramenti semper illud conferat cum omni utilitate, & securitate possibili: unde probabile satis videtur, quod animadvertit Lorca apud Lugum 1. 2. disp. 38. memb. 2. quod scilicet, non peccaret mortaliter Sacerdos, qui petenti communionem daret hostiam probabiliter consecratam, si non frequenter, sed semel, aut iterum id faceret, & extra mortis periculum. Vide dicta supra à n. 124. ad 133.

747. Diximus obiter supra num. 744. illum, qui non habet jurisdictionem, communi tamen errore putatur eam habere, validè absolvere. Nunc adde 1. quòd etiam licitè absolvet, si ipse Confessarius sit in eodem errore. Adde 2. quod communis sententia judicat, ad hoc, ut in tali casu confessiones sint validæ, requiri præter communem errorem, quòd confessarius habeat titulum coloratum, id est titulum à legitimo superiore collatum, quamvis invalidum ob ocultum defectum, vel quia etsi validus fuerit, fuit revocatus occultè, vel confessarius incidit in excommunicationem ex non toleratis, in quibus casibus, si adsit communis error, Ecclesia jurisdictionem supplet; non tamen supplet, si titulum ipse, vel alius composuit, & non superior, neque etiam, si absque ullo titulo error introductus est. Ratio est; quia quamvis etiam in hoc casu confessiones sint invalidæ, iste tamen casus minus frequens est, ideòque pro eo non supplet Ecclesia jurisdictionem; quòd tamen etiam in casu, in quo non adest titulus coloratus, Ecclesia suppleat jurisdictionem videtur satis probabile, & magis pium; ideòque hanc tenet sententiam noster P. cum Sanctio *disp.* 44. *n.* 3. *in fine* Basilio, & alijs.

## QVÆST. III. DE MInistro Sacramenti Pœnitentiæ in articulo mortis.

748. Pro hujus quæstionis resolutione dico 1. In articulo

mortis quilibet Sacerdos, licet sit excommunicatus, degradatus, hæreticus vel Schismaticus sacramentaliter à quibuscumque peccatis, & censuris absolvere potest. Conclusio est communis, & constat ex Trid. *sess. 14. cap. 7.* dicente, quod in articulo mortis *omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes à quibusvis peccatis, & censuris absolvere possunt.* Vbi cum omninò universaliter loquatur Concilium, nullus Sacerdos excludendus est.

749. Sed obijcies 1. Sacerdos excommunicatus caret jurisdictione: ergo non potest aliquem absolvere adhuc in articulo mortis. Respondeo excommunicatum esse posse Sacerdotem dupliciter, vel toleratum, vel non toleratum. Excommunicatus non toleratus dicitur quando nominatim est excommunicatus, aut publicè Clericum percussit. Excommunicatus verò toleratus dicitur, quando nec nominatim excommunicatus est, nec est publicus Clerici percussor, quamvis alia quacumque majori excommunicatione ligatus existat: Igitur si Sacerdos sit excommunicatus toleratus, non caret jurisdictione; sed potiùs, si cætera adsint, validè potest absolvere etiam non moribundum, non tamen licitè, nisi fidelibus ipsis postulantibus, de quo. V. meum N. P. Leandri comp. num. 648. quia ei prohibita est Sacramentorum administratio, sicut etiam quælibet alia excommunicatio; si verò Sacerdos sit excommunicatus non toleratus, caret jurisdictione omni in actu 1. attamen in actu 2. potest eam habere in aliquo casu, ut in articulo mortis, atq; etiam in casu erroris communis: hac ergo distinctione antecedenti applicata, neganda est objectionis consequentia.

750. Secundò obijcies: non potest pœnitens absolvi ab aliquo, quin petat ab illo absolutionem; sed moribundus nequit petere absolutionem ab excommunicato: ergo nec absolvi. Minor probatur; quia nemo potest petere ab alio id, quod alter non faciet, aut non poterit facere sine peccato; sed excommunicatus nequit absolvere sine peccato: ergo ab illo nequit moribundus absolutionem petere. Respondeo tamen permittendo majorem, & negando minorem; ad cujus probationem

concessa majori quo ad 2. partem, & negatâ quoad primam, nego minorem; quia excommunicatus in articulo mortis, si alius non adsit, potest licitè absolvere; potest enim contritionem elicere, quà exibit à peccato, si in illo sit, & quamvis non tollatur excommunicatio, excusatur tamen à peccato absolvendo propter periculum imminens proximi, à quo etiam excusatur etiamsi sit in mortali, si tales sint temporis angustiæ, ut non possit contritionem elicere, quin timeatur, quod interim morietur pœnitens sine absolutione. Vt dicemus infra num. 987.

751. Pro majori tamen intelligentia doctrinæ numeri præcedentis, nota aliud esse petere ab aliquo id, quod sine peccato non potest facere, aliud petere id, quod sine peccato facere potest; de facto tamen non faciet sine peccato. Igitur petere ab aliquo id, quod non potest facere sine peccato, semper est illicitum, & nulla causa potest à peccato excusari: sic quia adulterium committi non potest sine peccato, numquam licet petere ab aliquo, ut adulteret; petere autem id quod alter facere potest sine peccato, de facto tamen non faciet sine illo, aliquando licet, aliquando verò non. Licet igitur ex justa causa: unde si indigeam ego pecunijs mutuatis, & alias eas non possum invenire, nisi apud usurarium, qui eas mihi non dabit, nisi sub usuris, licite possum eas ab ipso petere; quia ab illo peto id, quod potest sine peccato facere, quia mutuare potest sine usuris; quod autem non faciet sine peccato nihil interest, quia justa causa me excusat à peccato in ea petitione, quæ, etsi materiam peccandi administret; non tamen necessitat, sed indifferentem relinquit; sic enim Deus concursum indifferentem peccatori offert, quando prævidet, illum futurum ei occasionem peccandi; Deus tamen nequaquam peccat, quia & illum confert ex justa causa, videlicet, ut salvetur libertas, & ob altissimos alios suæ providentiæ fines: & prætcrea talis concursus non determinat, sed indifferentem relinquit hominem ad peccatum.

752. Præterea licitum mihi est ex justa causa petere absolutionem ab eo, quem scio esse in peccato mortali, dummodo non sit

sit excommunicatus non tolera- tus, quamvis ex ejus moribus conijciam, ipsum non elicitu- rum contritionem. Ratio est quia peto ab illo, quod sine pec- cato potest efficere; quia elici- endo contritionem potest me absolvere sine peccato. Dixi si non sit excommunicatus non to- leratus, quia, si talis sit, erit in- valida extra articulum mortis absolutio; si verò sit excommu- nicatus toleratus, possum ab eo absolutionē petere; quia quam- vis ipse non possit se ingerere ad confessiones audiendas, potest tamen rogatus à pænitente illi- us confessionem audire, con- sequenter, & pænitens id petere. Quod intellige, adhuc sine justa causa, si alias confessarius in mortali non sit, quod optimè docet noster P. Leander. *tom.* 4. *tract.* 2. *disp.* 6. *quæst.* 14. & 15.

753. Restat modo videre, quan- do non liceat petere, quod alter non faciet sine peccato; Dico ergo id non licere quando justa causa non adest; quia ex chari- tate tenemur proximi peccatum impedire, quando commodè possumus; possumus autem in dicto casu commodè, non pe- tendo: unde si confessarius esset in mortali, & commodè possum apud alium confiteri, debeo; quamvis talis confessarius sit pa- ratus quemcumque accedentem audire; si tamen ex eo quod me- am confessionem non audiat, sit aliam auditurus, quia videlicet, ipse, & alius simul confessiones audiunt, donec omnes adstan- tes unus post alium absolvan- tur, tunc etiam pro meo libito, possum licite ad eum accedere; quia ex eo quòd non accederem, nullum in eo peccatum vitarem.

754. Dico 2. simplex Sacer- dos, nec validè, nec licitè potest à mortalibus absolvere in arti- culo mortis coram proprio; id est coram illo, qui extra illum articulum habet jurisdictionem ordinariam, vel delegatam. Pro- batur conclusio ista, quæ com- munior est, quamvis oppositam non pauci tueantur Doctores, & inter eos acerrimè M. Lumbier *tom.* 1. *à nu.* 45. *ad* 63. circa quod vide Tamburinum *lib.* 3. *cap.* 7. *num.* 1. qui propter ejus opinio- nis probabilitatem judicat cer- tam jurisdictionem prædictum simplicem Sacerdotem ab Eccle- sia obtinere. Vide etiam dicta à nobis supra à num. 744. Nunc verò conclusio nostra probatur;

quia

quia dum Tridentinum asserit posse in articulo mortis Sacerdotem simplicem absolvere, non statuit jus novum, sed solùm approbat consuetudinem in Ecclesia jam introductam; sed ista consuetudo fuit solùm, ut simplex Sacerdos absolveret in articulo mortis, deficiente proprio: ergo Concilium etiam solùm intendit, quod simplex in defectu alterius absolvere possit, & consequenter, illo præsente, absolvere non potest. Major constat ex Tridentino citato; *cap. enim 7. ait: Verum tamen piè admodum, ne hac ipsa occasione aliquis pereat in eadem Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis, atque ideo omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes à quibusvis peccatis, & censuris absolvere possint.* Minor autem constat; tum ex pluribus textibus juris Canonici, qui afferuntur à Lugo *disp.* 18. *sec.* 2. § 2. atque ex aliorum Sacramentorum paritate, quæ Sacerdos alienus, solùm administrat in defectum proprij.

755. Pro praxi tamen præcedentis conclusionis nota 1. quod si proprius Sacerdos sit præsens, nolit tamen absolvere, potest absolvere simplex; quia idem est nolle, ac absentem esse; si tamen sit absens, in eodem tamen oppido, & vocatus nolit venire, non tenetur infirmus licentiam petere per literas, aut nuncium, sed potest tunc à simplici absolvi facultate ipsa juris, nec tunc tenetur adhuc bullam sumere, ut possit absolvi, quia cum habeat remedium in jure communi, non tenetur quærere privilegium: sic Lugo, & Sanchez apud ipsum.

756. Secundò nota, quod si confessio cœpit fieri cum simplici Sacerdote, quia non erat alterius copia, si postea adveniat proprius, potest adhuc continuari; quia simplex Sacerdos, incepta confessione acquisivit jurisdictionem, quæ non expirat donec confessio finiatur. Quod verum esse ait Lugo, adhuc si pœnitens ob mendacium gravè fecisset confessionem sacrilegam; tunc enim adveniente proprio, si velit eam confessionem perficere, debet cum simplici; quia id est perficere cõfessionem inceptam; absolutio enim data non dedit confessioni, & jurisdictioni finẽ; cum enim fuerit nulla, perinde se habet, ac si data non fuisset.

757. Si tamen incepta confessione cum simplici Sacerdote, inveneniatur, quod habeat censuram reservatam, & adveniat habens facultatem absolvendi ab illa, talis Sacerdos adveniens debet à censura absolvere. Ratio est quia moribundus dum a censura reservata absolvitur à simplici, idest cum onere comparendi, quamprimùm possit: ergo cum in hoc casu possit statim, debet comparere statim, & consequenter ab habente facultatem ab illa censura absolvi. Adverte tamen primò, quod ea obligatio comparendi, quæ imponitur *in capite eos, qui de sententia excommunicationis in 6.* solùm obligat, quando quis in articulo mortis absolutus est à non habente facultatem absolvendi à censura reservata. Si verò absolutus fuerit à casibus sine censura reservatis, non habet talem obligationem comparendi, nec etiam illam habet, si absolutus fuit à censura reservata ab eo, qui habebat tunc facultatem ratione bullæ, nam bullæ privilegium est, ut absolutè absolvat; & non cum comparendi onere.

758. Tertiò nota in præsenti articulum mortis non sumi solùm pro tempore illo, in quo proximè instat mors, sed pro toto illo tempore, pro quo adest periculum illius: unde idem est articulus mortis atque mortis periculum, quod comprehendit tempus cujusvis infirmitatis periculosæ, in qua à medicis Viaticum sumi præcipitur; imò etiam probabiliùs comprehendit quodvis aliud probabile mortis periculum, quamvis infirmitas non sit, sed imminens bellum, aut naufragium. Ratio est; tum quia in jure, dum in præsenti materia loquitur, pro eodem usurpatur, cum id ipsum, quod vocatur aliquando articulus mortis, aliquoties etiam dicatur periculum illius; tum etiam, quia Ecclesia intendit fidelibus subvenire, dum pro articulo mortis concedit cuilibet Sacerdoti facultatem absolvendi; istum tamen finem raro consequi posset, si nomine articuli intelligeret solùm tempus, in quo mors instat, cùm tunc rarò possint fideles confiteri propter angustias mortis, & sensuum defectum: rectè ergo, ut suum finem Ecclesia consequatur, nomine articuli periculum etiam intelligit.

## QVÆST. IV. QVÆnam confessio sufficiat, ut possit Pœnitens absolvi in articulo mortis.

759. QVamvis quæstio hæc inseri potuisset tertiæ disputationi; illam tamen placuit differre; tum quia satis prolixa evasit illa disputatio; tum etiam quia oportunum satis est, ubi minister Sacramenti pœnitentiæ pro mortis articulo designatur, ea subjungere, quæ expediunt, valdè ad ipsum instruendum in hujusmodi administratione, præsertim cum minister sit Sacerdos communis, & difficultates, quæ occurrunt in ea administratione sint speciales. Igitur pro quæstionis resolutione.

760 Primò dicendum est, quod si aliquis fecit confessionem, aut saltem incepit illam, & distulit absolvi ad sequentem diem, potest tunc absolvi, quamvis reperiatur sensibus destitutus; ratio est quia illa confessio, perseverat moraliter, si non fuerit retractata; quæ retractatio non debet credi, nisi de illa constet.

761. Secundò dicendum est, qui dixit se habere multa peccata, aut habere peccatum mortale, vel etiam veniale, potest absolvi. Probatur: quia justa interveniente causa extra mortis articulum potest ita dimidiari confessio, ut taceatur aliquod peccatum, atque etiam, ut taceatur aliqua species, solumque dicatur in genere: ergo à fortiori in eo articulo, in quo major est necessitas, sufficiet confessio peccati in genere, præsertim cum adsit causa major, videlicet, impossibilitas. Sed hæc conclusio ampliùs confirmabitur ex sequentibus præsertim ex quinta.

762. Tertiò dicendum est, eum, qui nullum peccatum dixit, exhibuit tamen aliqua contritionis signa, posse absolvi, saltem sub conditione. Ratio est, quia quamvis, ut valida sit absolutio, ea signa debeant ordinari ad claves Ecclesiæ, & ad obtinendam absolutionem; semper tamen de ipsis potest dubitari, quod ad talem absolutionem ordinentur, quod sufficit, ut sub conditione impertiri possit absolutio. Quod autem, si ad absolutionem ordinentur, sufficiant pro confessione ea signa, constat, quia per ea peccatum, saltem in communi significatur.

763. Quar-

dicendum est, quamvis speculativè parum probabile sit, quòd moribundus, qui nullum exhibuit contritionis signum, Christiano tamen more vivebat, absolvi possit, practicè tamen loquendo talis est sub conditione absolvendus. Ratio primæ partis hujus conclusionis est, quia in eo casu nulla datur accusatio simpliciter ad hoc Sacramentum, quod per modum judicij exercetur, necessaria. Ratio verò secundæ partis est; quia saltem propter authores dicentes in tali casu posse absolutionem exhiberi, videtur ea sententia aliquam probabilitatem habere, quæ licet modicissima sit, sufficiet, ut à peccato excusetur, qui in eo casu absolutionem sub conditione impertitur.

764 Nota tamen, quod P. Arriaga *disp.* 36. *de pœnitentia sect.* 3. acriter invehitur contra probabilitatem speculativam sententiæ asserentis posse dictum moribundum, qui nullum pœnitentiæ signum dedit, absolvi sub conditione. Et similiter M. Thyrso *disp.* 36. *sect.* 4. ei nullam probabilitatem intrinsecam convenire putat. Quia tamen eam sententiam plures, & gravissimi tenent DD. ita ut supra triginta memorentur à P.M. Moya *tract.* 3. *disp.* 6 *quæst.* 4. §. 1. non potest dubitari, quòd ea sententia probabilitatem habeat, saltim extrinsecam, quod sufficit, ut practicè non solùm eam possimus sequi, ut tenet N. P. Leander *tract.* 5. *disp.* 5. *quæst.* 46. sed etiam, ut teneamur, ut docet idem N. P. *quæst.* 47.

765. Quintò dicendum est, etiam absolvendum esse eum, qui confessionem petijt, aut signa contritionis dedit, absente Sacerdote. Probatur ista conclusio ex Rituali Romano Pauli V. edito anno 1615. ubi in ritibus de Sacramento pœnitentiæ sic dicitur. * Si inter confitendum, vel etiam antequam incipiat confiteri, vox, & loquela ægri deficiat, nutibus, & signis conetur Sacerdos, quoad ejus fieri poterit, peccata pœnitentis cognoscere; quibus utcumque vel in genere, vel in specie cognitis, vel etiam confitendi desiderium, sivè per se, sivè per alios ostenderit, absolvendus est. * Ubi non solùm permittitur, sed præcipitur à Pontifice, ut infirmus absolvatur in nostræ conclusionis casu. Quod etiam aliorum

orum Pontificum, & Conciliorum authoritate confirmatur à Lugo *disp.* 17. *sect.* 4. atque etiam expressa D. Thomæ authoritate.

766. Sed contra quatuor præcedentes conclusiones objicies 1. confessio in præcedentibus conclusionibus assignata non dat novam notitiam confessario: ergo non est vera confessio. Antecedens constat; quia talis confessio solùm significat illum esse peccatorem in genere, quod jam sciebat confessarius. Respondeo negando consequentiam; quia de ratione confessionis solùm est, quòd sit accusatio; ad istam verò necessarium non est, quòd detur nova notitia; sed quòd verè detur delicti notitia, quamvis aliàs judex jam ejusdem notitiam haberet. Sic nos accusabit dæmon apud Deum, nihil tamen dicet, quod Deus jam dependenter ab accusatione non sciat.

767. Secundò objicies Minister hujus Sacramenti est judex: ergo non potest judicare, & absolutionem impertiri, nisi cognitâ causâ in particulari. Respondeo non posse confessarium exactè, & perfectè judicare, nisi cognitâ causâ in particulari; nè tamen minùs exactè, & incompletè, solùm directè, judicando de eo, quod cognoscit. Quamvis autem judicium pœnitentiæ debeat exactè fieri, quantum humano modo permittitur, per se loquendo; per accidens potest esse minùs exactum, & valdè incompletum

768. Tertiò objicies specialiter contra quintam conclusionem. Confessio non potest absenti fieri, & absolutio intuitu illius collata est nulla, ut constare videtur ex decreto Clementis VIII. *disp. præced. num.* 724. memorato, ubi hæc propositio damnatur: *licere per literas seu internuntium confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri, & ab eo absenti absolutionem obtinere.* Sed in casu quintæ conclusionis confessio fit in absentia Sacerdotis: ergo absolutio intuitu illius est nulla. De hujus argumenti materia latè tractant Cardinalis de Lugo *disp.* 17. *sect.* 4. *à num.* 62. *M. Moya tract.* 3. *disput.* 6. & *quæst.* 2. præsertim *à nu.* 11. *quæst.* 5. *nu.* 37. *M. Thyrso tom.* 3. *disp.* 35. *sect.* 2. & 3. *Amicus disp.* 11. *sect.* 4. *à num.* 60. *P. Theophilus Raynaudus in dissert. singulari in defensionem*

num eximij Doctoris, invenitur in opere posthumo ejusdem Doctoris eximij de vera intelligentia auxilij efficacis. Et alij apud ipsos, & apud Amadeum *Proposit.* 19. *de pœnit.*

769. Respondetur ad argumentum negãdo majorem, quia in decreto Clement. VIII. non damnatur confessio absenti facta; sed propositio copulativa, quæ ipsam, & similiter absolutionem in absentia factam affirmat licere, ut autem propositio copulativa sit falsa, sufficit, quod una ejus pars, unave cathegorica ex contentis in ipsa sit falsa: cumque falsa sit cathegorica affirmans absolutionem in absentia obtinere esse licitum, meritò damnatur propositio illa, quamvis confessio absenti facta sit licita, quando absolutio non recipitur à confessario absente, sed ab ipso jam præsente.

770 Nota tamen, quod quamvis requiratur gravis causa, ut confessio fiat absenti per literas, aut internuntium; tamen, si ille, qui per literas confessus est, postea in præsentia confessarij dicat: *accuso me de omnibus peccatis, quæ scripsi tibi*, licita est confessio, & absolutio intuitu illius data, quia in illis verbis, quæ profert præsente confessario, totam repetit confessionem, ac proinde tota censetur in præsentia facta. Sicut propter similem accusationem totam confessionem repeti, & censeri voce factam docuimus supra *disp.* 3. *q. ult. num.* 673. cum N. P. Leand. *disp.* 6. *q.* 14. Unde ad confessionem sic faciendam non est necessaria gravis causa. Sic tenet N. P. Leander *tract.* 5. *disp.* 2. *q.* 29. & M. Moya *disp.* 6. *q.* 2. *n.* 10. & alij apud ipsos.

771 Sed contra datam responsionem dupliciter replicabis. Primò, quia, si sufficit, ut copulativa sit falsa, quòd altera Cathegorica falsa sit: ergo poterit quis dicere, quòd absolutio absenti data est licita, & quòd non damnetur in dicto Clement. Decreto, quod solùm damnat copulativam, & ut ista sit falsa, sufficit, quod confessio in absentia illicita sit, quamvis absolutio in absentia sit licita; sic enim falsa erit copulativa affirmans utramque licere. Imò & posset aliquis dicere, quòd tum absolutio, tum confessio in absentia sit valida, dummodo alterutra fiat in præsentia ita, ut decretum

damnet propositionem, quæ affirmat confessionem in absentia factam licere, quando etiam in absentia absolutio confertur; non verò eam, quæ affirmat licere confessionem in absentia, si absolutio in præsentia conferatur: nec similiter, quæ affirmat licere absolutionem in absentia, si confessio in præsentia sit facta.

772. Secundò contra eandem responsionem replicabis: quod ejus doctrinam primus tradidit P. Suarez *disp. 21. de pœnit. sect. 4. num.* 10. sic exponens decretum Clem. VIII. ejus tamen expositio rejecta est ab ipso Clem. VIII. qui, propter eam, integram sectionem deleri jussit ex P. Suarez, & postea etiam rejecta est à Paulo V. die 14. Julij anno 1605. in Congreg. Sancti Officij, ut refert Petrus de Fay *in supplem. 3. part. q. 9. art. 3. disp.* 3. ergo nec expositio P. Suarez, nec responsio nostra sustineri jam debent.

773. Respondetur priùs ad secundam istam replicam, interpretationem Patris Suarez ad decretum Clemen. VIII. adhuc probabilitate non carere. In primis enim non obstat, quod eam ipse Clemens deleri jusserit; quia id jussit Pontifex, non quia existimaret eam probilitate carere, sed quia nolebat suum decretum, ipso vivente exponi, ut asserunt Amicus *disp.* 11. *de pœnit. num.* 61. *& M. Thyrso tom. 3. disp.* 36. *num.* 5. Unde, quamvis deleta fuerit ea expositio in opere P. Suarez, eadem postea in alijs impressionibus subsequentibus invenitur. Sed quidquid de isto fundamento sit.

774. Respondeo aliter eam Clemen. VIII. prohibitionem, & simul decretum memoratum Pauli V. prohibuisse eam expositionem, quia periculum præcavere intendebant, ne sinistrè ea expositio ab aliquo intelligeretur ita, ut existimaret licere absolutionem in absentia, si confessio in præsentia processisset, sicut etiam confessio in absentia facta, si absolutio in præsentia subsequatur; quia poterat quis intelligere, quod solùm conjunctim utraq; in absentia facta damnaretur. Præterea dicere, quòd confessio in absentia facta licita erat, poterat ab aliquo intelligi sinistrè, intelligendo, videlicet, nomine confessionis integrum Sacramentum pœnitentiæ eò, quòd sæpè nomine confessionis

totum

totum illud intelligi consueverit: ad vitandam ergo alterutram, vel utramque istam sinistram intelligentiam, prohibuerunt Clemens VIII. & Paulus V. expositionem P. Suarez: re tamen benè intellecta, postea permissa est, ut docet M. Thyrso *cit. disput.* 36. *num.* 28. *&* 29. *& M. Moya disp,* 6. *q.* 2. *à num.* 12. *& q.* 5. *num.* 37.

775. Nunc ergo ad primam replicam respondeo, quòd quamvis ad falsificandam propositionem damnatam æquè sufficeret, quòd confessio in absentia facta esset illicita, ac quòd talis sit absolutio; tamen adest speciale fundamentum, ut potiùs propter vitandam absolutionem in absentia, quàm propter similem confessionem vitandam, sit damnata illa copulativa propositio. Tum quia intendebat Pontifex vitare Sacramentum in absentia ministrari; ex eo autem, quod confessio in absentia fiat, non ministratur Sacramentum in absentia; quia confessio nec est totum Sacramentum, nec ultimum illius determinativum; è contra verò ex eo, quòd absolutio conferatur in absentia, jam Sacramentum ministratur in absentia; quia absolutio, licet non sit totum Sacramentum, est ultimum determinativum illius, & ideò tunc illud ministrari dicitur, cum absolutio confertur. Tum etiam, quia verba absolvo te denotant (præsertim voce prolata) præsentiam pœnitentis: unde cum indispensabiliter voce proferenda sint, indispensabilis est pœnitentis præsentia. Confessio autem non ita indispensabiliter denotat confessarij præsentiam, nec ita necessarium est voce fieri; sed potest etiam fieri nutibus, & per interpretem; quiá solùm dirigitur ad manifestanda Sacerdoti peccata. Absolutio verò non dirigitur ad manifestandam pœnitenti voluntatem illum absolvendi, aliàs non valeret prolata in lingua, quam pœnitens non intelligeret; sed ex Sacramenti institutione determinatè verba desiderantur, nec posset per interpretem dari, adhuc casu, quo confessarius verba proferre non posset, & posset nutibus interpreti significare se velle absolvere pœnitentem. His ergo rationibus sufficienter evincitur, quòd potiùs sit falsa propositio copulativa damnata, quia pars, seu

ſeu cathegorica ad abſolutionem pertinens ſit falſa; quàm quia ſit falſa altera, quæ ad confeſſionem pertinet, vel utraque ſimul.

776 Nota tamen, quòd, quamvis diceremus confeſſionem in abſentia factam illicitam, & invalidam eſſe, adhuc ſubſiſteret veritas noſtræ quintæ concluſionis. Quia ipſi Pontifices Clemens VIII. & Paulus V. qui à contrarijs exiſtimantur confeſſionem in abſentia factam prohibuiſſe, & nullam declaraſſe, declararunt alias abſolvendum pœnitentem, qui in abſentia confeſſarij confeſſionem petijt, aut ſigna pœnitentiæ dedit, ut de Paulo V. conſtat ex probatione dictæ quintæ concluſionis: de Clemente autem: quia rogatus, an moribundus, qui ante adventum Sacerdotis ſigna contritionis oſtendit, ſi deinde obmutuit, debeat à Sacerdote præſenti ſacramentaliter abſolvi. Reſpondit, coram Cardinali Bellarmino, & Archiepiſcopo Armacano, debere, quin & ſe illum abſoluturum, & Parochum, qui aliter feciſſet, puniturum; nec talem caſum ſuo decreto comprehendiſſe. Videantur Eminent. Lugo *diſp.* 17. *de pœnit. ſect.* 4. *M. Moya diſp.* 6. *q.* 2. *n.* 5. *&* *M. Thyrſo cit. diſp.* 36. *num.* 5. *&* 24.

777. Unde colliges, dato, quòd non valeat confeſſio in abſentia, negari ideò non debere abſolutionem moribundi in caſu quintæ concluſionis; cum ipſi Pontifices illam damnantes caſum illius excipiant; ſed quærendam diſparitatem, quam ipſi Pontifices Theologis quærendam reliquerunt, ut teſtatur P. Suarez apud M. Thyrſo cit. nu. 24. Sed quia diſparitates, quas aliqui Theologi tradiderunt, aut tandem coincidunt cum explicatione P. Suarez, quâ nos uſi ſumus reſpondendo ad hoc tertium argumentum; aut ſi aliquæ ab ea recedunt, ſunt ſatis difficiles, ut videri poteſt in M. Moya *diſp.* 6. *q.* 2. *n.* 6. 12 *&* 13. viſum nobis eſt juxta mentem P. Suarez argumentum ſolvere potiùs, quam aut aliquid, diſparitatē quærendo, aſſerere, quoad ipſius doctrinam regrediamur, dum ab ea fugere profitemur, aut in aliud quid incidere, quod ipsâ doctrinâ P. Suarez, difficilius nobis videatur. Totam autem doctrinam occaſione hujus

tertij argumenti à nobis traditam confirmat optimè P. Arriaga *disp.* 36. *de pœnit. sect.* 4. in quem incidi post hæc scripta.

778. Pro majori tamen declaratione quintæ conclusionis nota, sufficere unicum testem asserere, quod infirmus petierit absolutionem; imò etiam, si iste ab infirmo non audierit, ut pluribus relatis, docet Magister Moya *disp.* 6. *q.* 2. *num.* 6. Ratio est, quia in Rituali solum exigitur, quod confessarius habeat notitiam per alios, quod verum est, quamvis eam non habeat ab his, qui ab infirmo audierunt; quod autem loquatur in plurali denotat plures esse posse, qui apti sint, qui dent notitiam, non tamen, quod unius illorum notitia non sufficiat. Ratio præterea est, quia in præsenti casu non quæritur probatio plena, & juridica, sed sufficiens testimonium, ut credi possit; sufficiens autem est unius testimonium in re, in qua non agitur de præjudicio alterius.

779. Inquires autẽ 1. an dictum testimonium debeat dari Sacerdoti coram ipso infirmo. Respondeo tutius esse, quod detur, si tamen solùm in absentia detur, sufficiet, ut possit impertiri absolutio: quia, quamvis ea confessio nullo modo possit dici facta in præsentia; tamen cum aut confessio in absentia facta non sit judicanda invalida, & in necessitate neque illicita; aut saltim, si ea illicita judicetur, sit excipiendus casus absolutionis moribundi, quantumcumq; difficulter possit disparitas assignari, non debet obstare, quod in tali casu confessio in absentia fiat, ut possit impendi intuitu illius absolutio à confessario præsenti, ut diximus in responsione ad 3. argumentum. V. Moyam *tract.* 3. *disp.* 6. *quæst.* 2.

780. Secundò inquires, an doctrina à nobis tradita in hac quæstione, practicari debeat etiam à Doctoribus, qui oppositam sententiam tuentur. Respondeo eam in omnibus debere practicari; quia, quandocumque potest succurri proximo probabiliter, dum in extrema necessitate existit, adest obligatio, si id potest fieri sine gravi incommodo; sed quilibet confessarius, quando practicatur doctrinam cujuscumque ex nostris conclusionibus, probabiliter succurrit proximo existenti in extrema ne-

cessitate spirituali, cum quælibet ex nostris conclusionibus, probabilis sit, & in eo nullum patitur incommodum confessarius; Ergò quilibet confessarius tenetur ad nostram doctrinam practicandam. Nota tamen, quod quando adest opinio solùm asserens, quod potest dari absolutio sub conditione, tunc solùm sub conditione tenetur eam dare; quando verò adest opinio asserens, posse absolutè dari, tunc potest dari etiam sine conditione, quamvis licitè etiam possit addi conditio, si etiam adsit opinio in oppositum. Conditio autem, quæ addi solet, est: *si possum, aut si capax es*; non tamen est necessarium, quod voce proferatur, sed sufficit, quod in mente explicite sit.

## QVÆST. V. DE MINIstro Sacramenti Pœnitentiæ ad casus reservatos.

781. IN hac quæstione 1. supponendum est, Summum Pontificem, Episcopos; Prælatos regulares, atque etiam Parochos posse reservare peccata suorum subditorum, quæ reservatio in hoc consistit, quod respectu talis, vel talis peccati auferunt ab inferioribus confessarijs jurisdictionem, ideoque pænitentes obligant, ut pro eorum absolutione obtinenda ad ipsos superiores recurrant. Cum tamen à casibus Episcopo reservatis possit absolvere Pontifex Summus, atque etiam, qui ab eo facultatem habeat, & consequenter à reservatis Parocho possit absolvere, qui à Pontificè, vel Episcopo habuerit facultatem, fit, quod Parochi reservatio inutilis sit, propterea; adeò parum usitata, ut multi censeant, eos non posse ullum peccatum sibi reservare.

782. Secundò supponendum est, quod, quamvis peccata mortalia, & venialia jam confessa possint reservari, id 1. à solo Papa fieri potest; quia, cum juxta communem sententiam solus ille det jurisdictionem circa ea peccata, ipse solus potest eam limitare. 2. ea reservatio inutilis esset, cum adhuc liberè posset Pœnitens ea peccata nulli confiteri. 3. supponendum est, quòd, quamvis peccata interna reservari possent, de facto tamen nulla reservata sunt in jure, nec communiter reservari solent. Ita docet M. Moya *disp. 8. q. 1. num.*

*num.* 1. addens, quòd solùm externum mortale reservari solet, quod tale sit secundùm quantitatem operis externi, & non solâ relatione ad consensum internum: quod tenent apud ipsum Henriquez, Granados, Suarez, Sanchez, Lugo, & Diana.

783 Quartò est supponendum, quòd, quando aliquod peccatum reservatur, non cadit sub eam reservationem peccatum dubium illius speciei, nisi in reservatione id exprimatur. Ratio est, quia reservatio est odiosa, & ideò debet strictè interpretari; similiterq; est discurrendum circa votum dubium ob eandem rationem. Unde si aliquis dubius esset, an emisisset votum castitatis perpetuæ, posset tale votum ab Episcopo, vel ab habente privilegium commutari, aut dispensari; quia tale votum non est Pontifici reservatum. Si verò fiat certus de illo voto post dispensationem, non tenetur adire Pontificem, quia dum dubium erat, cessabat illius reservatio, ideòque firma est dispensatio eo tempore facta. Si autem fieret certus ante dispensationem, reviviscеret reservatio, & non posset Episcopus dispensare: similiterque dicendum de absolutione à casu, vel censura reservatis. Vide Arriagam *disp.* 40. *à num.* 9. *& Tambur. lib.* 5. *tract. de casib. reserv. cap.* 4. *num* 11.

784. Quintò supponendum est, quòd, quamvis peccata etiam sine ulla censura possint reservari, & de facto reserventur ab Episcopis, & Prælatis regularibus; à Pontifice tamen non solet reservari peccatum sine censura, imò omnia peccata de facto Pontifici reservata habent censuram, & ferè omnia excommunicationem reservatam; probabiliùs tamen est, quod non reservet solam censuram, sed etiam peccatum; quia tamen peccatum ratione censuræ reservat, est probabilius, tum, quod ille, qui ob ignorantiam excusatur ab incurrenda censura, etiam excusetur à reservatione, etiamsi peccatum sit hæresis, ut notat ex Thoma Sanchez & alijs M. Moya *disp.* 8. *q.* 2. *num.* 7. tum, quod, si Pontifex det licentiam absolvendi à censura reservata, censeatur eam etiam dare ad absolvendum à peccato, ac similiter, si absolvendo extra Sacramentum censuram auferat, aut ejus tollat reservatio-

servationem, censetur tollere reservationem à peccato. Videatur Hurtado *disp.* 11. *difficultate* 3. *Coninch. disp.* 8. *num.* 82. *Suarez disp.* 29. *sec.* 2. *num.* 7. *&* 11. *P. Arriag. disp.* 40. *num* 36. *& Tambur. tract. de casibus reserv. cap.* 5. His suppositis.

785. Primò dicendum est, posse absolvere à reservatis, illum, qui casus reservavit, ejus superiorem, & illum, qui ab ipsis habuerit facultatem. Ratio conclusionis quoad primam & secundam partem est, quia nemo potest sibi, neq; superiori suo jurisdictionem limitare. Quoad tertiam verò; quia ille, qui facultatem ordinariam habet ad absolvendum, potest illam delegare, ut diximus quæst. 1. cum ergo, & reservans & illius superior possint à reservatis absolvere potestate ordinaria, illam poterunt delegare alijs concedendo facultatem, ut à reservatis absolvant.

786. Secundò dicendum est, per se loquendo non posse superiorem audire sola peccata reservata, & ab eis absolvere, mittereque pœnitentem ad alium, ut à non reservatis absolvat; posse tamen per accidens, & ex justa causa. Conclusionem istam aliqui impugnant; alij quoad 1. alij quoad 2. partem, quos citat noster P. Leander *disp.* 12. *quæst.* 29. Quoad utramque tamen est satis communis, & probatur; quia integritas confessionis est de jure Divino, à qua non potest excusare sola reservatio; sicut tamen in alijs casibus excusantur pœnitentes ab integritate materiali ob graves causas, non est cur id etiam non possit contingere ob reservationem, casu videlicet, quo superior non possit audire non reservata peccata, & confessarius inferior, qui potest reservata audire, non est capax, ut ei committatur reservatorum absolutio; unde si inferior capax esset, ut ei committeretur reservatorum absolutio, eam committere deberet superior potiùs, quàm dimidiare confessionem. Quando verò ob dictam causam superiori confessus fuisset sola reservata, & ab eis esset absolutus, non teneretur illa simul cum non reservatis inferiori confiteri, sed non reservata sola; quia reservata jam fuerunt directè à superiore remissa.

787. Si autem habens reservata, & non reservata occurrente necessi-

necessitate communicandi, non haberet copiam confessarij habentis facultatem ad reservata, posset, & teneretur confiteri non reservata confessario non habenti ad reservata facultatem. Ut docet N. P. Leander *tom.* 1. *tract.* 5. *disp.* 12. *quæst.* 33. *& to.* 2. *tract.* 7. *disp.* 7. *quæst.* 36. Si verò cum reservatis non habeat peccata mortalia non reservata, sed solùm venialia, probabilius confiteri non teneri docet N. P. *disp.* 7. *cit. quæst.* 37. quod tamen ea venialia posset confiteri etiam simplici Sacerdoti in dicto casu probabile tenet ibidem *quæst.* 38. *V. Compendium num.* 196. *&* 296.

788. Obiter etiam nota, quod quamvis G. Hurtadus, & cursus moralis *tom.* 1. *num.* 6. *cap.* 13. *num.* 77. cum alijs, quos refert Arriaga *disp.* 40. *nu.* 39. negent, quod possit, qui habet venialia, & mortalia non reservata, confiteri venialia sola simplici Sacerdoti, deficiente approbato, & urgente necessitate communicandi. Tamen, quod possit ea venialia sola simplici Sacerdoti in tali casu confiteri docet ipse Arriaga num. 42. & sequitur ex doctrina N. P. Leandri ad finem num. præced. memorata. Quam doctrinam etiam tradit M. Lumbier *tom.* 1. *pag.* 284. *num.* 7. per hæc verba, quæ ex Hispanico fideliter translata sunt. * qui debet Sacrum celebrare, & dubitat an sit contritus, potest de venialibus confiteri coram Sacerdote simplici, quin mortalia confiteatur, usque dum habeat copiam confessarij. * Eamdemq́; doctrinam probabilem dicit Tambur. *in method. commun.* c.1.*à n.*20.*ad* 25

789. Tertiò dicendum est, quod si aliquis confiteatur cum confessario potente absolvere à reservatis, per illius absolutionem tollitur reservatio omnium reservatorum, etiamsi illa non confiteatur propter oblivionem inculpabilem. Conclusio ista non parum est difficilis, quia tamen communis, & favorabilis eam appono. Probatur autem; quia, si pœnitens diceret confessario: non recordor alicujus reservati, desidero tamen, si fortè illud habeo à vinculo reservationis liberari, confessarius cum liberaret à tali vinculo; sed pœnitens implicitè semper id petit, cum semper desideret obtinere pleniorem, quàm potest, absolutionem: ergo judicandum

 est,

est, confessarium tollere reservationem peccatorum oblitorum. Sed dices: ergo similiter tollet obligationem confitendi peccata mortalia oblita cum confessario approbato. Respondeo negando consequentiam; quia id difficiliùs conceditur; tum, quia videmus, quòd per bullam, & jubileum tollitur reservatio facile, non necessitas approbationis in confessario; tum, quia, si explicitè peteret eam licentiam confitendi oblita non approbato, eam non concederet superior; ergò multo minùs, si implicitè solùm petat. V. supra à num. 402.

790. Quartò dicendum est, Episcopos posse absolvere ab omnibus peccatis, & censuris Summo Pontifici reservatis, quando occulta sunt. Hæc conclusio constat ex Tridentino ses. 24. cap. 6. quod ut clariùs constet, Concilij verba accipe; ait ergo. * Liceat Episcopis in irregularitatibus omnibus, & suspensionibus ex delicto occultò provenientibus, exceptâ eâ, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis alijs deductis ad forum contentiosum, dispensare, & in quibuscunque casibus occultis etiam Sedi Apostolicæ reservatis, delinquentes quoscunque sibi subditos in Diœcesi sua per se ipsos, aut Vicarium ad id specialiter deputandum in foro conscientiæ gratis absolvere, impositâ pœnitentiâ salutari. Idem & in hæresis crimine in eodem foro conscientiæ eis tantum, non eorum Vicarijs, sit permissum. * Hucusque Tridentinum.

791. Est tamen gravissimum dissidium, an prædicta facultas absolvendi à casibus occultis Papæ reservatis sit in bulla Cænæ revocata, quoad hæresim, & alios casus in dicta bulla contentos; quamvis igitur gravissimi, & multi Doctores, eam revocatam esse dicant, probabile satis est, eam revocatam non esse; bulla enim solùm asserit, quòd à casibus in ea contentis nemo præter summum Pontificem absolvere possit, *non obstante quavis clausula Concilij Generalis*. Hoc autem non sufficit ad revocationem facultatis concessæ à Tridentino; tum quia clausula Concilij Generalis, præsertim Tridentini, non revocata censetur, nisi de ea fiat specifica, & particularis mentio. Tum etiam,

quia jurium discordia revocari debet in concordiam, si possit, quod in præsenti fit, si dicamus, bullam quantum ad Episcopos loqui solùm de casibus publicis, cum tamen Tridentinum de solùm occultis loquatur. Videantur de hac re noster P. Leander *to. 4. tract. 2. disp. 17. à quæst. 41. præsertim quæst. 45. & 46.* Didacus Antonius Frances de Urritigoyti *in suo foro conscientiæ tract. 4. quæst. 1. & 2.* præsertim in ista à num. 2. & alij apud ipsos abundè pro utraque parte citati.

## *QUÆST. VI. AN ETIAM modò post decretum SS. P. N. Alexandri VII. sit probabile, quod Episcopi absolvere possint suos subditos à casibus occultis Bullæ Cœnæ. Ubi explicatur 3. propositio ex damnatis in eo decreto.*

792. TOta ratio dubitandi hujus quæstionis oritur ex decreto Alexandri VII. edito decreto Alexandri VII. edito die 24. Septembris Anni 1665. in quo tertia damnata propositio talis est. * Sententia asserens, Bullam Cœnæ solùm prohibere absolutionem hæresis, & aliorum criminum, quando publica sunt, & id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus sermo est, Anno 1629. 18. Julij in Consistorio Sacræ Congregationis Eminent. Cardinalium visa, & tolerata est. *

793. Negativam sententiam tenet P. Joannes de Cardenas *in sua crisi Theologica tom. 1. tract. 1. disp. 9 cap. 20. art. 5. num. 345.* in cujus margine ait: *declarat Bullam Cœnæ prohibere absolutionem à casibus occultis.* Et in corpore numeri sic fatur. * A plurimis putabatur probabile, Bullam Cœnæ Domini non prohibere absolutionem à casibus occultis, nec derogare facultati Tridentini, in quo de occultis criminibus sermo est. Dum ergo eam opinionem damnat Alexander VII. in eo decreto, expresse declarat Bullam Cœnæ Domini prohibere absolutionem à casibus occultis, derogando facultati Synodi Tridentinæ. * Ita P. Cardenas ex qua doctrina sequitur Episcopos non posse jam absolvere à casibus Bullæ Cœnæ, etiamsi occulti sint. Quia

facultati ipsis à Tridentino concessæ derogatum esse in Bulla Cœnæ declaratur in dicto decreto. Eamdem negativam sententiam tenet Licentiatus Prado *in theatro morali part. 1. proposit. 3.* & apud ipsum cursus moralis *tract. 10. de censuris cap. 2. punct. 5. nu. 55. M. Lastra tom. 1. in explanat. proposit. 3. Filgueras ibidem Arana advertentiâ ultimâ supra propositiones Alexandri fol.* 502. & Joannes à Spiritu Sancto in M. S.

794. Quia tamen prædictam declarationem derogationis decreti Tridentini affirmat Cardenas. nulla proposita ratione dubitandi, ubi magna reperitur, & se oculis omnium legentium tertiam propositionem damnatam ab Alexandro conspiciendam præbet, ideò majori examine indiget doctrina illius, ut ex eo appareat, an prædicta sententia negativa, quæ ex ejus doctrina infertur, sit admittenda, ut comperta ita, ut opposita jam probabilis non sit. Et quidem mirum est, quòd ratio dubitandi nulla occurrit P. Cardenas, cum ipse in suo opere res examinare profiteatur omni rigore scholastico ita, ut sæpè sæpiùs magis rigori dialectico, quàm morali disputationi insistere videatur.

795. Ratio ergo dubitandi est, quod tota illa propositio: *sententia asserens, Bullam Cœnæ solùm prohibere absolutionem hæresis, & aliorum criminum, quando publica sunt, & id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus sermo est:* continetur in propositione damnata non formaliter, ut propositio quædam est, sed materialiter, & gerendo tantum in ea propositione damnata munus subjecti illius. Sicut in ista propositione: *omnis homo currit, est propositio universalis,* illa propositio *omnis homo currit* non se habet, ut propositio, sed ut subjectum illius enunciationis: *est propositio universalis.* Unde, ut vera sit, vel falsa ea propositio complexa, seu de subjecto complexo, non attenditur, an ea propositio vicem subjecti gerens sit vera, vel falsa; sed an verè de illa prædicetur, quòd sit universalis. Si ergo integra propositio illa materialiter intrat propositionem damnatam, & ut subjectum illius; ergò solùm damnatur enunciatio de illa, ut de subjecto, facta, scilicet, quòd visa, & tolerata sit: ergo ipsa propositio,

sitio, ut subjectum enuntiationis posita, non damnatur, sed relinquitur in sua probabilitate, & solùm ei adimitur illa major probabilitas, quæ illi posset accrescere, si visa, & tolerata esset; cum definiatur, quod non est visa, & tolerata.

796. Hanc dubitandi rationem. Vidit P. M. Matthæus de Moya *in suis selectis tract, 3. disp. 8. quæst. 5. nu. 5.* Cum enim nu. 4 antecedenti dixisset, regulares post decretum Sacræ congreg: jussu Urbani VIII. editum die 17. Novemb. Anni 1628. non potuisse absolvere sæculares à casibus occultis Bullæ; quia in eo declaratur, non revixisse eorum *indulta absolvendi à casibus contentis in Bulla, quæ in die Cœnæ Domini.* legi consuevit, utpote per annum ipsius *Bullæ publicationem sublata*, proponit *cit. n. 5.* evasionem illorum, qui dicunt decretum istud loqui de casibus Bullæ Cœnæ, quando sunt publici, relatis DD. pro ea sententia, seu evasione, & respondet eam sententiam fortè sustineri non posse post novissimum Alexandri VII. decretum die 24. Septemb. Anni 1665. *. Ex quo nobis constat Ecclesiam non tolerare expositionem illàm Bullæ Cœnæ pro casibus tantùm publicis. Inter alias enim propositiones, quas uti scandolosas damnat & prohibet, tertia est: *sententia asserens Bullam Cœnæ prohibere absolutionem hæresis, & aliorum criminum, quando publica sunt, & id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus sermo est Anno 1629. 18.. Iulij, in Consistorio Sacræ Congregationis Emin. Cardinalium visa, & tolerata est.* Licet enim censura, & prohibitio solum afficiat directè hujus propositionis prædicatum, seu testimonium asserentis visam, & toleratam esse à Sacra Congreg. expositionem illam Bullæ Cænæ pro solis delictis publicis, tamen indirectè cathegoricam inclusam, saltem quoad regulares, comprehendit, aliàs non esset, cur ut scandalosa rejiceretur falsa testantis assertio. * Ita M. Moya.

797. Propter rationem ergo dubitandi à nobis propositam, non dicit absolutè eam sententiam sustineri non posse; sed fortè sustineri non posse. Quamvis enim eam rationem dubitandi solvat, non omninò solutioni fidit, siquidem non audet absolutè, eam sententiam sustinendam

dam non esse, asserere. Notandum tamen est, quòd propositio illa inclusa, quæ à Moya vocatur cathegorica, meliùs vocaretur hypothetica, cum sit propositio copulativa ex duabus cathegoricis composita.

798. Probabiliùs ergò ad quæstionem respondeo affirmativè. Probatur autem primò ex dictis in ratione dubitandi supra posita, ex qua deducitur, quòd non sit damnata sententia asserens Bullam Cœnæ solùm prohibere absolutionem hæresis, & aliorum criminum, quando publica sunt; sed tantùm enuntiationem illam de ea affirmantem, quòd visa, & tolerata est. Quòd confirmatur: quia damnatio propositionum est odiosa, ut omnes DD. supponunt, ac proinde strictè potiùs, quàm ample est intelligenda: sed propositio illa tertia damnata in omni rigore accepta affirmat de sententia illa explicata per propositionem copulativam, quòd visa, & tolerata sit, & nihil ampliùs: ergò id etiam, & nihil ampliùs damnatur.

799 Quamvis autem M. Moya prædictæ rationi dubitandi occurrat, dicendo eam propositionem, de qua affirmatur, visam, & toleratam esse, damnari indirectè, ut ex verbis ex ipso transcriptis constat; tamen fundamentum illius, videlicet, quòd, si sola enuntiatio in damnatione comprehenderetur, non damnaretur, ut scandalosa, non urget. Respondetur enim illam enuntiationem scandalosam esse; quia falsum testimonium impingere Sacræ Congregationi Cardinalium scandalosum valet reputari. Quòd fateri debere Moyam mihi probatur ex eò, quòd aliàs ea propositio damnata esset solùm scandalosa, quoad id, quòd in ea indirectè damnatur; minimè verò quoad id quòd damnatur directè: quòd videtur dici non posse; quia dùm decretum statuit singulas propositiones, & unamquamque illarum; ut minimùm, tanquam scandalosas esse damnandas, id de singulis quoad id, quòd in ipsis directè damnatur, intelligendum est.

800. Secundò probatur responsio. Quia, dato, quòd propositio hypothetica, quæ est subjectum propositionis damnatæ, damnaretur indirectè, ad justificandam damnationem sufficeret,

ret, quòd aliqua ex parte esset falsa, aut ex aliquo titulo. Tum sic: illa propositio indirectè damnata est copulativa: ergo sufficit, ut sit falsa, quòd una ex cathegoricis, ex quibus componitur, falsa sit: ergo sufficit, quòd sit falsa illa prima cathegorica: *Bulla Cœnæ solùm prohibet absolutionem criminum, quando publica sunt.* Nunc rursus sic: ea propositio potest esse falsa ex pluribus titulis, videlicèt, quia non solùm loquitur de criminibus, quando publica sunt, primò quoad Episcopos respectu suorum subditorum: secundò quoad Prælatos Regulares respectu etiam suorum subditorum: ac tertiò quoad confessarios Regulares respectu sæcularium: ergò sufficit, ut sit falsa, quòd ex isto ultimo titulo falsa sit; quia, scilicet quoad confessarios Regulares respectu sæcularium, falsum est, quòd de solis criminibus publicis Bulla Cœnæ loquatur: ergò adhuc admissa damnatione indirecta prædictæ propositionis necessarium non est asserere, quòd sit falsa, & improbabilis sententia affirmans Episcopos posse suos subditos absolvere à casibus occultis Bullæ Cœnæ. Si autem necessarium non est id asserere in vi dictæ condemnationis, asserendum non est, quia, cum damnatio propositionum sit odiosa, extendenda non est ad ampliùs, quàm ad id, quòd necessarium est ad propositionem damnatam falsificandam, & damnatione dignam constituendam.

801. Dices tamen: quando ex pluribus titulis propositio aliqua esse potest falsa, & non est major ratio, cur judicetur falsa ex uno potiùs, quam ex alijs, ex omnibus falsa, & damnata intelligi debet eo ipso, quòd indistinctè damnetur. Sed prima pars propositionis hypotheticæ, quæ est subjectum propositionis damnatæ, & quam damnari indirectè admittimus, potest esse falsa ex tribus titulis, videlicèt, primò, quia sit falsum, quòd Bulla Cœnæ loquitur solùm de casibus publicis, quoad Episcopos: secundò, quia sit falsum, quòd de illis solùm loquatur quoad Prælatos Regulares respectu suorum subditorum: tertiò, quia sit falsum, quòd de illis solùm loquatur, quoad confessarios Regulares respectu sæcularium: & non est major ratio cur ex uno titulo ex istis

ex istis sit falsa propositio potiùs, quàm ex alijs: ergò ex omnibus est falsa judicanda, & quoad omnes indirectè damnata.

802. Sed respondetur concedendo majorem, & negando minorem, quoad secundam ejus partem, quia, ut sit falsa prima pars propositionis hypotheticæ indirectè damnatæ, quia falsum est, quod Bulla Cœnæ loquatur solùm de casibus publicis; quoad confessarios regulares respectu sæcularium, specialis militat ratio, quæ in illis vim habere potest, etiamsi eam non habeat comparatione facta ad Episcopos, & Prælatos Regulares respectu suorum subditorum. Ea autem ratio est speciale decretum Sac. Congreg. editum jussu Urbani VIII. quòd ex M. Moya memoravimus supra nu. 796. & habemus transcriptum *in tract. de duello disp. 5. quæst. 17.* Unde quòd comparatione confessariorum Regularium respectu sæcularium sit falsum, quòd Bulla Cœnæ loquatur solùm de casibus publicis, habet ex una parte speciale fundamentum, & ex alia sufficit, ut prima propositionis hypoteticæ pars sit falsa, & damnabilis, ac damnata; & consequenter, ut tota hypotetica falsa, damnabilis, ac damnata sit: quia juxta summulisticas regulas, quòd sufficit ad falsitatem unius propositionis ex his, quibus hypothetica componitur, sufficit etiam ad totius hypotheticæ falsitatem.

803 Unde colliges, quòd propositio ista: *Bulla Cœnæ non derogat facultati Tridentini concedentis Episcopis absolutionem à casibus occultis*, damnata non est adhuc indirectè; quia licet contineatur in illa hypothetica, quæ est subjectum propositionis damnatæ, & admiserimus eam esse indirectè damnatam, sufficit, ut justè damnata sit, quòd prima cathegorica, ex qua constat, sit falsa & damnata, quin altera cathegorica falsa aut damnata dici debeat, ut dictum manet.

804. Tenet autem nostræ responsionis doctrinam post prædictum Alexandri VII. decretum M. Moya *cit. tract.* 3 *disp.* 8. *quæst.* 5. in qua etiam ea omnia, quæ in secunda probatione diximus, sparsim tradere videtur. Præterea nostram absolutè tenet responsionem P. Torrecilla in explicatione dictæ 3. propositionis, quàm habet *in tom. de potestate*

*testate DD. Episcoporum tract.* 1. *quæst.* 1. *sect.* 2. *diff.* 2. *à num.* 21. Ipse tamen concedit cum M. Moya propositionem, quæ est subjectum enuntiationis directè damnatæ, damnari indirectè. Quomodo autem ea indirecta damnatio non opponatur suæ sententiæ, & nostræ, ipse non explicat, sed tantùm affert explicationem, quàm refert, etiam ex alijs M. Lumbier, & concludit, quòd suæ sententiæ faveant DD. à Lumbier relati (suppressis quidem omnibus) unde, cum ipse aliam rationem non afferat, eam sequi, aut approbare conijcere possumus eâdem, aut potiori ratione; quâ ipse eam approbare Lumbierium conijcit n. 29. sed mihi ea ratio non placet; quia aliena videtur à literali propositionis contextu. Magìs autem placet id, quòd ex eodem M. Lumbier refert, scilicèt nostram sententiam oppositæ præferendam suaderi valdè ex eo, quòd nostra sit in cruciatæ favorem, opposita verò in ejus præjudicium, ut constabit ex dicendis quæstione sequenti. A fortiori autem pro nostra hujus quæstionis resolutione militant ea, quæ ex Licẽtiato Prado afferemus infra ad finem quæstionis 8. n. 819.

805. Plura alia, quæ ad facultatem dictam Episcoporum absolvendi à casibus occultis Pontifici reservatis pertinent, poterant hîc tractari; sed quia potiùs pertinent ad tractatum de excommunicatione, eà omittimus. Videantur in N. P. Leandro *tom.* 4. *tract.* 2. *disp.* 17. *præsertim* § 2. & meum compendium illius à num. 699.

## *QUÆST. VII. DE PRIvilegio Bullæ Cruciatæ, ut eam accipientes absolvantur à reservatis.*

806. Circa hujus quæstionis materiam primò dicendum est pœnitentem habentem Bullam Cruciatæ posse absolvi à quibusvis casibus, & censuris Papæ reservatis, per quemlibet confessarium approbatum, semel in vita, & semel in mortis articulo, excepto tamen hæresis crimine. Ratio est, quia sic expresse in Bulla conceditur.

807. Circa istud tamen privilegium dubitabis primò, an virtute illius possit pœnitens absolvi non solùm semel ab uno, vel pluribus casibus Pontifici reservatis;

vatis; sed etiam sæpè, ita tamen, ut nunc ab uno, nunc ab alio, & tertio ab alio &c. absolvatur: ita, scilicet, ut quamvis sæpissimè, à reservatis absolvatur; hoc fiat casus variando ita, ut ab eodem in specie bis non absolvatur, quamvis à diversis sæpissimè, toties, scilicet, quoties occurrant diversi a jam semel absolutis virtute illius Bullæ.

808. Responsionem affirmativam tenent aliqui, suppressis nominibus relati à Ludovico à Cruce *disp.* 1. *in Bullam cap.* 3. *dub.* 13. & à nostro Ludovico à conceptione *tom.* 1. *examinis tract.* 5. *quæst.* 3. *num.* 37. Cui etiam favet Bardi, licèt, quia ejus non invenit authorem, oppositam, quæ communis est, amplectatur. Sed eam responsionem affirmativam, ut certè probabilem docet N. P. Leander *tom.* 4 *tract.* 2. *disp.* 17. § 3. *quæst.* 82. Videantur in ipso ejus probationes, quæ proculdubio sufficiunt ad ejus probabilitatem stabiliendam. Novissimè autem tenet eamdem responsionem M. Lumbier *tom.* 1. *p.* 288. *num.* 278. & probabilem reputant P. Fr Jacobus de Corella *in sua praxi confessionarij tractat.* 2. *pag.* 16. *num.* 10. & *Tambur. lib.* 5. *tract. de cas. res. cap.* 12. § 5. *num.* 2.

809. Secundò dubitabis, quid facere possit, qui semel virtute Bullæ absolutus fuit ab aliquo casu Papæ reservato, & iterum incidit in ejusdem speciei reservatum.? Respondeo tunc posse accipere secundam Bullam, ut secundò ab illius speciei casu absolvatur. Etsi post istam absolutionem iterum, sivè tertiò incidat in ejusdem speciei reservatum, non poterit tertiam Bullam sumere, ut tertiò absolvatur, quia solùm secundò posse à reservatis absolvi sumendo secundam Bullam, concessit Gregorius XIII. non verò tertiò sumendo tertiam. Quid ergò faciet? Respondet N. P. Leander *l. c. quæst.* 83. non esse improbabile, quòd possit tertiò, aut etiam sæpiùs absolvi virtute Bullarum præteritarum, si eis in annis præteritis pro absolutione à reservatis non est usus. Quàm sententiam tenet absolutè Navarrus *lib.* 5 *consil. sit de privileg. consil.* 17. *per totum.* Eique apud N. P. Leandrum favent Trullench, Machado, & Henriquez: & expresè, & absolutè eam tenet Illustr: M. Fr: Acacius

March de Velasco *tom.* 1. *resol.* 5. *num.* 5. Quamvis novissimè Tambur. *l. c. num.* 5. improbabilem immeritò judicat.

810. Notandum tamen, quòd juxta communem sententiam asserentem non plùs, quàm semel à reservatis Papæ posse pœnitentem absolvi in vita, etiamsi diversos casus habeat ab illis, à quibus fuit semel absolutus, sæpiùs occurret necessitas sumendi secundam Bullam pro secunda absolutione, & similiter utendi præteritis, quibus non sit usus, pro tertia absolutione, aut & jam quarta. Juxta sententiam verò oppositam, quàm probabilem diximus, rariùs, aut rarissimè ea necessitas occurret.

811. Secundò dicendum est, quòd à casibus reservatis cuicumque alteri præter Pontificem potest absolvi pœnitens non semel tantùm, sed toties quoties opus sibi fuerit, quia sic Bulla concedit. Undè colliges, quòd poterit absolvi toties, quoties à quovis approbato à casibus omnibus Papæ reservatis, etiam in Bulla Cœnæ, dum fuerint occulti. Ratio est quia, dum occulti sunt, tales casus non sunt Papales, & Papæ reservati; sed Episcopales, seu reservati Episcopis; siquidem jus commune Tridentini concedit Episcopis, ut ab eis absolvant. Undè stando in terminis Bullæ etiam ab hæresi occulta posset toties quoties absolvi. Nequaquam tamen à tali hæresi occulta absolvi modò potest in regnis, in quibus Sanctæ Inquisitionis Tribunal reperitur; eò, quòd in eis ad tale Sanctum Tribunal pertinere, ita ut nec per Bullam alius possit absolvere, nec etiam per Jubileum, nisi aliter in ipso expressè declaretur, ex varijs indultis, & declarationibus Pontificijs constet. Vnde, qui virtute Bullæ, aut Jubilei aliquem ab hæresi occulta absolveret, graviter; & meritò ab Inquisitionis, Tribunali puniretur.

812. Inquires tamen primò, quinam dicantur casus occulti, tum in hac conclusione, tum in conclusione 4. quæstionis quintæ præcedentis? Respondeo in primis non dici casus internos purè; quia huiusmodi casus nullam reservationem habent: unde ab hæresi purè interna quilibet confessarius absolvere potest, adhuc absque Bulla, aut alio privilegio. Igitur aliqui deinde

inde existimant, casum occultum in præsenti dici, quando, etsi externus sit, à nemine tamen scitur, nisi ab ipso pœnitente. Ab alijs verò dicitur occultus casus, dum non potest in judicio probari, quamvis ab aliquo sciatur. Probabiliùs tamen est, quòd dicatur casus occultus, dum notorius non est; sic enim communiter accipi solet distinctio inter delicta publica, & occulta. De quo latius ago *in tract. de Duello disp.* 5. *q.* 8. qui tractatus est quintus operis, in quo laboro quæstionum in quintum Decalogi præceptum, opera N. P. Leandri prosequendo consimili stilo ei, quem servavit N. P. in octo tomis quibus potimur, utinam consimili eruditione, & dexteritate.

813. Secundò inquires; an regulares virtute Bullæ Cruciatæ absolvi possint à casibus suis Prælatis reservatis sine licentia ipsorum? Respondetur negativè cum N. P. Leandro disp. 12. qu. 18. nisi habeant tacitam saltim illorum licentiam. Ratio est: quia non esse mentem Pontificum talem concedere regularibus facultatem plures Pontificum declarationes testantur. Expressiùs tamen, & universaliùs id declarat decretum Vrbani VIII. editum anno 1630. Nota tamen 1. quòd, ut Religiosus absolvatur virtute Bullæ à casibus Prælato reservatis, probabile est, quòd sufficiat licentia tacita. Secundò nota, quòd, adhuc sine ulla licentia, non caret probabilitate, quòd possit absolvi, eò quòd de prædicto decreto supplicatum esse Pontifici per Regem Hispaniæ testatus fuit N. P. Leandro Illustr. Araujo. Quamvis autem hanc probabilitatem à N. P. concessam impugnare conatus sit P. Mendo, optimè tamen se expedit ab illius impugnationibus in secunda editione, ita, ut ex illarum solutione, magìs adhuc probabilis appareat ea sententia, quàm N. P. in prima editione contenderat.

814. Denique nota, quòd de probabilitate prædictæ sententiæ consultus fui paucis ab hinc annis à confessario docto, & timorato. Cum enim videret in dies authores Societatis eam probabilitatem acerrimè negare, scrupulum incurrit eò, quòd confessionem alicujus audiendo se illi conformaverit, & à me quæsivit, an benè fecerit, & an idem

idem præstare posset, si forsan iterum casus occurreret. Respondi consulenti rectè ipsum fecisse conformando se opinioni pœnitentis, & rectè etiam facturum se illi conformando semper, ac similiter casus occurreret. Tum quia forsan pœnitens habebat licentiam tacitam ad sumendam Bullam, & illa utendum pro absolutione à reservatis. Tum etiam, quia ab Authoribus Societatis non mirum, quòd improbabilis habeatur, & doceatur dicta opinio; quia putant se obsequium præstare Deo eam opinionem, ejusque probabilitatem impugnando, & meritò, quia ipsis prohibitum est in sexta Congregatione Generali decreto 5. ne ullus eam teneat, vel in praxi sequatur. Quòd autem ipsi ejus probabilitatem impugnare conentur, ut longiùs sint â transgressione præcepti, non reddit dictam sententiam improbabilem, dùm ejus improbabilitatem non ostendunt.

815. Sed quia adhuc in dies scrupulis patere potest aditus, num dicta opinio probabilis judicari possit; cùm non solùm in Authoribus Societatis, sed etiam in M. Lumberio ea inveniatur, ut improbabilis reputata: qui conatu magno in eam invehitur, & in authores ejus probabilitatem affirmantes, iterum, atq; iterum eos, eorumque sententiæ probabilitatem eliminare, & omnibus improbabilitatem ejusdem, totis visceribus, persuadere cupiendo. Proderit animadvertere, quòd, si unus iste extra Societatem inter nostri temporis R. R. eam improbabilem asserit, plures ejus probabilitatem denuò confirmant. Et in primis eam sententiam laxiorem saltim respectu Confessariorum ejusdem ordinis, qui pro reservatis non habent facultatem, tenent ex eodem ordine Carmelitano M. Bernardus de Hozes in quæstione speciali appendice ad 1. propositionem ex damnatis ab Innocentio XI. & apud ipsum P. Andreas à Matre Dei Carmelitanus Excalceatus. *tom. 4. curs. moral. tract. 18. p. 2. §. 7. num. 10.* & uterque miratur, *eam opinionem PP. Societatis tam acri censura inurere, ut illam improbabilem dicant.* Sed potiori ratione mirarentur, si eam censuram in suo Carmelitano Lumberio vidissent. Qui eam censuram illi præsertim præbet. *tom. 2.*

*fragm. 8. de dubiis regularib.* § 3. *p. mihi* 953. *à n.* 1470. *& to.* 3. *in explicatione* 1. *propositionis ex damnatis ab Innocentio P. mihi* 26. *à nu.* 35.

816. Præter duos prædictos Carmelitanos, quorum alter saltim modernior est Lumberio, ei objicio unum Capuccinum, videlicet P. Martinum de Torrecilla, qui *tract.* 2. *consultationum moralium consult.* 5. latè rem examinat per 16. folia magna, & perpensis fundamentis pro utraque parte, etiam illis, in quibus magìs insistunt Moya, & Lumberius, decidit tandem totam quæstionem duabus conclusionibus. Prima, quàm habet n. 137 est: opinionem laxiorem esse non solùm probabilem, sed evidenter probabilem, non tantùm speculativè, sed etiam practicè. Secunda conclusio, quàm tradit num. 190. asserit, quòd, quamvis dicta laxior sententia sit probabilis intrinsecè, & extrinsecè speculativè, & practicè, nihilominùs opposita est multò probabilior, & verior, & in praxi consulenda, præsertim Religiosis, quibus prohibitum est Bullam accipere, aut uti illa in ordine ad eligendum confessarium pro reservatis.

817. Dùm ergò aliud à Sede Apostolica non declaratur, non video, cur improbabilem censere debeamus sententiam laxiorem, cui non desunt rationes probabiles, nec probabilis solutio eorum, quæ contra illam objiciuntur, nec denique authoritas extrinseca, cum eam sententiam teneant, vel ut veram, vel ut probabilem plùs quàm 60. AA. ( ex quibus plusquam 30. post decretum Vrbani VIII. scripserunt ) quæ omnia videri possunt in præcitato M. Bernardo de Hozes, & latius in citato etiam P. Martino Torrecilla. Hæc satis de quæstione nostris Religiosis non necessaria, quia in nostro Discalceatorum SS. Trinitatis ordine nullus adhuc invenitur casùs reservatus, de quo gratias agimus SS. Trinitati.

818. Tertiò inquires, an etiam post decretum Alexandri VII. possit pœnitens absolvi toties quoties virtute cruciatæ à casibus occultis contentis in Bulla Cœnæ. Negabit Cardenas qu. 6. relatus; quia, juxta doctrinam ibi ex ipso transcriptam, Episcopi post decretum Alexandri VII. non possunt absolvere à casibus occultis Bullæ Cœnæ: ergò tales

les casus occulti post decretum Alexandri non sunt Episcopales, sed Papæ reservati. Sed à casibus reservatis Papæ non potest confessarius virtute cruciatæ absolvere toties quoties; sed tantùm semel in vita, & semel in articulo mortis: ergò ab omnibus casibus occultis Bullæ Cœnæ, virtute cruciatæ tantùm poterit confessarius absolvere semel in vita, & semel in articulo mortis. Quare negativam sententiam consequenter tenebunt reliqui pro eadem sententia q. 6. relati.

819. Sed probabiliùs respondeo affirmativè, supposito, quòd supponendum est ad hanc quæstionem examinandam, videlicèt, quòd ante prædictum Alexandri VII. decretum probabilior judicabatur à plurimis saltem affirmativa responsio. Probatur autem responsio; quia adhuc post decretum Alexandri VII. Episcopi possunt absolvere à casibus occultis Bullæ Cœnæ, ut diximus quæst. 6. præced. ergò adhuc post tale decretum casus Bullæ Cœnæ occulti sunt casus Episcopales: sed à casibus Episcopalibus absolvere potest confessarius virtute cruciatæ toties quoties: ergò toties quoties absolvere poterit à casibus occultis Bullæ Cœnæ. Ubi advertes qualiter sententia à nobis quæst. præcedenti propugnata sit in cruciatæ favorem, & opposita in ejus præjudicium, ut notabamus num. 804.

820. Nostram responsionem post Alexandri decretum tenet M. Moya q. 5. cit. præsertim n. 3. Vbi asserit, quòd omnes, & quicunque casus Papales occulti, etiam hæresis, sunt Episcopales, & ab eis possunt absolvere quicunque privilegium habent absolvendi à casibus Episcopis reservatis. Vnde infero ergò, quòd cum ratione Bullæ possit confessarius absolvere à casibus Episcopis reservatis, poterit utique à quibuscumque casibus Papalibus occultis, etiam Bullæ Cœnæ, immo etiam hæresis absolvere, ubi non adest Sanctum Inquisitionis Tribunal; quia in Regnis, in quibus illud adest, ad ipsum pertinet absolutio ab hæresi etiam occulta, ita ut alius non possit ab ea absolvere etiam per Bullam, neque adhuc per Jubileum, nisi aliter in ipso expresse declaretur, ut diximus in hac quæstione num. 811. reliqua autem

tem quæ hîc poterant desiderari circa absolutionem à censuris virtute Cruciatæ habentur in N. P. Leandro *tom. 4. de censuris tr. 2. disp. 17. §. 3.* & in meo illius compendio habentur à n. 707.

## *QVÆST. VIII. A QVIbus casibus reservatis absolvere possint regulares. Vbi propositio 3. à SS. P. N. Alexandro VII. damnata ampliùs explicatur, & qualiter 12. sit explicanda indicatur.*

821. PRo hujus quæstionis resolutione dicendum est posse confessarios regulares absolvere sæculares ab omnibus casibus Pontifici reservatis, etiam publicis, exceptis contentis in Bulla Cœnæ. Constat conclusio ex privilegio Pauli III. Societati JESU concesso, de quo testantur M. Petrus de Murga *tom. 1. disquis. moral. de sepult. disp. 11. dub. 17. num. 51. & Castro Palao tom. 4. tract. 23. disp. unic. punct. 14. num. 6. & 14.* Qui etiam addit privilegium Gregorij XIII. Hanc conclusionem tenent communiter Doctores, quorum plures commemoro *in tract. de duello disp. 5. quæst. 14.* Videatur Illustr M. Acacius March de Velasco *tom. 1. resol. 7. per totam*, & alij apud ipsum.

822. Notandum tamen est, 1. positam conclusionem esse universaliter veram extra Italiam, & etiam in Vrbe Roma; intra Italiam verò extra Vrbem, præter casus Bullæ Cœnæ, alios sex excipiendos esse à quibus regulares absolvere non possunt ex decreto Clementis VIII. edito anno 1601. & declarato, ac moderato anno 1602. Casus autem sunt sequentes. *Violationis immunitatis Ecclesiasticæ in terminis constit. fel. record. Gregorij XIV. quæ incipit, cum aliàs nonnulli: violationis clausuræ Monialium ad malum finem. Provocantium, & pugnantium in duello, juxta decretum Concilij Tridentini, & constit. fel. record. Gregorij Papæ XIII. incipientem, ad tollendum. Injicientium violentas manus in Clericos, juxta can si quis suadente, & cap. 17. quæst. 4. ac juris dispositionem. Simoniæ realis scienter contractæ; atque etiam confidentiæ beneficialis.*

823. Secundò notandum est facultatem, quàm habent regulares absolvendi à casibus Pontifici re-

fici reservatis partim esse majorem, quàm ea, quæ habetur ratione Bullæ Cruciatæ, & partim minorem. Est utiq; major, quia in ordine ad omnes casus reservatos, præter contentos in Bulla Cœnæ, non habet limitationem ad semel in vita, & semel in articulo mortis, quàm habet facultas concessa per Bullam; sed toties, quoties, ab eis absolvere in foro conscientiæ possunt. Est verò minor, quia, comparatione facta ad casus Bullæ Cœnæ publicos, nullam potestatem habent Regulares; ratione autem Bullæ absolvi possunt eam habentes semel in vita, & semel in mortis articulo ab omnibus casibus in ea Bulla Cœnæ reservatis, hæresi excepta, sicut ab alijs extra eam Bullam Papæ reservatis.

824. Inquires autem primò, an Prælati Regulares post decretum Alexandri VII. de quo supra quæst. 6. possint suos subditos absolvere à casibus Bullæ Cœnæ, si sint occulti. Negativam sententiam tenere P. Cardenas constat ex quæst. 6. siquidem idem de Episcopis negat, ibi, ejus transcriptis verbis, vidimus, cujus doctrina æquè, ad minùs, casum quæstionis præsentis comprehendit, ac casum illius. Idemque consequenter dicendum de reliquis authoribus pro negativa sententia ibi citatis.

825. Sed probabiliùs respondeo, supposita probabilitate sententiæ affirmantis posse ante tale decretum, esse etiam post illud probabile, quòd possint. Ratio est: quia, ut vidimus ea quæst. 6. in propositione 3. ab Alexandro damnata, aut damnatur solùm enunciatio, quâ de sententia in ea commemorata dicitur, quòd visa, & tolerata est; aut, si etiam damnatur indirectè ea sententia, & propositio de materiali inclusa, sufficienter salvatur ejus condemnatio, si dicatur eam esse falsam, quoad confessarios Regulares respectu sæcularium, quin sit necessarium eam damnatam intelligi, quoad Episcopos, & Prælatos Regulares respectu suorum subditorum: ergò, supposita probabilitate sententiæ asserentis Prælatos Regulares posse ante decretum absolvere suos subditos à casibus Bullæ Cœnæ occultis, probabile etiam est post dictum decretum, quòd eos pos-

ſint à prædictis Bullæ Cœnæ caſibus occultis abſolvere. Quare reſponſionem noſtram, etiam poſt dictum decretum, ut probabilem tenet M. Moya quæſt. 5. cit. num. 7.

826. Nota tamen hic primò hæreſim, etiam occultam, excipiendam eſſe à reſponſione noſtra in Regnis, in quibus viget Sanctum inquiſitionis Tribunal; in illis enim nec ſubditos ſuos abſolvere poſſunt ab hæreſi, quantumvis occulta, niſi obtenta facultate à Dominis Inquiſitoribus, & in eorum defectu à Dominis Epiſcopis, modò ad hoc faciendum non ſint prohibiti. Secundò nota me in compendio operum N. P. Leandri num. 699. 700. & 705. addidiſſe limitationes quaſdam ſententijs N. P. Leandri propter prædictam 3. propoſitionem ab Alexandro damnatam, quas ex mente aliorum additas eſſe declaro; juxta dicta namque in hac, & in 6. quæſtione præcedenti minimè neceſſariæ ſunt.

827. Secundò inquires, an poſt dictum decretum Alexandri VII. poſſint confeſſarij Regulares abſolvere Sæculares à caſibus Bullæ Cœnæ occultis. Negativam ſententiam tenere P. Joannem de Cardenas, & quidem à fortiori, conſtat ex doctrina ipſius ſupra quæſt. 6. à nobis relata, & in hac quæſt. iterum memorata: eamque placere P. Matthæo de Moya extraſcriptis ipſius verbis eadem q. 6. non minùs conſtat. Quàm à fortiori etiam tenet Licentiatus Prado ibidem memoratus, & alij apud ipſum.

828. Sed probabiliùs reſpondeo affirmativè. Probatur 1. Quia licet in decreto Urbani VIII. quæſt. 6. memorato ſtatuatur. * Per confirmationes privilegiorum, quas Regulares à Sede Apoſtolica obtinuerunt poſt Sacroſanctum Concilium Tridentinum nequaquam revixiſſe privilegia, priùs ab eodem Concilio, ac deinde etiam ipſius Congregationis decretis ſublata, atque extincta, ſi quæ habebant abſolvendi à caſibus Ordinario loci reſervatis. Quemadmodum, nec indulta abſolvendi à caſibus contentis in Bulla, quæ in die Cœnæ Domini legi conſuevit, utpote ſublata per annuam ipſius Bullæ publicationem, vires, aut robur acquiſiviſſe ex ſubſequentibus privilegiorum

giorum confirmationibus * licet, inquam, hoc ſtatuatur, cum nihil dicatur de caſibus Bullæ Cœnæ occultis, & poſſet, quis contendere, quòd haberent regulares privilegia abſolvendi etiam à caſibus publicis Bullæ Cœnæ, non improbabiliter dicebatur à pluribus, quos refert M. Moya q. 6. relatus iſtud decretum intelligi debere de caſibus Bullæ Cœnæ publicis non de occultis.

829. Cum autem in reſponſione data ad quæſtionem 6. in ejus prima probatione dixerimus hanc expoſitionem non excludi per damnationem tertiæ propoſitionis ex contentis in Alexandri decreto, eò quòd propoſitio affirmans Bullam Cœnæ loqui solùm de caſibus publicis, materialiter intrat propoſitionem damnatam, & in ea solùm damnatur enunciatio illa, quâ aſſeritur propoſitionem ſive ſententiam illam viſam, & toleratam eſſe: fit inde, quòd aut ea probatio prima noſtræ reſponſionis probabilis non ſit, aut ſit probabile, quòd ea expoſitio decreti Urbani VIII. etiam poſt decretum Alexandri VII. probabilis ſit, ac proinde, quòd ſit probabile, quòd Regulares confeſſarij poſſunt etiam poſt Alexandri decretum abſolvere ſæculares à caſibus Bullæ Cœnæ, occultis.

830. Secundò probatur noſtra reſponſio. Quia, dato, quòd per decretum Urbani VIII. excludatur facultas Regularium abſolvendi ſæculares à caſibus Bullæ Cœnæ, ac dato etiam, quòd per decretum Alexandri VII. præcludatur facultas illud intelligendi solùm de caſibus publicis, his, inquam, datis, fiet inde, quòd Regulares confeſſarij virtute privilegiorum abſolvendi à caſibus Bullæ Cœnæ, non poſſint Sæculares ab eis abſolvere, etiamſi ſint occulti; tamen nec per decretum Urbani VIII. nec per ſubſequens Alexandri VII. aufertur à Regularibus privilegium abſolvendi à caſibus Epiſcopalibus. Tunc ſic. Ergo virtute privilegiorum abſolvendi ab iſtis, poterunt abſolvere ſæculares à caſibus occultis Bullæ Cœnæ. Probatur iſta conſequentia; quia, ut vidimus quæſt. 6. & 7. præced. caſus occulti Bullæ Cœnæ, etiam poſt decretum Alexandri, ſunt Epiſcopales.

831. Dices tamen falſo nos ſuppo-

ſupponere, quòd nec in decreto Urbani VIII. nec Alexandri VII auferatur à Regularibus privilegium abſolvendi à caſibus Epiſcopalibus; cum potiùs in utroque ea facultas eis auferatur, aut ablata decernatur. Et quidem de decreto Urbani conſtat ex ipſius verbis ſupra relatis. De decreto verò Alexandri ex 12. propoſitione in ipſo damnata, quæ talis eſt. *Mendicantes poſſunt abſolvere à caſibus Epiſcopis reſervatis, non obtenta ad id Epiſcoporum facultate.*

832. Sed reſpondetur in utroque decreto auferri, aut decerni ablatam Regularibus facultatem abſolvendi a caſibus Epiſcopis reſervatis; intelligi tamen de caſibus, quos ipſi Epiſcopi ſibi reſervant; non verò de illis, qui à jure communi ipſis reſervantur: caſus autem occulti Bullæ Cœnæ ſunt Epiſcopis reſervati iſto ſecundò modo, jure, videlicet communi Tridentini, ac proinde per nullum ex dictis decretis aufertur, vel declaratur ablata facultas ab eis abſolvendi. Quòd autem in dictis decretis non ſit ſermo de caſibus Epiſcopis jure communi reſervatis probare conati ſumus, in tomo, quem paramus ſupra quintum decalogi præceptum.

833. Favet autem reſponſioni noſtræ Moya, quatenus, dum refert doctrinam illorum, qui decretum Urbani VIII. intelligebant ſolùm de caſibus Bullæ Cœnæ publicis, non aſſerit, quòd ſuſtinenda non ſit: ſed ſolùm, quod fortè ſuſtineri non poſſit. Deinde defendit idem M. *Moya diſp. 8. quæſt. 6. num. 16.* expoſitionem memoratam propoſitionis 12. ex damnatis ab Alexandro VII. excipit tamen ab ea n. 17. caſus occultos Bullæ Cœnæ; quia, etſi fateatur illos eſſe Epiſcopales jure communi Tridentini, judicat ab eis Regulares abſolvere nequire; eò quòd à caſibus Bullæ Cœnæ, etſi occulti ſint, abſolvere nequeant virtute privilegiorum. Sed ego fateor hoc verùm eſſe, attentis privilegijs abſolvendi à caſibus Bullæ Cœnæ; non tamen attentis privilegijs abſolvendi in univerſum à caſibus Epiſcopis jure communi reſervatis; quia, quòd iſta ſint ſublata, & non revixerint, non ſatis denotatur in decreto Urbani VIII. nec in decreto Alexandri VII. datur fundamentum ad iſtam exceptionem.

Omnia

834. Omnia autem dicta in hac quæstione, & tribus præcedentibus ita mirificè confirmantur per ea, quæ affert licentiatus Prado, post defensatam sententiam nobis oppositam, ut ea transcribere magnopere expedire judicaverim. Sic ergo fatur l. c. à. n. 8.

835. Quamvis dicta circa istam propositionem tertiam iudico esse mentem genuinam N. SS. P. Alexandri VII. & quod sequi debet; tamē non deest qui Summi Pontificis damnationem benigniùs interpretetur, taliter quòd non damnet sententiam, sed tantùm quod dicatur, quod * visa, & tolerata est in Consistorio Sacr. Congr. Eminentis: Cardinal: * Hujus assensus est Cursus Moralis tract. 18. de Privilegijs cap. 4. puncto 2. § 11. ubi interrogat si modò regulares possunt à casibus, & censuris occultis Bullæ Cœnæ? Ad quod num 128. ita respondet. * Dicendum est posse Regulares confessarios absolvere Sæculares ab omnibus casibus, & censuris, quæ in Bulla Cœnæ Domini continentur, hæresi excepta, si occulti sint, id est, non publici, aut notorij. * Quam sententiam probat, & roborat gravibus Authoribus; & respondet aliquibus objectionibus sibi objectis; inter quas adduxit pro objectione istam tertiam propositionem damnatam ab Alexandro VII; & respondet ad illam hisce gravibus verbis, quæ maximè sunt ad rem.

836. * Sed in tali decreto nullo modo prohiberi sententiam istam, quàm nunc amplectimur, gravissimi Magistri hujus Salmantinæ Academiæ, inter quos tres Primariæ Cathedræ Moderatores, quos circa hoc consuluimus, unanimiter senserunt, nec prohibitionem, & censuram Alexandri Cathegoricam illam propositionem afficere: Facultas Tridentini, in qua de occultis criminibus sermo est, per Bullam Cœnæ non revocatur, sed illud prædicatum, in consistorio Sacræ Congregationis visa, & tolerata est. Non defuerunt enim aliqui Doctores, quos supra num. 124. dedimus, qui dicebant regulares, & Episcopos ab omnibus casibùs Bullæ Cœnæ occultis etiam ab hæresi posse absolvere; & talem opinionem in judicio contradictorio visam esse in Consistorio Sacræ Congrega-

gregationis Eminentissimorum Cardinalium; & post longam discussionem; ab ea toleratam esse, ut probabilem: quod reijcit, & condemnat, ut falsum, & scandalosum Alexander VII. non vero ipsam propositionem, supra quam illa falsa impositio cadebat. Quemadmodum si Pontifex hanc propositionem censuraret: * scientia media à D. Thoma, & D. August. visa & sequuta est: * non ob id aliquis diceret, ex vi hujus prohibitionis, scientiam Mediam manere censuræ obnoxiam, sed illud prædicatum tantùm, quod dicatur visam, & sequutam à D. Augustino, & D. Thoma. Eodem modo dicimus in præsenti. Et quidem mirum est Alexandrum VII. duplici decreto quadraginta & quinque prohibuisse propositiones, omnes manifestè, clarè, absque ulla ambiguitate aut reflexione, & solùm istam, quàm majori cum expressione debebat apponere; siquidem per illam gravissimum decretum Tridentini videbatur revocare pro Dominis Episcopis adeo favorabile, & pro tota Hispania, & omnibus Regnis, in quibus receptum est Tridentinum cum omnibus suis oneribus, & privilegijs, adeo gratiosum; & condemnare sententiam usque ad illud tempus, ut probabilissimam sequutam á tot, tantisque scriptoribus doctissimis; cum illa reflexione, & quasi ambage proponeret. Quod manifestè indicat suam mentem non fuisse propositionem illam, & sententiam condemnare, sed nè diceretur, cum illa amplitudine à Sacra Congregatione approbatam esse, de medio tollere. Etsi alia fuit intentio Pontificis, illius dispositioni omnino obtemperantes, quæ hucusque diximus libenter retractamus; * Idem sentit Joannes à Spiritu S. in manuscriptis propos. 3. Videatur Arana in advertentijs ad propositiones Alexandri VII. fol. mihi 502. &c.

837. Hæc interpretatio (quia illam defendit Cursus Moralis postquam consuluit gravissimos Magistros Universitatis Salmanticensis, & inter illos tres Cathedraticos primarios, & quia in sufficienti fundatur ratione; atque tandem, quia nullatenus opponi videtur verbis damnationis) potest ut secura sequi, quousque aliquid aliud in contrarium

trarium

trarium à Summo Pontifice non declaretur; quia tunc omnes subiici debent tali declarationi, ut subijceremur modò, si ejus mentem sciremus. Sed quia dicta damnatio admittit varias interpretationes, quia est ambigua, quisque sequi poterit illam, quæ ipsi placuerit, dum sit benè fundata, uti revera est ista, quàm affert Cursus moralis. Sed nostra tutior est, ac conformior menti N. S. P. Alexandri VII. Ita Licentiatus Prado.

838. Ubi, ut vidisti, jam Prado in nostram sententiam inclinat, & illam saltim judicat probabilem, & apud ipsum eam absolutè tenent Joannes à Spiritu Sancto, & cursus Moralis ac DD. ab authore istius consulti, retractando oppositam, pro qua uterque à Prado citatus fuerat; cum modo dicant, non damnari propositionem illam, de qua enuntiatur visam, & toleratam esse, quam ipsi cum Moya cathegoricam vocant; ego vero hypotheticam dixi. Et modo addo, quod propositio damnata est verè cathegorica, & simplex; propositio verò, quæ de materiali, & ut subjectum illius se habet, est composita, & copulativa; siquidem constat ex duabus propositionibus simplicibus per particulam, & copulatis.

839. Quod verò propositio sivè enunciatio directè juxta omnes damnata, sit cathegorica, & simplex constat mihi, quia in ea tantùm datur unicum subjectum, quod est tota propositio copulativa, cum sua copula, &, & cum copulis suis enunciativis, de qua enuntiatur visam, & toleratam: una copula, videlicèt, est, quod ponitur post ly *visa, & tolerata*: & unum prædicatum, scilicèt, visa, & tolerata. Nec refert, quòd ista sint duo prædicata conjuncta per particulam, &, ac proinde dicenda potiùs propositio composita, & copulativa, quam simplex. Contra enim est, quòd dum particula, & non conjungit duas propositiones, sed duo prædicata, non potest constituere propositionem copulativam; sed tantùm cathegoricã, & simplicem; de prædicato tamen complexo, & copulato per particulam &, quod non tollit simplicitatem propositionis, ut patet in propositione ista: *Petrus est albus, & rationalis*, quæ non est hypothetica, & copulativa, sed simplex, & ca-

& cathegorica.

840. Id tamen, quod nos asservimus, uidelicèt, quòd, dato, quod indirectè damnaretur propositio illa copulativa, locum adhuc habeant responsiones in hac, & duabus præcedentibus quæstionibus à nobis datæ eò, quòd sufficiat eam copulativam esse falsam, & scandalosam quoad aliquid in illa contentum: quod verificatur, si comparatione facta ad Confessarios regulares respectu Sæcularium, loquatur Bulla Cœnæ de casibus, tum publicis, tum etiam occultis. Id inquam, cum fundamento non careat, non debet, ut improbabile, reijci; cum aliàs, & deserviat, ut Episcoporum facultas, & Regularium Prælatorum firmiori probabilitate nitatur, & similiter, ut firmiùs asseramus ratione Bullæ Cruciatæ prædictos casus occultos Bullæ Cœnæ absolvi probabiliter posse toties quoties, quod est tanti momenti, ut ex eo muniatur valdè utrumque, vel alterutrum saltim fundamentum nostræ doctrinæ in his quæstionibus traditæ: quod magni ponderis est apud Torrecillam in hujus propositionis explicatione, qui ex M. Lumbier valdè confirmari existimat doctrinam nostram ex eo, quod oppositam sequendo notabile præjudicium Cruciatæ fiat.

## QVÆST. IX. ALIQVA *dubia circa casus Pontifici reservatos resolvuntur.*

841. OCasione 3. Propositionis à SS. P. N. Alexandro VII. damnatœ prolixius in exponendis difficultatibus, quæ concernunt illam, in tribus præcedentibus quæstionibus præcipuè versati sumus. Quare modo alias difficultates circa casus Pontifici Summo reservatos resolvere oportet.

842. Dubitabis ergo primò, an à casibus etiam publicis Papæ reservatis absolvere possit Episcopus illum, qui habet impedimentum recurrendi ad Papam. Respondet N. P. Leander *tom.* 4 *tract.* 2. *disp.* 17. § 2. *q.* 58. tanquam certum, posse. Quia sic disponitur in jure, *cap. Eos qui; cap. Ea noscitur, cap. Mulieres, & cap. Quod his de sent. excommunicat.* Quænam autem sint impedimenta legitima recurrendi ad Papam, latè tradit quæst. 59. Quæ tamen ego in operum illius compen-

compendio ſic breviter refero nu. 702. Periculum mortis, aut gravis incommodi: infirmitas longa, quamvis non periculoſa: ſexus fragilitas: impotentia iter agendi: paupertas: ſenilis aut impuberis ætas, quæ excuſat, etiamſi poſt pubertatem petatur abſolutio: habere curam animarum; aut eſſe ſub cura parentum: ac denique aliæ quæcumque cauſæ viri prudentis judicio rationabiliter excuſantes.

843. Dubitabis 2. an, ſi pœnitens non ſolum Papam adire non poſſit, verùm neque etiam Epiſcopum, poſſit illum Parochus à dictis reſervatis abſolvere. Reſpondeo, ſatis eſſe probabile, quòd poſſit in eo caſu Parochus, eoque deficiente, quilibet confeſſarius. Ne aliàs reſervatio, quæ in favorem animarum eſt inſtituta, in earum perniciem vertatur. Quare hanc ſententiam dicit probabilem N. P. Leander *tom. 4. tract. 2. diſp. 17. § 2. q. 62.* licet oppoſitam, ut probabiliorem teneat, eamdem etiam tenet, ut æquè, aut magìs probabilem Caſtro Palao *tom. 4 tract. 23. punct. 15. § 4. n. 3. & tom. 1. tract. 4. diſp. 4. punct. 3. § 5. n. 5. & 6. Tamburinus tom. 3. lib. 5. tract. de caſ. reſerv. cap. 12. §. 2. n. 34. & tom. 2. lib. 3. meth. confeſſ. cap. 6. num. 3.* & alij apud ipſos.

844. Tertiò dubitabis, an etiam à caſibus Epiſcopo reſervatis poſſit abſolvere Parochus non potentem ad Epiſcopum accedere. Reſpondeo probabile item eſſe, quòd poſſit. Quod conſtat ex dictis num. præced. & tenent M. Lumbier *tom. 1. in fragmento de pœnit. n. 43. pagina mihi 296. Palao tom. 4. cit. nu. 3. Tamburinus citato cap 12. §. 2. n. 36.* & alij apud ipſos.

845. Eſt autem notandum, quòd ille, qui à Summo Pontifici reſervatis abſolvit propter mortis articulum aut periculum, aut propter aliud impedimentum, debet à pœnitente exigere juramentum de ſatisfacienda parte, ſi ſatisfactione indigeat, & nondum ſatisfacta ſit. Quod juramentum ſaltim præſtandum eſt, quando quis abſolvatur ab excommunicationibus Bullæ Cœnæ. Secundò debet ab illo exigere juramentum de parendo mandatis Eccleſiæ, quòd præſertim fieri debet, cùm quis abſolvitur à dictis caſibus Bullæ Cœnæ; nam in alijs ſaltem, proba-

probabile est, quòd ad absolvendum in foro Sacramentali, non sit necessariò præstandum juramentum, sed sufficiat propositum firmum. Tertiò debet à pœnitente exigere juramentum de comparendo coram superiore, si convalescat. Quòd probabile quidem est imponi debere solùm in casu absolutionis ab excommunicatione propter Clerici percussionem. Immò tam in isto casu, quàm in alijs putat probabile. Tamburinus *tom.* 3. *tract. de casib. res. cap.* 12. § 4. *num.* 7. quòd, dum absolutio datur in foro interno, sufficiat seria promissio. Quæ tamen sub mortali obligabit, pœnitensque, si non compareat, in eamdem reincidet excommunicationem. Non requiritur tamen, quòd comparereat, qui absolutus fuit per Bullam, Jubileum aliudve privilegium; &, quando comparere tenetur, sufficit etiam, quòd compareat coram potente à reservatis, quæ confessus est, ex privilegio, aut delegatione absòlvere. De his tamen juramentis, cum necessaria non sint pro absolutione á peccatis reservatis, sed tantùm pro absolutione à reservatis censuris tractant DD. in tractatu de censuris, ideòque, quæ spectant ad ea juramenta, videnda sunt in N. P. Leandro *to.* 4. *tract.* 2. *disp.* 17. *præsertim*, § 2. *& ult. & in comp. nu.* 200. 630. 703. *&* 713. *& Tamburinus in meth. Confess. lib.* 3. *cap.* 6. *& tom.* 3. *tract. de casib. reserv. c.* 12. § 4.

846. Quartò dubitabis, quis possit absolvere ab hæresi. Sermo utique non est de purè interna, quia ista reservata non est. Nec de purè externa, quia propriè non est hæresis. De hæresi ergo externa ab interna procedente, occulta est difficultas; quia cum non possit absolvi virtute Bullæ, nec virtute privilegiorum regularium, ubi extat Inquisitionis Tribunal, nec per aliquod Jubileum, nisi expresse, & nominatim concedatur, ut in superioribus diximus, oportet scire, à quo pœnitens à tali hæresi absolvendus sit, absolvivè possit.

847. Respondeo 1. absolvi posse ab Episcopo juxta supra dicta quæst. 6. vel a confessario specialiter ab illo deputato. Quia licèt in casu hæresis Tridentinum excludat Vicarium ad absolvendum ab illa; id tamen intelligitur de Vicario generaliter

liter deputato ad omnes casus hæresis occurrentes; non tamen de Vicario ad singularem casum hæresis absolvendum deputato. Quod optimè tradit, tanquam probabiliùs, N. P. Leander *tom. 4. tract. 2. disput. 17. q. 48.* & plures ab eo relati, novissimèque hanc sententiam dicit communem P. Torrecilla *in opere de potest. Episcopi tract. 1. quæst. 1. sect. 3. diff. 11.* Eamque putat probabilissimam, & in praxi securam; quamvis oppositam, ut sibi veram, defendat.

848. Secundò respondeo absolvi probabiliter posse hæreticum occultum à quolibet Inquisitore, & à confessario, cui ipse jurisdictionẽ delegaverit. Quòd tradit optimè Thomas Tamburinus *tom. 1. lib. 2. in decal. cap. 1. § 8. nu. 11.* ubi asserit, quòd ut quilibet Inquisitor possit absòlvere hæresim externam occultam, debet absolvendus depositionem facere sui delicti coram testibus, vel saltem coram notario. Postea verò inquirit, an possint absolvere sine solemnitate ista omninò secretè, & in foro confessionis, & referens sententias duas affirmantem, scilicet, & negantem, concludit utramque probabilem esse, & tandem ex Escobar. *in sum. tract. 7. ℣. exam. 4. potestne confessarius* hæc verba refert. * Profectò Inquisitores Hispaniæ possunt, uti ex Sanchez didici, ab hæresi absolvere non solùm in foro externo, sed etiam in conscientiæ foro, ita, ut quilibet Inquisitor eamdem cuilibet confessario possit facultatem impertiri * Ita ex Escobar Tamburinus: quod utique approbare videtur, saltim ut probabile. Vide etiam pro opinione ista Hieronymum Garciam *in Politica tom. 2. tract. 10. dif. 5. dub. 6. punct. 4. n. 22. & M. Lumbierum tom. 1. pag. 284. num. 5.* ubi sic fatur * Ab hæresi externa tantùm possunt absolvere Inquisitores; sed est probabile, quod quisque extra Tribunal potest ( per se, aut licentiam concedendo ) pro foro interno. * Ita ille: eamdem doctrinam tenet Illustr. M. Acatius March. de Velasco *tom. 1. ℣. absolutio, resol. 10. num. 8.*

849. Nota tamen quod idem Tamburinus l. c. n. 10. loquens de casibus, in quibus absolvi pœnitens potest à reservatis, à confessario inferiori propter articulum mortis, vel impedimentum perpe-

perpetuum, hæc habet * Duo denique adverte. Primò, si dubites, an possis vivere, donec habeas copiam potentis absolvere, adhuc judicaris esse in articulo, quia hæc concessio, cum sit contenta in corpore juris, & in favorem animarum, latè interpretanda est. Adverte secundò, si constitutus in dicto articulo possis vocare ad te Superiorem, vel medio confessario, vel missis literis, possis expectare ab illo præsente absolutionem, vel facultatem, ut absolvaris ab excommunicatione, te non obligari hæc facere, sed posse à quocunque modo prædicto absolvi. Ratio est, quia tua obligatio est adeundi superiorem, ut habent textus hanc obligationem inducentes; non verò faciendi aliàs diligentias; quare, si adire non potes, excusaris. Ex hac doctrina potui consilium dare Sacerdoti Confessario, ut Monialem, quæ in hæresim externam inciderat, absolveret tanquam constitutam in articulo mortis. Ratio fuit, quia hæc habebat perpetuum impedimentum adeundi ad potentem absolvere, nec obligabatur, vel Episcopum vocare, vel per literas, seu internuncium absolutionem petere, ut rectè pluribus expendit Castro Palao *tom.* 1. *tract.* 4. *disp.* 4. *punct.* 3. § 5. *n.* 7. adducens Sanchez & Henriquez * Ita Tamburinus: quæ maximè notanda sunt, quia pro levamine Monialium deservire possunt, præsertim, quia à fortiori deserviunt, tùm pro alijs casibus Pontifici reservatis, tum etiam pro casibus reservatis Episcopo.

850. Quintò dubitabis, an Regulares sicut vi privilegiorum suorum absolvere possunt Sæculares à casibus omnibus reservatis Pontifici, exceptis casibus Bullæ Cœnæ, ita etiam absolvere suos Religiosos possint à dictis extra Bullam Cœnæ reservatis, si à Prælatis sint deputati pro confessionibus Religiosorum audiendis, sine deputatione tamen, aut expressa facultate pro casibus Pontifici reservatis. Affirmat quidem Quintanadvenias *de pœnit. singul.* 19. *nu.* 4. etiam loquendo de Religiosis suæ Societatis. Quia suis Confessarijs ex potestate, quàm habet à Summo Pontifice, concedit Generalis facultatem absolvendi quoscunque fideles à dictis Papalibus. Sub nomine autem fidelium

delium cur non comprehensi Religiosi intelligantur?

851. Sed doctrinam istam benè impugnat Tamburinus *lib.* 5. *de pœnit. tract de casib. res. cap.* 7. § 1. *num.* 5 ex eo quod Generalis Societatis in facultate commemorata loquitur de fidelibus Sæcularibus seu externis. Cum postea disponat circa Religiosos cum limitatione, scilicet, quòd dicta facultas communicatur *superioribus, & ijs, quibus ipsi commiserint.*

852. Ego verò respondeo Religiosos posse absolvi ab ordinarijs ipsorum confessarijs à prædictis casibus Summo Pontifici reservatis in omnibus Religionibus, in quibus non datur specialis prohibitio absolvendi Religiosos ab illis. Ratio est: quia privilegia Pontificum ad absolvendum à dictis Papalibus reservatis non limitantur ad sæculares; sed ad omnes Christi fideles extenduntur: ergo in Religionibus, in quibus non limitantur, etiam valent pro Religiosis. Unde nostræ responsioni non solùm favet Quintanaduenas, sed etiam Tamburinus, dum illum pro sua societate impugnat eo, quod Generalis limitat illud privilegium, unde infertur, quòd in Religionibus, in quibus non limitatur, valeat etiam pro Religiosis. Tenet præterea responsionem nostram Garcia *in sua Politica tom.* 2. *tract.* 10. *dis.* 5. *dub.* 3. *punct.* 4 *num.* 15. per hæc verba. * Dixit Suarez. quem novissimè sequitur Leander de Marcia *cap.* 6. *supra* 7 *Regulæ n.* 2. quod non sufficit, quòd unus subditus sit approbatus ad confessiones audiendas, ad absolvendum à casibus reservatis, sed est necessarium ipsi delegare hanc facultatem in particulari; attamen mihi videtur hoc à Religionum usu, seu consuetudine dependere, & ubi sunt casus reservati; at in nostra, in qua nullus est casus reservatus, nulla est distinctio. * Ita Garcia loquendo de casibus reservatis, à quibus ipsi Prælati suos subditos absolvere possunt, & subditi non possunt, nisi eis delegetur à Prælatis jurisdictio: unde à fortiori idem dicendum de casibus, qui ipsis confessarijs subditis sunt concessi respectu quorumcunque fidelium. Videatur etiam *tom.* 4 *punct* 1 *num.* 7.

853. Eamdem sententiam, sivè responsionem nostram tenet

Fr: Antonius ab Spiritu S. *in direct, regul. part. 1. tract. 2. disput. 2. sect. 1. num.* 31. per hæc verba. * Confessores nostri absolvere possunt omnes Religiosos nostros toties quoties ab omnibus casibus, pœnis, & censuris etiam Apostolicæ Sedi reservatis extra Bullam Cœnæ. * Probat autem privilegijs Sixti IV. & Clementis VIII. subjungitque postea. * Quæ privilegia conveniunt etiam alijs Religiosis aliarum Religionum, dummodo non extendantur ad casus in Religione reservatos, & non detur aliquod statutum in contrarium. * Ita perdoctus Pater.

854. Idem autem refert aliqua privilegia pro absolutione Religiosorum à reservatis concessa. Primùm, ut omnes Religiosi, etiam Donati, & novitij ab omnibus reservatis, etiam ab illis, propter quæ Sedes Apostolica consulenda esset, per confessarium sui ordinis, quem elegerint, semel in vita absolvi possint. Hoc privilegium refert num. 36. secundùm refert num. 37. ut possint, scilicèt, á reservatis absolvi quater in vita. Tertiùm num. 39. cujus virtute absolvi plenariè possunt sæpiùs in anno scilicèt, omnibus festis Domini Sabbaoth, & Beatæ Virginis, Omnium Sanctorum, atque etiam Patriarchæ, sivè Patriarcharum sui ordinis. Quartum refert num. 41. quòd idem concedit in omnibus dictis festis addendo, seu extendendo concessionem ad festum SS. Petri, & Pauli, & ad totam hebdomadam sanctam.

855. Prædicta autem privilegia sunt valdè notabilia, tum quia ad eorum usum necessaria non est Bulla Cruciatæ. Tum quia etiam deserviunt pro reservatis in Religione; loquendo enim de 1. ad semel in vita concesso id affirmat idem Antonius ab Spiritu Sancto num. 55. referens Dianam 2. *part. tract.* 2. *resol.* 126 *& alios*. De alijs verò pro certis diebus anni concessis idem affirmat *eod. n.* 55. *cum P. Suarez. tom.* 4. *de Religione tract.* 8. *cap.* 19. *n.* 71. *& Vrbano ab Ascensione tract.* 2. *distinct.* 2. *cap.* 2. *regula* 8.

856. Pro prædictorum autem quatuor privilegiorum usu, quatuor notanda sunt ex eodem Antonio ab Spiritu Sancto. Primùm, quòd confessarius electus debet esse ejusdem ordinis. Secundùm,

cundùm, quòd debet esse designatus ad confessiones ordinarias Religiosorum audiendas. Tertiùm, quòd debet observari modus in quavis Religione præscriptus. Ac tandem. Quartùm, quòd, si aliquod ex his privilegijs ad hæresim etiam se extendit (ut revera se extendit primum illorum saltem) illud quoad istam partem censeri debet revocatum pro Hispania per privilegia Inquisitionis Tribunali concessa juxta dicta à nobis 820. & 826.

## QVÆST. X. CIRCA CAsus Episcopis reservatos in generali aliqua dubia resolvuntur.

857. CAsus reservati Episcopis, vel possunt esse jure communi ipsis reservati, vel jure speciali ipsorum Episcoporum. Licèt autem ab aliquibus numerentur aliqui casus, qui jure communi Episcopis reservati dicuntur, jam consuetudo obtinuit, ut nullus sit casus jure communi Episcopis reservatus. Quia tamen Episcopis conceditur, ut absolvere possint à casibus Pontifici reservatis, si sint occulti, & similiter conceditur ipsis absolutio ab excummunicatione propter Clerici percussionem, si ista sit levis intra limites peccati mortalis, atque etiam abortus fœtûs animati, fiunt hujusmodi casus ordinariæ jurisdictionis Episcoporum, ideòque vocari solent Episcopales jure communi, quia jure communi eis competit illorum absolutio, nō verò alijs inferioribus. Casus autem jure speciali Episcopis reservati sunt illi, quos Episcopi sibi reservant, sive in Synodo sive extra illam: Quorum reservatio, si fiat in Synodo, durat etiam mortuo, aut amoto Episcopo; si verò extra illam non durat, eo mortuo, aut amoto; quia prima fit per modum statuti; secunda per modum præcepti.

858. Quamvis autem omnes casus Episcopis reservati absolvi possint ratione Bullæ Cruciatæ. Tamen ratione privilegiorum, quæ regulares habent, absolvi quidem possunt casus illis jure communi reservati; non tamen casus ab ipsis sibi reservati sivè in Synodo, sivè extra illam, ut constat ex supra dictis nu. 832. Unde quia aliquoties contingere potest, quòd pœnitens Bullam non habeat, omnes confessarij,

fessarij, sive Regulares, sive sæculares scire debent, qui casus sint in diœcesibus, in quibus confessiones audiunt reservati. Hinc laudabilis est consuetudo aliquarum Diœcesium, qua in licentijs pro confessionibus audiendis exprimuntur casus reservati in illis. Et ut commodiùs id fiat, ubi plures sunt casus reservati, imprimi licentiæ solent. Ubi tamen nec impressi, nec manu scripti inseruntur casus reservati, si confessarius synodales non habeat, in quibus continentur, habere debet librum aliquem, in quo referantur: cujus generis plures esse solent, & de facto sunt in hac Pampilonensi Diœcesi. Illi namque referuntur in summa de Salazar Pampilone impressa anno 1686. & simul cum alijs vicinarum Diœcesium in dialogo P. Jacobi de Corella. Si autem nec hos nec alium, in quo contineantur, habeat, non auderem excusare à peccato confessarium non habentem dictorum casuum transsumptum, & illos aliquoties non recolentem. His præmissis.

859. Dubitabis primò an, qui habet facultatem à Summo Pontifice ad absolvendum ab omnibus peccatis & censuris ipsi reservatis, posset absolvere ab omnibus casibus reservatis Episcopo. Hanc quæstionem proponit N. P. Leander, *tom.* 4. *tract.* 2. *disp.* 17. *quæst.* 4. & respondet, quòd licet stando in rigore juris, non possit; stando tamen consuetudini, & usui contrarium tenendum est. Eadem etiam *disp. quæst.* 79. inquirit, an Regulares possint absolvere sæculares à casibus Episcopis reservatis, & respondet probabilissimè posse, ejusque fundamentum est, quòd vigore suorum privilegiorum possunt absolvere à casibus Pontifici reservatis.

860. Sed post decretum Alexandri VII. sententia ista sustinenda non est. Quia regulares habent facultatem à Summo Pontifice absolvendi fideles ab omnibus ipsi Pontifici reservatis; & tamen non possunt absolvere à casibus Episcopis reservatis sine ipsorum facultate ita, ut asserere, quòd possint, sit damnatum in dicto Alexandri decreto propos. 12, ut vidimus etsi obiter, supra nu. 831.

861. Unde caute legendus P. Corella *in appendice de casib. Episcopis reservatis advertentiâ* 9. ubi sic ha-

sic habet. * Aliqui casus, quos in Synodalibus reservant Illustr. Episcopi, habent irregularitatem, aut alias censuras Papæ reservatas; & in similibus casibus communiter dicitur, & notatur: *quantum ad peccatum*, quod idem est ac dicere, quòd censura, sive irregularitas ad suam sanctitatem remittitur, seu expectat. At in his casibus licet Episcopus det facultatem ad absolvendum à casibus reservatis, absolvi non poterunt ea peccata, quæ connexam habent censuram suæ sanctitati reservatam. E contra autem, si Summus Pontifex concedit facultatem ad absolvendum ab omnibus censuris ipsi reservatis, poterit absolvi à casibus ipsi censuris annexis, estò tales casus sint reservati Ordinario. Ita Navarro *in Man. cap.* 7 *n.* 354 Suarez & alij apud Barbosam *de Potest. Episcop. p.* 3. *alleg.* 52. *sub. num.* 7. *§ verum contrarium.* Caspensis Capuccinus *tom.* 2. *tract.* 25. *de censuris disp.* 2. *sect.* 3. *num.* 136. * Ita Corella.

862. Sed cautè, ut dixi, legengendus est, quia ab illis verbis, E contra, eamdem ferè doctrinam continet, ac propositio damnata. Et quidem DD. quos citat, utique volunt, quòd quia Pontifex concessit Regularibus, ut absolvant ab omnibus casibus sibi reservatis, possint absolvere à reservatis Episcopis: aut ergo casus Patris Corellæ est diversus ab hoc, aut non. Si non est diversus, credo, quòd sustineri non potest, sed judicari debeat in damnatione comprehensus. Si est diversus? in primis malè refert pro eo præfatos authores. Deinde videtur, quòd diversitas consistit in eo, quòd dicti DD. magìs generaliter loquantur; quia illi loquuntur de omnibus reservatis Episcopo; sivè sint simul reservati Pontifici, sive non; Corella verò solùm de reservatis illis, qui simul sunt alias Pontifici reservati: cum ergo prohibitiones Clemen. VIII. Confessarijs tam Regularibus, quàm Sæcularibus factæ absolvendi à casibus Episcopis reservatis sint universales, ut constat ex ipsarum tenore, quæ videri possunt apud Barbosam alleg. 50. num. 286. & damnatio propositionis 12. fundetur in eo, quòd talis absolutio opponatur dictis decretis, aut prohibitionibus, dicendum est in ea comprehendi omnes casus Episcopales jure parti-

particulari ipſorum Epiſcoporum reſervatos, ac proinde, quòd ſit contra damnationem aſſerere non ſolùm, quòd omnes abſolvi poſſint ſine facultate ipſorum Epiſcorum, ſed etiam, quod aliqui. Unde ego ſolùm admitto, quòd, ſi Pontifex declararet ſuam voluntatem eſſe, ut etiamſi caſus eſſent Epiſcopo reſervati, poſſet ab eis aliquis abſolvere, tunc ab eis abſolvere poſſet, quòd ſolùm, mihi, docet Navarrus *in manuali* Non, *cap.* 7. *n.* 254. ſed *cap.* 27. *n.* 263.

863. Confirmatur. Quia, ſi vera eſſet doctrina P. Corellæ, inutilis eſſet reſervatio facta ab Epiſcopo de caſibus aliàs Pontifici ratione cenſuræ reſervatis: ſed hoc dici non debet: ergo nec admittenda ejus doctrina. Major probatur: quia in quovis caſu reſervato Pontifici, & ſimul Epiſcopo, hæc ſecunda reſervatio nihil operaretur: ergo eſſet inutilis. Probatur antecedens: vel ad abſolvendum à tali caſu reſervato Pontifici habeo à Pontifice facultatem, vel non? Si habeo? poſsũ per te abſolvere, nihil obſtante reſervatione Epiſcopi. Si non habeo? non poſſum ab eo abſolvere; verùm ita non poſſum, quòd etiam non poſſem, quamvis non eſſet Epiſcopo reſervatus: ergò in utroque caſu nihil operatur reſervatio Epiſcopi; ac proinde eſt inutilis: ne ergò inutilis dicatur, dicendum potiùs, quòd etiam obtenta facultate à Pontifice ad abſolvendum à cenſuris ſibi reſervatis non poſſum à peccato abſolvere in caſu, in quo tale peccatum ſit Epiſcopo reſervatum.

864. Secundò dubitabis, an, qui ignorat invincibiliter reſervationem, eam incurrat. Negat apud Dianam *part.* 10. *tract.* 14. *reſolut.* 63. *Ioſephus de Ianuario de caſib. reſerv. reſolut.* 1. *per totam Graffis de caſ. reſerv. lib.* 2. *cap* 40 *num.* 29. *&* *Navarrus in Manuali cap.* 27. *num.* 80. eamque reputat probabilem M. Moya *tract.* 3. *diſp.* 8. *quæſt.* 2. Et P. Corella in appendice advert. 8. Fundamentum illorum eſt, quia pœna non incurritur ab ignorante illam, at reſervatio eſt pœna: ergò.

865. Ego autem ſuppono I. cum communi ſententia, quòd in caſibus Pontifici reſervatis, ſi peccatum committens ignorat cenſuram, non incurrit eam, ac proinde nec reſervationem; quia

quia casus reservati, Pontifici reservantur ratione censuræ, ut diximus nu. 784. Si autem censuram sciat, & ideò ab ea incurrenda non excusetur, ignoret tamen reservationem, tunc habet locum dubitatio præsens, sicut etiam in casibus Episcopis reservatis. Et in utrisque conveniunt DD. quod si reservatio imponatur in pœnam peccati, non incurritur ab ignorante illam; si verò, ut medicina, incurritur. Unde tota dubitationis decisio pendet ab eo, an reservatio communiter habeat rationem pœnæ.

866. Respondeo ergò probabiliùs esse, quòd reservatio, communiter loquendo, incurratur ab ignorante illam. Ratio est quia communiter loquendo, reservatio non fit in pœnam peccati reservati, sed in medicinam; aut saltem primariò in medicinam, & secundariò in pœnam. Quare responsionem nostram tenet, ut probabiliorem M. Moya, P. Corella, & Diana loc. cit. & absolutè eam docent Arriaga *disp.* 40. *num.* 4. *&* 33. & Tamburinus de cas. res. cap. 1. nu. 2. & communiter alij. Dixi tamen communiter loquendo: quia, si aliquando constet, quod reservatio est facta, aut primariò, aut unicè in pœnam, non incurretur ab ignorante illam.

867. Tertiò dubitabis, an si quis casum non reservatum putaret ex conscientia erronea reservatum esse, incurreret reservationem? Respondeo negativè; quia error pœnitentis non potest à confessario jurisdictionem auferre. Ita tenet Tamburinus *de casib. reserv. cap.* 3. *n.* 1. & apud ipsum Aversa *quæst.* 17. *de pœnit. sect.* 1. & alij passim.

868. Quartò dubitabis, an peregrinus possit absolvi à reservatis in loco ubi reservata non sunt. Respondeo posse etiam à confessario ordinario, si ibi non sunt reservata. E contrà verò non posse, si ibi reservata sunt, quamvis in loco, à quo discessit, reservata non essent. Quia solùm reservatio facta à superiore Confessarij potest ejus jurisdictionem limitare. Ita tenet Arriaga *disp.* 40. *num.* 33. *Tamburinus tom.* 3. *tract. de casib. reserv. cap.* 1. *num.* 6. & alij apud ipsum. Idemque tenet Diana *part.* 10. *tract.* 14. *resolut.* 63. *addens notatione* 6. id verùm esse, etiamsi, data opera, ad talem confessari-

um extra

um extra diœcesim pœnitens accedat. Difficilè tamen videtur hoc ultimum; quia non videtur, quòd ad hoc de non reservatis possit hospes absolvi à Parocho aut approbato diœcesis, in qua est hospes, licèt posse Peregrinum diximus supra num. 734. sed quòd possit similiter hospes tenet Tamburinus cum Pontio, & alij *tom.* 3. *lib.* 5. *de pœnit. cap.* 5. § 3. *num.* 12. & putat æquè probabile N. P. Leander *to.* 1. *tract.* 5. *disp.* 11. *quæst.* 39.

869. Quintò dubitabis, an Moniales exemptæ subjaceant reservationi Episcopalium casuum. Respondeo non subjacere, quia non sunt Episcoporum subditæ. Quare responsionem nostram tenet Tamburinus *de casibus reserv. cap.* 3. *num.* 3. & apud ipsum Pellizarius, & Quintanadvennas. Tamburinus, quòd * aliqui cum Pellizario *de Monialib cap.* 5. *num.* 191. probabiliter id extendunt ad puellas sæculares, quæ in Monasterio earumdem Monialium exemptarum educandæ conservantur. Cum enim per quasi domicilium commorentur in loco illo exempto, participare debent de exemptione. Adde, sic esse interpretandam Ecclesiæ voluntatem: ut habeant puellæ eadem remedia suæ salutis, quæ habent ceteræ, cum quibus convivunt. *

870. Notat tamen idem Tamburinus num. 4. aliter dicendum post decretum Gregorij XV. statuentis Monialium exemptarum Confessarios ab Ordinario approbandos, juxta quod, cum approbatio ordinariè non detur pro reservatis, hæc limitatio est intelligenda in approbatione confessarij, etiam Monialium exemptarum.

871. Displicet tamen mihi doctrina ista. Inprimis enim ordinarij approbantes aliquem confessarium dant quidem approbationem, & simul delegant jurisdictionem. Cum ergo limitant, ne confessarij absolvere possint à sibi reservatis, hæc limitatio censeri debet cadere supra delegationem jurisdictionis; non verò supra approbationem; quia sine nova approbatione ; accedente delegatione jurisdictionis ad reservata, illa poterunt absolvere. Vnde cum confessarij Monialium exemptarum, licèt approbationem accipiant ab Episcopo, non accipiant: ab

eo jurisdictionem; sed ab earum superioribus, non valet pro eis ea jurisdictionis limitatio.

872. Præterea Moniales exemptæ habere solent casus à suis superioribus reservatos; si autem eas etiam comprehenderet reservatio casuum Episcopalium, forent multò pejoris conditionis, quàm sæculares. Denique, dato, quòd Episcopi darent jurisdictionem pro Monialibus exemptis, & rursus dato, quòd eam limitarent, ut non valeret pro reservatis, id deberet utique intelligi per distributionem accommodam, ut videlicet, non valeret pro exemptis ad reservata in sua Religione, seu à suis superioribus; pro non exemptis verò non valeret ad reservata ab ipso Episcopo. Et mihi certè persuadeo hanc esse mentem DD Episcoporum, nec in re dubia posse nos extendere reservationem illorum ad Moniales exemptas, quia in dubio de reservatione, communis tenet sententia, standum esse pro non reservatione, quod ipse etiam fatetur Tamburinus l. c. cap. 4. Quare omninò judico nequaquam admittendam præfatam Tamburini limitationem, dato adhuc, & non concesso, quòd Bulla Gregoriana sit in Hispania recepta, & non revocata.

873. Sexto dubitabis, an Moniales ordinario subjectæ teneantur casibus, & censuris, quas ipse reservat pro sua Diœcesi. Suppono, quòd ordinarius eas dicta reservatione ligare possit; cùm sit earum superior: quare solùm est difficultas, an de facto eas liget. Respondeo affirmativè. Quia cum verè dictæ Moniales, & earum confessarij subdantur jurisdictioni Episcopi, dùm universaliter casus, aut censuras reservat, eas non excipiendo, comprehensæ in reservatione intelligi debent, sicut comprehensæ intelliguntur Moniales exemptæ, & etiam Religiosi in censuris, & casibus Pontifici reservatis; quia Pontificiæ jurisdictioni omnes subduntur, & Pontifex generaliter casus, aut censuras reservat. Quare responsionem nostram tenet Pellizarius relatus à Diana *part.* 10. *tract.* 11. *resol.* 52. dicens, quòd sic judicarunt docti Recentiores.

874. Septimò dubitabis an Moniales Episcopis subjectæ absolvi possint virtute Cruciatæ à casibus Episcopis reservatis. Re-

Respondeo posse. Quòd probatur primò. Quia omnibus Regularibus prodest Bulla Cruciata, ut absolvantur à casibus suis superioribus reservatis, saltem, si eam ad istum effectum sumant cum licentia expressa, vel tacita suorum Prælatorum, ut diximus sup. n. 813 Sed Moniales Episcopis subjectæ, dùm accipiunt Bullam, illam sumunt ad istum effectum, ut absolvantur à reservatis, & ad id habent licentiam tacitam: ergo illis prodest ad istum effectum. Quod autem habeant licentiam tacitam, probatur: quia, ut diximus l. c. in multis Religionibus exemptis datur similis tacita licentia: ergo à fortiori in Monialibus Episcopis subjectis.

875. Secundò probatur: quia probabile est, quod Religiosi, & Moniales exemptæ possint uti Bulla, etiam sine licentia tacita Prælatorum, ut absolvantur à reservatis in sua Religione: ergo à fortiori poterunt Moniales Episcopo subjectæ, sine ipsius licentia, uti Bulla, ut absolvantur à reservatis ipsi Episcopo. Antecedens constat ex dictis nu. 813. & 817. ubi quamvis sententiam oppositam, ut longè probabiliorem tenuerimus, eam tamen probabilē esse non sumus ausi negare

876. Tertiò mihi meliùs, probatur. Quia declarationes Pontificum, in quibus fundatur sententia negans posse Religiosos, & Religiosas uti Bulla Cruciata loquuntur de viris Religiosis quidem universaliter, de Monialibus verò non ita, sed tantùm de Regularibus Prælatis subjectis. Quòd constat primò: quia omnes dictæ declarationes emanarunt ad instantiam Prælatorum Regularium, ut eorum gubernationi magis subderentur: ergò solùm pro illis, quibus ipsi præsunt, & quarum gubernationi incumbunt, intelligendæ sunt. Secundò constat, quia ipsæ declarationes non loquuntur de casibus universaliter in tota Ecclesia à Pontifice reservatis, aut ab Episcopis universaliter in toto Episcopatu, sed de casibus in Religione reservatis.

## *QVÆST. XI. DE CASIbus Episcopis reservatis in particulari aliqua scitu digna notantur.*

877. AD faciliorem intelligentiam casuum, qui à Dominis Episcopis solent reservari aliqua

aliquà scitu digniora in hac quæstione notare operæ pretium duxi. Primò ergo notandum est, quod hæresis reservata in hac Pampilonensi Diœcesi, *quantum ad peccatum*, ita debet intelligi reservata Episcopo, ut si quis ob ignorantiam censuræ ab ea incurrenda excusaretur, in quo casu evaderet Pontificiam reservationem, ut diximus n. 784. tunc incurreret hanc reservationem Episcopalem, & in hoc sensu intelligendam reservationem hæresis, etiam dum non additur *quantum ad peccatum* docet P. Sebastianus de Abreu Soc: JESU Eborensis Vniversitatis Doctor, & Cancellarius, ac primarius Theologus *in suo Pastorali tract.* 10. *cap.* 10. *num.* 813.

878. Secundò notandum est, quòd in alijs quinque casibus scilicet 6. 8. 12. 15. & 19. ex reservatis in hac Diœcesi additur etiam, *quantum ad peccatum* ad denotandum, quod reservetur peccatum Episcopo; non verò pœna, quæ illi est annexa, sive sit irregularitas, sive suspensio, sive inhabilitas ad beneficia, aut similis alia; quia istæ de se supponuntur Pontifici reservatæ Quia tamen, quamvis tales pœnæ essent Pontifici reservatæ, poterant peccata, quibus ipsæ pœnæ annectebantur, absolvi à quovis approbato, reservata sunt ea peccata, ut absolvi non possint, nisi ab Episcopo, vel ab habente ab ipso facultatem. Si autem excommunicatio esset annexa, absolvi non possent, si ea esset Pontifici reservata, ut contingit in 15. casu. Ea autem pontificia excommunicatione ablata, adhuc peccatum esset Episcopo reservatum, & indigeret confessarius ad ejus absolutionem facultate Episcopi juxta dicta nu. 862. & 863. nisi dicamus, quod de hæresi diximus *num. præced.* scilicet, reservari solùm pro casu, in quo propter ignorantiam excommunicationis Pontifici reservatæ non incurritur Pontificia reservatio.

879. Tertiò notandum est, quod casus 20. ex reservatis in Diœcesi Salmantina, sic proponitur: *peccatum contra naturam.* Idem casus est 25. reservatus in in hac Pampilonensi his verbis 25. *qui commiserit peccatum contra naturam, singulariter cum bestia.* Tria autem notat P. Corella supra casum istum. Primum, in eo comprehendi Sodomiam, pollutionem

lutionem, & bestialitatem. Secundum requiri, quod sint consummata, ut incurratur reservatio. Tertium, quòd, si pollutio sequatur ex sola cogitatione turpi, non sit reservata.

880. Circa primum autem, quod asserit; mihi semper durum, & difficile visum est, quod in eo casu sit reservata pollutio voluntaria: & quia video nec deesse rationes, nec Patronos ad eam à reservatione excusandam, eam non includi in reservatione existimo probabilius. Probatur autem primò: quia in decreto Sacræ Congregationis sub Clemente VIII. edito *die 26. Novembris* 1602. sic disponitur. * Sed ne locorum ordinarij, ad quos casuum reservatio spectat, ea in re modum excedant, eadem Congregatio illos rursus magnopere admonendos censet, ut non passim, sed cum id videbitur communi bono expedire, atrociorum tantum, & graviorum criminum absolutionem, sibi reservent, quorum reservatio ad Christianam disciplinam retinendam conferat in ædificationem, non autem in destructionem cedat, ne alioquin Sacramenti Pœnitentiæ, Ministrorum coarctata potestate, Sanctæ Matris Ecclesiæ piæ menti contrarius effectus subsequatur. * Perpendant ergo hæc Domini Episcopi pro casuum reservatione, & videant instructionem à Sacra congregatione datam, quam refert Barbosa *de potestate Episcop. alleg.* 50. *n.* 288.

881. Unde P. Quintanadvennas tom. 1. singular. tract. 3. sing. 8. n. 4. ait * si sit reservatum furtum, vel detentio decimarum, quando quis furaretur, vel retineret ex decimis duodecim, vel quatuordecim argenteos, neminem dicturum, hunc atrox, & grave crimen commisisse, eumque esse atrocissimum latronem, & Sacrilegum gravissimum....... Quantitas ergo duodecim argenteorum, licèt sufficiens sit ad mortale, non tamen ad reservationem prudenter in Diœcesibus faciendam, cùm ad hanc requiratur gravitas valdè considerabilis, & atrocitas. * & inferius n. 7. ait * Credere debemus reservationes ab Episcopis factas esse atrociorum dumtaxat criminum juxta mentem Tridentini, & Pontificum, atque ità non quodlibet peccatum mortale circa materiam reservatam

vatam reservare voluisse, imò arbitraretur forsitan quis nec validè potuisse juxta sententiam Soti, & Richardi, quos sequitur Vazquez quæst. 91. dub. 4. * Ita Quintanadvennas. Tunc sic ergo: nomine criminis atrocioris non videtur intelligi posse mollitiem, præsertim in genere peccati contra naturam; unde, cum optimè possint intelligi reservata in eo casu Sodomia, & bestialitas, quæ in eo genere atrociora sunt, judicare possumus non includi mollitiem, quæ ita atrox non judicatur. Et quidem saltim dubitari meritò potest, an pollutio in reservatione dicti casus comprehendatur, & hoc ipso non comprehenderetur, ut constat ex dictis num. 872.

882. Et si dicas, quod in Religionibus reservatur, aut reservari potest, tum mollities, tum alij lapsus carnis minoris malitiæ: ergo non deficit sufficiens malitia, ut reservari ab Episcopis possit. Respondeo negando consequentiam: quia Pontifices non limitarunt potestatem prælatorum Regularium ad casus atrociores; sed aliter eam limitarunt ad 11. casus à Clemente VIII. designatos ita, ut alij à Prælatis reservari non possint, quamvis alij etiam reservari possint à Capitulo Generali, vel Provinciali ex matura deliberatione. Cum enim majorem perfectionem petat status Religiosus, alijs regulis dirigenda est reservatio pro Religiosis, ac illa, quæ fit pro sæcularibus ab Episcopis.

883. Confirmatur responsio nostra: quia bestialitas, & Sodomia singillatim, & distinctè sunt in aliquibus Diœcesibus reservata; in nulla tamen, quam viderim, singillatim, aut expresè reservatur mollities. Unde Rodriquez *in Bull. Cruciat.* § 9. *num.* 91. *v. nono*, referens casus solitos reservari Episcopis ait: Nonus est Sodomia, & bestialitas in aliquibus Episcopat. sicut in Granatensi. * Propterea confirmatur: quia nullus, quem viderim, excepto P. Corella, expresè asserit sub nomine *peccati contra naturam* reservari mollitiem; quòd verò non reservetur, testatus fuit RR. P. M. Thyrsus Gonzales de Santalla à me de hac re Salmanticæ consultus, qui modo jam suæ inclitæ Religionis Societatis JESU Generalis Præpositus est Romæ electus, ejusque

 electio

electio communi illius Vrbis, & totius Orbis plausu meritò recepta. Idem etiam testatus est P. Michàél de Avendanrio consultus à P. Didaco de Valois, qui etiam nostram sententiam tenet in M. S.

884. Secundùm verò, quod asserit P. Corella, scilicet requiri, quod peccata contra naturam reservata in casu 15. sint consummata, ut reservata sint, admitto cum communi sententia, quàm tenet Tamburinus *tom.* 3. *lib* 5. *tract. de casib reserv. cap.* 4. *à n.* 16 *& cap.* 6. *à nu.* 15. omninò videndus. Unde bene idem P. Corella notat copulam consummatam requiri ad incurrendam reservationem in casu 23. in quo reservatur copula cum consanguinea, aut affini intra quartum gradum. In casu 24. in quo reservatur copula cum Moniali, & respectu Monialis copula cum Religioso. In 26. in quo reservatur copula cum Judæa, aut Mahometana. Et tandem in 28. in quo reservatur copula cum ea, quam baptizavit, aut cujus confessionem audivit. Similiter in alijs peccatis discurrendum est, ita tamen, quod tum in hac, tum in alijs materijs non requiratur peccati consummatio ad incurrendam reservationem, quando ita reservatur casus, ut ipsa verba, quibus reservatur, denotent peccatum non consummatum reservari.

885. Tertium denique, quod ex P. Corella commemoravimus, scilicet, quod si pollutio (supposito quod sit reservata) sequatur ex sola cogitatione turpi, tunc casus reservatus non sit, præter Leandrum de Murcia ab ipso citatum, refertur, & non improbatur à M. Moya *tract.* 3. *disp.* 8. *quæst.* 1. *nu.* 2. Et ratio est. quia peccatum externum est, quod in hoc, & similibus casibus reservatur: peccatum autem externum, ut reservatum sit, debet esse mortale in se, & non ex sola relatione ad consensum internum, ut cum eodem M. Moya notabamus supra nu. 782. quidquid autem datur externum in dicto casu non solùm mortale non est, seclusa relatione ad consensum internum, verùm, ea seclusa, nullum peccatum est.

886. Dices tamen: nulla pollutio etiamsi sequatur ex actione exteriori, seclusa relatione ad consensum internum, peccatum est ergo, si solùm reservatur pollutio

lutio, quæ seclusa relatione ad consensum sit peccatum mortale, nulla reservata erit: quod dici non potest. Respondeo aliam dari relationem ad consensum internum in ipso opere externo satis notam, & manifestam, & quòd ex ista relatione malitia operis procedat, non excusat à reservatione. Alia verò datur, quæ non indicatur in ipso opere externo, & de hac intelligendum, quòd non reddat opus externum reservatum. Talis enim est pollutio quæ sequitur ex pura interna cogitatione, quia in ipsa nihil datur, quod indicet cogitationem illam turpem internam; cum quidquid in ea datur, posset dari ea cogitatione seclusa. Sic etiam dum furatur quis argenteum cum desiderio furandi aureum, mortale quidem committit; sed non reservatum, etiam ubi furtum reservatum est, quia tale furtum argentei est mortale non ex relatione, quam indicat ad consensum internum furandi argenteum; sed ex alia in ipso non indicata ad consensum furandi aureum.

887. Nota 4. quòd casus 30. Pampilonensis sic ait. *Qui furatur rem sacram, aut Ecclesiæ.* Ubi P. Corella ait non solùm reservari furtum rerum Sacrarum, ut Calicis, ornamentorum &c. Sed etiam quodlibet furtum in Ecclesia factum: primum enim istorum denotatur per ly *Rem Sacram*: secundum per ly *Ecclesiæ*. Sed mihi verius videtur, & juxta id, quod verba sonant, quòd ly *Ecclesiæ* non significet furtum in Ecclesia factum; sed factum de rebus Ecclesiæ nec ideo est superfluum: quia Ecclesia habet sub suo dominio res sacras, & res etiam non sacras, v. g. Vrceolos, & alia vasa argentea, vel aurea non consecrata nec benedicta, & aliam supellectilem, præter Sacra vestimenta, & utrarumque rerum furtum est sacrilegium, & in isto casu reservatur.

888. Nec obstat quod asserit P. Corella furtum rerum Ecclesiæ non sacrarum in sequenti casu reservari: sic enim ibi: 31. *illi qui usurpant bona, & decimas Ecclesiarum, & personarum Ecclesiasticarum.* Nam in hoc casu non reservatur furtum illarum: usurpatio autem valdè differt à furto, ut notat N. P. Leander *tom. 4. tract. 3. disp. 17. quæst. 4.* ubi

agens

agens de excommunicatione 17. Bullæ Cœnæ lata contra usurpantes Sedis Apostolicæ, & aliorum Ecclesiasticorum jurisdictiones, aut fructus, asserit eam non incurrere eos fructus furantes, sed usurpantes, quod est quid diversum, nam usurpatio est actio illa, *qua quis rem alienam rapit, non tanquam alienam, sed tanquam propriam, ac si ad se pertineret.* Unde in hac Diœcesi non est casus reservatus furari decimas à personis Ecclesiasticis, quia nec còntinetur in casu 30. ut patet, nec in 31. quia in isto non est sermo de furto, sed de usurpatione. Oppositum tamen docet P. Corella in casu 31. nobis non minùs contrarius in ejus expositione, quàm in expositione casus 30.

889. Quintò nota, quod casus 4. reservatus in Diœcesi Salmantina sic proponitur. *Peccatum sacrilegij quocumq; modo committatur.* Circa quem casum dubitari potest, quid nomine sacrilegii intelligatur. Ratio autem dubitandi est, quia omnia sacrilegia intelligi, videtur impossibile. Primò, quia nimis durum videtur. Secundò, quia aliàs violatio festorum esset casus reservatus; cum enim festorum observatio sit actus Religionis, illorum violatio erit contra Religionem, ac proinde sacrilegium: sed sic est, quòd talis violatio non potest esse casus Episcopo reservatus ex Sacræ Congregat. declaratione apud Lezanam *tom.* 3. ℣. *casus num.* 31. qui refert Gavantum, & Barbosam, ergo, &c. Tertiò quia valdè plura sacrilegia expresè, & in specie reservantur in alijs casibus; frustra autem id fieret, si in 4. omnia sacrilegia comprehenderentur.

890. Respondet Layman *lib.* 5. *tract.* 6. *cap.* 12. *& Saà* ℣. *casus reservatus num.* 4. quod nomine sacrilegij Episcopo reservati intelligitur violatio loci sacri, furto, sanguine, aut semine. Aliter sentit Rodriquez *in Bulla Cruciat.* §. 9. *num.* 91. ℣. *quarto.* Ubi adhuc copulam in loco sacro excludit à reservatione, & tantum reservari dicit, furtum rei sacræ, aut non sacræ ex loco sacro, occisionem, aut percussionem in Ecclesia, fractionem immunitatis illius, aut fractionem portarum, vel serarum illius. Unde ego respondeo prædictos omnes casus tum à Layman, & Saà,

tum

tum à Rodriquez memoratos comprehendi, & non alios. Eos quidem; quia illa verba: *quocumque modo comitatur*, saltim ad omnia sacrilegia reservari solita debent extendi. Non autem alios, quia cum ob rationem dubitandi propositam non possint omnia sacrilegia, sufficit, si comprehendi dicamus omnia, & singula, quæ reservari sub nomine sacrilegij consueverunt.

891. Sextò nota, quod 26. casus reservatus in Diœcesi Salmantina sic proponitur. *Dispensatio votorum, ac juramentorum, & absolutio majoris excommunicationis, quæ specialiter non sit Papæ vel alteri judici superiori reservata, quando quis sine necessitate proprium suum filium, aut filiam baptizaret, aut ejus fuerit Patrinus.* Circa quem casum duo dubia occurrunt. Primum est, an Religiosi possint sæcularium vota, & juramenta Pontifici non reservata dispensare, non obstante reservatione in eo casu facta.

892. Respondeo posse; quia hanc potestatem habent à Pontifice: unde non possunt Episcopi eam ipsis tollere, aut limitare. Et si dicas, quòd etiam Religiosi habent facultatem à Pontifice absolvendi à peccatis, supposita, ut conditione, approbatione Episcopi; & tamen Episcopus potest illam limitare reservando aliqua peccata. Respondeo id verùm esse propter speciales dispositiones Summorum Pontificum, qui expressè Regularibus prohibuerunt absolutionem à casibus Episcopis reservatis: cumque nulla extet dispositio, quâ prohibeantur dispensare in votis, quorum dispensationem sibi Episcopi reservaverint, non debet ista potestas limitari. Quare responsionem nostram tenet P. Sebastianus de Abreu *cit. tract. & cap.* 10 *num.* 736.

893. Secundùm dubium est, an possunt regulares absolvere ab excommunicatione majori Pontifici non reservata, non obstante reservatione in eo 26. casu facta. Responderi poterat probabile esse, quòd possint. Inquirit enim Diana 3 *p. tract.* 2 *resolut.* 13. an, non obstante decreto Clementis VIII. prohibentis regularibus absolutionem à casibus Episcopis reservatis, possint Regulares absolvere à censuris Episcopis reservatis. Refertque ex Megala responsionem affirma-

affirmativam, & ipse Diana eam putat probabilem; quia censura non est casus, sed pœna casus, & à diversis non fit illatio. Quam doctrinam iterum docet idem Diana *p.* 8. *tract.* 7. *resol.* 71. referens pro ea Aversam: & eam non improbans refert etiam Ascanius Tamburinus *de jure Abbat. tom.* 2. *disp.* 13. *quæst.* 13. *n.* 116 Nec obstat prædictæ resolutioni decretum Alexandri VII. nam 12. propositio ex damnatis ab ipso etiam de casibus loquitur, quin ullam de censuris mentionem faciat.

894. Hæc tamen responsio, quamvis in terminis constitutionis Clementis VIII. & declarationis illius locum haberet; jam illum non habet, Quia eadem Sacra Congregatio sub Paulo V. in decreto emanato 7. die Febr: Anno 1617. dictum decretum Clementis ejusque declarationem innovavit, & extendit ad excommunicationes etiam Ordinariis reservatas ita, ut non solùm à casibus, verùm neque ab excommunicationibus Episcopis reservatis possint Confessarij etiam Regulares absolvere absque Episcoporum facultate, quod decretum affert Barbosa *part.* 3. *de potest. Episcop. alleg.* 50. *num.* 287.

895. Ubi nota etiam, quòd casus 10. reservatus in hac Diœcesi Pampilonensi est hujusmodi: *qui excommunicatus fuerit ab Episcopo, vel Officialibus ejus.* Vbi notat P. Corella intelligendum, quando Episcopus, aut ejus officiales sibi reservant excommunicationem. Quia aliàs quilibet Confessarius potest eam absolvere, si sit imposita per sententiam generalem. Displicet tamen mihi ista expositio, quia quando Episcopus reservat sibi excommunicationem, independenter ab hac Synodi reservatione, manet reservata: ergo aut ista Synodi reservatio intelligitur, etiamsi Episcopus eam sibi specialiter non reservet, aut est omninò superflua: hoc secundùm dici non potest: ergo primum dicendum.

896. Septimò nota, quòd 20. casus in hac Diœcesi Pampilonensi reservatus sic proponitur. *Qui occiderit, vel suffocaverit aliquem infantulum ponendo illum secum in lecto, vel quocunque alio modo, ob negligentiam, non advertens, nec volens.* Vbi benè notat P. Corella requiri ad incurrendam

dam istam reservationem culpam mortalem, ac proinde, si ex negligentia contingat debet, ea esse mortaliter culpabilis, ut reservatio incurratur. Videantur alia in Tamburino toto cap. 6. supra citato.

## *QVÆST. XII. DE APprobatione Confessarij.*

897. APprobationem necessariam esse ad hoc, ut Sacerdos audire valeat Confessiones, constat ex Tridentino *sess.* 23. *cap.* 15. *de reformat* his verbis id statuente. * Quamvis Presbyteri in sua ordinatione à peccatis absolvendi potestatem accipiant, decernit etiam Sancta Synodus nullum, etiam Regularem, posse confessiones sæcularium, etiam Sacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari, nisi, aut Parochiale beneficium, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut aliàs idoneus judicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineat, privilegijs, & consuetudine quacunque, etiam immemorabili, non obstantibus. * Sic Tridentinum, cujus doctrinam in hac, & sequentibus quæstionibus breviter examinabimus.

898. Ex decreto igitur Tridentini Colliges primò; Religiosos, & Religiosas posse confiteri Sacerdoti non approbato cum licentia sui Prælati. Ratio est, quia Tridentini decretum, dum exigit approbationem, expresse eam requirit ad audiendas confessiones Sæcularium; unde clarè infertur eam non petere ad confessiones Regularium audiendas. Nota tamen primò, quòd, cum probabile sit equites Militares esse Religiosos, probabile etiam est eos posse Sacerdoti non approbato confiteri. Secundò nota, quòd Monialibus non potest Abbatissa facultatem dare, ut possint non approbato confiteri; sed solùm Prælati, aut illarum Vicarius, sine quorum licentia non possunt adhuc approbatis (si Bullam non habeant) confiteri, non ex defectu approbationis, sed jurisdictionis, ut notat P. Torrecilla *tract.* 2. *consult.* 10. *num.* 8.

899. Tertiò nota, quòd, licèt ex constitutione Gregorij XV. *inscrutabili*, & declaratione Cardinalium, teneant aliqui, quos sequi-

sequitur Tamburinus *lib.* 5. *de Pœnit. cap.* 5. *num.* 18. quòd Monialium Prælatus debeat necessariò eis assignare confessarium ex approbatis ab ordinario; tamen dictam constitutionem non esse receptam, & oppositum in Hispania practicari, tenet N. P. Leander *tom.* 1. *tract.* 5 *disp.* 11. *quæst.* 46 & novissimè P. Torrecilla *tract.* 2. *consult.* 4. *num.* 4. *&* *à num.* 15. non solùm refert pro hac sententia alios authores, sed etiam revocationem dictæ constitutionis Gregorianæ pro Regnis Hispaniæ ab Vrbano VIII. factam. Quam revocationem habes in Lezana *tom.* 4. *consult.* 40. *num.* 116.

900. Et si objicias: quod in Bulla Clementis X quæ incipit *Superna Magni Patris.* § 4. disponitur, * generaliter approbatos ab Episcopo ad personarum secularium confessiones audiendas, nequaquam censeri approbatos ad audiendas confessiones Monialium sibi subjectarum, sed egere, quoad hoc, speciali Episcopi approbatione. * Respondet 1. P. Torrecilla *cit. consult.* 4. *à n.* 22. *ad* 30. sermonem esse in præfata clausula Clem: X. de Monialibus subjectis Episcopo, ut indicant illa verba *approbatos ab Episcopo . . . sibi subjectarum.* Pro qua sententia refert M. Lumbier *tom.* 2. *num.* 733. *&* 1196. ac 1197. & RR. P. M. Diaz in suo *ESpeculo Serafico p.* 1. *cap* 1. *docum.* 3. *n.* 3 *pag* 45. Secundò respondet à n. 31. adhuc respectu subjectarum Episcopo manere in sua vi privilegium Bullæ: quod confirmat authoritate R. P. Antonij de Herrera ex Ordine Minimorum Sancti Francisci de Paula, & R. P. Joannis de Heredia Carmelitani in memoriali ab utroque composito. Vide dicenda num. 927.

901. Secundò colliges Parochos ubique posse eligi ab Ordinarijs, ut eos adjuvent in confessionibus, & similiter à pœnitentibus, qui habent Bullam, aut aliud privilegium eligendi approbatum. Ratio est, quia Concilium distinguit inter habentem Parochiale Beneficium; & non habentem, & solùm in non habente requirit approbationem: ergò in illud habente standum erit juri antiquo, juxta quod erat Parochus ubique eligibilis, sive per Privilegium, sive per delegationem. Tertiò colliges eum, qui habuit Beneficium

ficium Curatum modo tamen non habet, non posse absque approbatione confessiones audire. Quia Concilium solùm à necessitate approbationis liberat eum, qui de præsenti Beneficium Curatum obtinet. Oppositum tamen probabiliter tenent plures, quos refert, & non improbat, sed potiùs approbare videtur M. Moya *disp.* 7. *quæst.* 3. *num.* 4.

902. Quartò colliges approbatione Episcopi indigere Magistros in Theologia graduatos. Ratio est. Tùm quia Tridentinum nullum excipit. Tum etiam, quia sic declaravit Pius V. in motu proprio: unde id putat omninò certum M. Moya cit. q. 3. n. 11. Jus tamen æquitatis postulat, ut eorum approbatio sine prævio examine fiat. Quintò colliges etiam regulares Prælatos indigere approbatione Episcopi, ut possint sæcularium confessiones audire. Quia regularis Prælatura non est beneficium Parochiale. Hanc sententiam omninò tenendam dicit M. Moya *tract.* 3. *disp.* 7. *q.* 3. *num.* 4. eamque ut ferè certissimam tenet N. P. Leander *tom.* 1. *tract.* 5. *disp.* 11. *q.* 62. & ut sibi certam Tamburin. *lib.* 5. *cap.* 5. § 3. *n.* 1.

903. Sed dubitabis, an Sacerdos non approbatus possit ex commissione Parochi confessiones audire. Respondeo contra Petrum de Ledesma, Ludovicum à Sancto Joanne, & alios cum cummuni sententia negativè. Probatur, tum quia id sonant verba Tridentini, dum absolutè exigit approbationem Episcopi. Tum quia finis Tridentini in hoc decreto fuit tollere Parochorum abusum, qui ineptis suas oves committebant: ad hoc autem non deserviret, si Parochis reliquisset potestatem delegandi suam jurisdictionem Sacerdotibus non approbatis ab Episcopo.

904. Denique nostra responsio certa jam meritò judicatur à M. Moya post decretum Alexandri VII. *disp.* 7. *q.* 2. *nu.* 23. Sic enim argui potest. Si Parochus posset pro suis ovibus Sacerdotem simplicem non approbatum exponere, posset etiam pro se ipso: sed pro se ipso non potest; ergo nec pro suis ovibus. Consequentia est bona, sed præmissæ sunt certæ: ergo & consequens, quod continet responsionem nostram.

905. Quòd autem præmissæ discur-

discursus facti sint certæ, in primis de minori constat; quia oppositum, ut improbabile saltim, & scandalosum damnatum est ab Alexandro VII. in suo decreto nu. 16 ut vidimus supra n. 736. Quòd deinde minor sit certa, testatur M. Moya, dum dicit cit. num. 23. quòd *si alijs posset, illum sibi eligere valeret, ut in confesso est apud omnes.* Et in *eadem quæst.* 2. *num.* 9. *Et sanè, quod Parochus in sua Parochia possit.* ( eligere, scilicet, confessarium carentem jurisdictione ) *videtur certum; quia, quem subditis, potest sibi eligere non prohibetur. Potest autem pro subditorum confessionibus quemcumq; approbatum exponere.* Certa igitur est nostra responsio post præfatum decretum. Immò etiam ante illud eamdem certam, & oppositam improbabilem non pauci apud eumdem Moyam cit. num. 23. judicabant.

## QUÆST. XIII. A QUOnam Ordinario debeat conferri approbatio.

906. PLures in hac quæstione referuntur Doctorum sententiæ, de quibus videndus Diana 1. *p. tract.* 2. *de Bulla Cruciata resolut* 7. *Mendo in Bullam Cruciatam disput.* 22. *cap.* 3. *Bardi etiam in Bullam par.* 2. *tract.* 5. *cap.* 1. *sect.* 2. Ego breviter respondeo sufficere approbationem Ordinarij, qui sit Ordinarius pœnitentis, aut Confessarij, aut loci, in quo confessiones audiuntur. Probatur responsio: quia quilibet ex dictis verè, & propriè dicitur ordinarius: cum ergo in Tridentino sola Ordinarij requiratur approbatio, solùm requiretur alicujus ex Tribus dictis approbatio.

907. Confirmatur, quia ex pluribus opinionibus, quæ communiter referuntur probabiliores sunt, & inter RR. meliùs receptæ tres: altera, scilicet, quæ asserit approbationem conferri debere ab Ordinario pænitentis, altera, ab Ordinario loci; alteraque, ab Ordinario confessarii: cum ergo nostra responsio tres illas sententias approbet, & simul veras statuat, non minùs rationabilis, ac probabilis quàm ipsæ est judicanda. Si autem contra aliquam partem nostræ responsionis aliqua objiciatur declaratio Cardinalium, aut dicendum est de illa authentice non constare, aut explicanda,

ut explicari solet à Doctoribus, qui eam partem, contra quam militat, unicè defendunt.

908. Ex data responsione colliges, quod approbatus ab ordinario loci alicujus, qui non sit ordinarius ipsius confessarij, quia, scilicet, ibi non commoratur, potest in eo loco confessiones omnium Christi fidelium illuc accedentium audire, posita iurisdictione necessaria. Ratio est, quia tunc datur approbatio ordinarij loci. Extra illum tamen locum potest audire confessiones subditorum illius Episcopi, qui ad ipsum accedant, non tamen aliorum; quia datur approbatio Ordinarij pœnitentis, dùm illos audit; non tamen ea datur, dùm audit confessiones aliorum. Si verò Confessarius sit approbatus ab Episcopo: qui ipsius sit Ordinarius, potest, accedente jurisdictione, quoscunque fideles, & in quibuscunque locis audire, dum non mutat domicilium. Ratio est, quia, quamvis in eo casu non detur approbatio Ordinarij pœnitentis, aut loci, datur tamen approbatio Ordinarij ipsius Confessarij, quæ non minùs sufficit. Vnde ista approbatio multò magis est utilis, & universalis; quia ratione illius ubique potest eligi ratione Bullæ, aut Jubilei: & ubique etiam possunt ei Parochi jurisdictionem suam delegare.

909. Adverte tamen controversiam communiter hoc in loco agitari solitam, an, scilicet approbatus in uno Episcopatu possit ubique confessiones audire, multiplicem habere posse sensum. Aut enim potest inquirere, an dum manet in eo Episcopatu, possit in alijs, dùm in eis est hospes, confessiones audire. Vel aliter, an etiam dùm mutat domicilium ad alium Episcopatum, possit, sine nova illius Episcopi approbatione confessiones audire ratione approbationis Episcopi, qui jam ejus Ordinarius non est, sed potiùs fuit. Et in utroque sensu potest controversia adhuc dupliciter disputari, an, scilicet, possit confessiones audire per commissionem, aut delegationem Parochi; & an possit eas audire ratione Bullæ, aut Jubilei.

910. Igitur, si in primo sensu controversia agitetur, constat ex dictis n. 908. posse talem confessarium audire confessiones sivè ex commissione Parochi, sivè ratione

ratione Bullæ. Ratio est; quia in eo casu, cùm domicilium non mutet, nec etiam mutat ordinarium confessarius: unde dum audit confessiones, quamvis non verificetur, quod habet approbationem Ordinarij pœnitentis, nec loci, verificatur tamen, quòd habet approbationem sui ordinarij.

911. Objicies tamen decretum Clementis X. in Bulla, quæ incipit *Superna* § 4. ubi sic disponitur. *Ad hæc Religiosos ab Episcopo ad confessiones sæcularium in sua Diœcesi audiendas approbatos, non posse in alia Diœcesi eas absque Episcopi Diœcesani approbatione audire, quamvis pœnitentes subditi sint ejus Episcopi, à quo ipsi Religiosi jam fuerant approbati*, quæ dispositio expressè opponitur resolutioni numeri præcedentis; nec non præcipuè responsioni ad propositam quæstionem.

912. Respondeo tamen in prædicta clausula limitari ad summum facultatem, quam habent Regulares, audiendi confessiones in alieno Episcopatu, cum approbatione Episcopi proprij, ratione privilegiorum suorum. Non verò tolli quod cum ea proprij Episcopi approbatione possit in territorio alterius confessiones audire ratione jurisdictionis aliunde acceptæ, videlicet ratione Bullæ, vel Jubilei, vel facultatis Parochi. Quam sententiam loquendo de audiente confessiones ratione Bullæ tenet M. Lumbier *tom. 2. p. 833 à num.* 1180 & tum ratione Bullæ, tum ratione commissionis Parochi tenet P. Torrecilla *tract. 2. consulta 1. num. 5.* ubi habet sequentia.

913. Secundò neque obstat, quod dictus Diana allegat *part. 10. resol. 75. nempe*: Bullam Innocentij X. *in causa Angelopolitana* expedita die 9. Maij Anno 1648. nam in dicta Bulla (& idem intelligendum est de Bulla Clementis X. quæ incipit: *Superna Magni Patris*, expedita 2. Augusti Anno 1670.) solùm limitatur Regularibus usus jurisdictionis, quod ipsis vi suorum privilegiorum competit, taliter, ut illa uti non valeant quo ad absolutionem sæcularium, quin sint approbati ab Ordinario Diœcesano (idest Diœcesis in qua sunt) sed si aliàs delegata fuerit ipsis jurisdictio, ut eam delegare possunt Parochi, quo ad ipsorum oves, aut si virtute

Bullæ Cruciatæ electi fuerint à sæcularibus, sufficient quòd sint approbati in quacunque Diœcesi, seu per quemcunque Episcopum; & idem intelligitur, si electi fuerint virtute alicujus Jubilei, ut tenent Vivaldus, Valentia, Sa, Leander &c. * Ita Torrecilla.

914. Potest autem confirmari responsio data ad propositam objectionem: quia sententia asserens sufficere approbationem Ordinarij Confessoris, ut possit audire confessiones accedente jurisdictione, est satis communis, quam non intendit reprobare Clemens X. quod constat, quia ea sententia loquitur tam de Confessarijs sæcularibus, quam Regularibus, Bulla autem Clementis X. nihil de sæcularibus agit: ergo eam sententiam circa sæculares relinquit in sua probabilitate: ergo etiam respectu Regularium in his, quæ communia sunt Regularibus, & sæcularibus: quia credi non potest, quod intendat pejoris conditionis Regulares facere, quàm sæculares. Ergò de primò ad ultimum intendit, ad vitandas lites quod dicti Regulares in eo alio Episcopatu, in quo approbati non sunt, non possint in vim suorum privilegiorum confessiones audire; non verò, quòd non possint, sicut confessarij sæculares eas audire, vi delegationis, aut privilegij, quòd pœnitens habet ratione Bullæ, aut Jubilei.

915. Si verò in secundo sensu controversia procedat. Dico, quod si approbatus ab uno Episcopo domicilium mutet ad alium Episcopatum, non potest, sine nova approbatione obtenta ab ordinario novi Episcopatus, confessiones audire, nec per commissionem Parochi, nec per Bullam (excipe confessiones fidelium, qui sunt subditi illius Episcopi, qui approbationem dedit, cujus exceptionis veritas constat ex dictis n. 908.) Responsio ista probatur ex dictis: quia de sic audiente confessiones non verificatur, quòd sit approbatus ab ordinario confessarij; cum ille, qui eum approbavit, jam non sit ejus ordinarius: cumque aliàs certiùs sit, quòd non est approbatus ab Ordinario loci, nec pœnitentis, nullam habet approbationem ex requisitis disjunctivè à nobis supra num. 907.

916. Quamvis autem non pauci pro-

ci probabiliter contendant nostram responsionem veram esse, loquendo de confessionibus, quæ fiunt ex commissione Parochi, non tamen loquendo de eis, quæ fiunt ratione Bullæ, vel Iubilei: ego disparitatem non invenio; quia Bulla eodem tenore exigit Ordinarij approbationem, ac Tridentinum, nec ejus dispositioni videtur ullo modo derogari velle. Quamvis enim Bulla petat approbationem Ordinarij; Tridentinum verò, quòd ab Episcopis approbatio obtineatur; ista diversitas solùm est in vocibus materialibus, non in sensu, quia Tridentinum solùm loquitur in plurali eò, quòd propter diversitatem confessariorum, & pœnitentium, diversorum Episcoporum approbatio est necessaria.

917. Vnde colliges sententiam asserentem Sacerdotem approbatum ab uno Ordinario posse ubique terrarum confessiones audire à nobis reputari falsam: difficultas autem est, an non solùm falsa, sed etiam improbabilis sit judicanda. Circa quam, si confessarius sit eligendus ratione Bullæ, aut Jubilei, jam satis indicavimus num. præced. eam sententiam esse probabilem, & meritò, quia quod ab uno Ordinario approbatus possit ubique confessiones audire ratione Bullæ, aut Jubilei, tenet ut æquè probabile N. P. Leander cit. disp. 11. q. 70. & plures ab ipso, & ab alijs citati. Et passim DD. eam sententiam esse probabilem asserant, aut supponant. Et hoc quidem, cum in privilegio Bullæ fundetur, habet locum non solùm in confessario Regulari, sed etiam in sæculari.

918. Tota ergo difficultas est, an, seclusâ Bullâ, & Jubileo, sit probabile saltem respectu Sacerdotis Regularis, quòd ab uno ordinario approbatus possit ubique terrarum confessiones audire. Pro sententia affirmante id esse probabile, refert Diana *part.* 10. *tract.* 14. *resol.* 23. P. Leandrum de Murcia *in cap.* 7. *Reg. S. Francisci q.* 8. *conc.* 3. ejus verba transcribens, hisque concludens verbis * Hucusque Leandrus, cui à fortiori adde DD. quos citat alter Leandrus de *Sacram. to.* 1. *tract.* 5. *disp.* 11. *q.* 66. quorum sententiam probabilē ipse putat; nam contrariam, quam tenet, vocat tantum probabiliorem; quod valdè miror; nam citat pro

diecre-

decretum Urbani VIII. quo supposito non debebat ampliùs affirmativam sententiam tanquam probabilem admittere * ita Diana.

919. Sed poterat non ita valdè mirari Diana primò, si legisset responsionis N. P. Leandri, vel unam lineam integram, in qua sententiam negativam vocat certam: sic enim respondet * Sed longè multò probabiliùs, imò jam ut certum, etiam loquendo de Regularibus, respondeo: non posse. * Vbi sententiam, quam docet, non solùm probabiliorem vocat, ut refert Diana, sed jam certam. Eadem autem verba inveniuntur in impressione Complutensi edita Anno 1642. atque in Lugdunensibus. Deinde poterat non ita valdè mirari, cum homines valdè Docti post decretum non solùm Vrbani VIII. sed etiam Innocentij X. eam sententiam affirmativam probabilem judicent, ut videbimus.

920. Sententiam ergò negativam tenet in primis N. P. Leander, ut vidisti num. præcedenti. Deinde eam tenet Diana, & apud ipsum alij. Cujus verba ex citata resol. 22. placet transcribere. * Sed novissimè, (inquit) de hac quæstione puto non esse ampliùs dubitandum, stante Brevi Sanctissimi D. N. Innocentij X. in causa Angelopolitana jurisdictionis in Indijs Occidentalibus novæ Hispaniæ, impresso Romæ Anno 1648. Cum itaque, in dicto Brevi Pontifex ad nonum dubium respondeat Regulares in una Diœcesi approbatos nequaquam posse in alia Diœcesi confessiones audire sine approbatione Episcopi Diœcesani, sequitur affirmativam sententiam Leandri de Murcia. & aliorum, non posse ampliùs sequi, nec probabilem vocari, cum apertè pugnet contra Pontificiam declarationem, quam Pontifex inviolabiliter, ut patet ex verbis Bullæ, cum clausula, & decreto irritanti, observari mandat. Et quidem etiam secluso Brevi Sanctissimi D. N. Innocentij, stante Decreto Vrbani VIII. Ego supra dictæ sententiæ adhærere non poteram, & mecum sentiebat Eminentissimus Lugo *de pœnit. disp.* 20. *nu.* 29. & alij Doctores, quos alibi adduxeram, quibus adde Torreblancam *lib.* 14. *pract. cap.* 2. *num.* 6 10 & 12. *Granadum in* 3. *part. controv.* 7. *tract.* 10. *disp.* 5. *sect.* 2.

*sect.* 2. *num.* 12. & alios. Vnde rectè dixit novissimè P. Martinus de S. Joseph *in monit. Confessarior. tom.* 1. *lib.* 1. *tract.* 24. *de pœnit. nu.*8. Sacerdos approbatus ab uno Ordinario non potest audire confessiones in alio Episcopatu sine nova approbatione. Ita decretum fuit ab Vrbano VIII. Anno 1628. revocando omnia privilegia, & facultates audiendi confessiones sine approbatione Episcoporum Diœcesanorum. Itaque in casu, quòd detur tale decretum Pontificium, cessat opinio Henriquez antea probabilis *lib.* 6. *de Pœnit. cap.* 6. *num.* 7. *Ægid. disp.* 8. *Dub.* 7. *num,* 57. & aliorum, qui affirmarũt, quòd sufficiebat approbatio unius Episcopi ad audiendas confessiones ubique terrarum; quia nihil aliud requirebat Tridentinum; at si verùm fatear, non vidi authenticam istam declarationem, seu Decretum Vrbani VIII. Ita ille. Sed Decretum Vrbani VIII. adesse, non est dubitandum, & hodie, ut diximus, cessat omnis difficultas, stante Bulla Innocentij X. Ergò &c. * Ita Diana.

921. Nihilominùs ego respondeo 1. etiam post Decreta Vrbani VIII. & Innocentij X. esse probabile, quòd Regularis ab uno Episcopo approbatus possit ubiq; terrarum confessiones Sæcularium audire. Probatur responsio ista. Quia ante prædicta decreta Vrbani, & Innocentij poterant Regulares virtute unius approbationis ubique confessiones audire ex privilegijs Sixti V. & Clementis VII. sed per dicta Decreta non aufertur, aut revocatur ista facultas, vel saltim est probabile, quòd non auferatur: ergo etiam post dicta Decreta est probabile, quòd possit Regularis ab uno Episcopo approbatus ubique confessiones audire.

922. Minor præcedentis discursus, in qua est difficultas, probatur in primis de Decreto Vrbani VIII. Quia in illo, ut ipsum inspicienti constabit, tantùm revocantur privilegia generalia absolvendi Sæculares absque approbatione, & examine Ordinarij: unde non loquitur in nostro casu, in quo unius saltem Ordinarij approbationem dari supponitur. Quam doctrinam expresè tradit Doctissimus P. Fr. Antonius à Spiritu Sancto *in suo Directorio Regular.*

*par.*

*par.* 1. *tract.* 2. *disp* 3. *sect.* 1. *num.* 14. & N. Ludovicus à Conceptione *tom.* 3. *de potest. & Privileg. Regular. lib.* 8. *tract.* 5. *illat.* 3. *num.* 8.

923. Deinde circa Bullam Innocentij X. ei applicari posse eandem expositionem. quam dedimus num. præcedenti docent dictus Ludovicus N. nu. 12. & Antonius à Spiritu Sancto nu. 16. Sed uterque displicet: quia verba Innocentij in dicti dubij noni propositione, & in responsione ad ipsum satis clara sunt contra sententiam asserentem sufficere unius Episcopi approbationem ad audiendas ubique confessiones: sic enim ibi * Nono, utrum Regularis quicunque, etiam Soc: JESU possit administrare Sacramentum Pœnitentiæ sæcularibus absque licentia Episcopi Diœcesani, etiamsi in aliena Diœcesi approbatus sit? Respondit Regulares etiam Soc: JESU in una Diœcesi ab Episcopo approbatos ad confessiones personarum sæcularium audiendas nequaquam posse in alia Diœcesi hujusmodi confessiones audire sine approbatione Episcopi Diœcesani. * Ita Innocentius.

924. Quare meliùs præfatus Antonius à Spiritu Sancto dicit eod. n. 16. Eam declarationem Innocentij procedere tantùm * pro Episcopatu Angelopolitano in Indijs occidentalibus ad sedendas lites, & scandala, ibi inter Episcopum, & fratres Societatis subortas. Ita Lezana *in Consilijs consil.* 40. *num.* 113. * & concludit sic * Vnde nostra sententia adhuc probabilis est, ut antea, & non improbabilis, ut contendebat Diana. Nam illud Breve Innocentij X. nihil ei saltem in his partibus præjudicat. * Ita Doctissimus Pater. Noster autem Ludovicus à Conceptione non solùm probabilem, sed sibi evidentem, immò absolutè evidentem eam sententiam vocat post decreta Innocentij, & Vrbani. Sed lavat manus suas eam nec probabilem esse protestando post Bullam Clementis X.

925. Præterea P. M. Gabriel de Henao à me de hac re consultus respondit prædictam sententiam etiam post prædicta Decreta Vrbani, & Innocentij esse probabilem, & tutam, & sic judicasse Magistros sui Regalis Collegij Salmantini conferentiâ de

hac re inter ipſos habitâ. Fundamentum autem, quod indicavit mihi, eſt, quòd ea Vrbani, & Innocentij Decreta, nec generalia ſint, nec publicata, & intimata in Hiſpania. Nec ergò data à nobis reſponſio fundamento caret, nec authoritate ſufficientibus ad eam probabilem judicando. Vnde ſolùm reſtat modo examinare, an etiam poſt Clemenris X. Bullam, aliquam etiam dicta ſententia probabilitatem retineat. Pro cujus deciſione.

926. Reſpondeo 2. etiam poſt Bullam Clementis X. editam anno 1670. probabile eſſe, quod poſſit Regularis approbatus ab uno Ordinario, ubiq; terrarum confeſſiones audire. Probatur: quia, quod talis Regularis ab uno Ordinario approbatus ubiq; poſſit confeſſiones audire, probabile erat poſt Decreta Vrbani, & Innocentij, ut diximus in reſponſione 1. ſed probabile iterum eſt, quod Bulla Clementis X. non ſit in Hiſpania recepta: ergo probabile eſt etiam poſt dictam Bullam Clementis, quòd Regularis ab uno Ordinario approbatus poſſit ubiq; confeſſiones audire.

927. Minor præcedentis diſcurſus probatur ex doctrina P. Martini de Torrecilla *in ſuis conſult. tract. 2. conſult. 4. addita in 2. editione*, ubi ait * Quantum ad Bullam Clement. X. *ſuperna Magni Patris*, verùm eſt publicatam fuiſſe in hac Curia Regia Matritenſi ab Illuſtr. DD. Galezo Mariſcotti Nuncio Apoſtolico die 7, Septembris annò 1672. Sed omnes Religiones congregatæ fuerunt in Conventu S. Philippi A.R.PP. Auguſtinianorum, & cõvenerunt in hoc quod omnibus modis de tali Bulla ſupplicaretur. Elegerunt duos Commiſſarios A.R.P.M. Heredia Carmelitam unum, & A.R.P.M. Herrera ex Minimorum Ordine alterum, ut diſponerent unum memoriale, in quo omnia incommoda, quæ ex executione prædictæ Bullæ oriri poterant continerentur, & traderētur Sereniſſimæ Reginæ Matri implorando ſuum Regium patrocinium: ita factum fuit, & ſupplicatum ab executione memorati decreti; Itaque videtur non fuiſſe in executione poſitum, ut inſinuavi in meo libro propoſitionum pag. 120. (in 2. editione p. 110.) n.30. * Ita Torrecilla, qui

qui consimilia habet n.30 citato.

928 Si ergò verùm est, quòd in Hispania ea Bulla Clementis X. recepta non sit, erit utique probabilis hæc nostra secunda responsio, sicut prima. Sed quia cum aliqua formidine hoc dicit P. Torrecilla; quamvis fundamenta, in quibus nititur ad asserendum eam Bullam non esse receptam, mihi videantur sufficientia ad id probabiliter affirmandum, meum judicium de ea receptione doctoribus submitto, & consequenter eisdem submitto judicium de probabilitate secundæ responsionis datæ, quæ in ipsa non receptione talis Bullæ fundatur.

## *QVÆST. XIV. Aliqua dubia circa approbationem resolvuntur.*

929. Dubitabis 1. An Religiosus, qui ab Episcopo obtinuit approbationem, possit confessiones audire, absque licentia sui Prælati. Respondeo, posse validè eas audire; si aliàs ei conferatur jurisdictio ab Episcopo vel Parocho, vel eligatur per Bullam, aut Jubileum; non tamen, si ea jurisdictio deficiat; nec poterit absolvere à casibus, à quibus possunt alij Religiosi ob Religionis Privilegia. Ratio conclusionis est; quia Tridentinum non requirit aliam approbationem, præter approbationem Episcopi. Quamvis autem alia approbatio non requiratur, requiritur tamen jurisdictio, quæ, quamvis à Pontifice concedatur Religiosis, non conceditur omnibus immediatè, sed medijs Prælatis: unde eam non habet Religiosus, qui confessiones audit sine Prælatorum licentia. Quòd autem licentiâ, & privilegijs ordinis non fruatur, non tollit, quòd ei possit ab Episcopo, aut Parocho delegari jurisdictio, aut etiam per Bullam, aut Jubileum: unde si sic delegetur, poterit confessiones audire; non tamen aliter. Addit præterea N. P. Leander, quòd talis Religiosus non peccabit mortaliter audiendo confessiones, nisi constitutiones Religionis obligent ad mortale. Mihi tamen videtur probabiliùs. quòd, si palàm id faceret, mortaliter peccaret; quia necessariò tunc intercederet contemptus, qui, quia materia est secundùm se gravissima, quamvis non sub præcepto, gravis debet censeri.

Secun-

930. Secundò dubitabis, an possit Episcopus sine justa causa negare approbationem. Supponit dubium, quòd possit cum causa justa, veluti ex defectu in doctrina, aut moribus. Ad id ergò, quòd inquirit dubium, respondeo negativè. Ratio est: quia quamvis licentia, sive delegatio jurisdictionis sit gratia, & possit Episcopus pro libito eam negare, approbatio nequaquam est gratiâ; sed actus justitiæ: sicut est actus justitiæ approbatio illius, qui ad Beneficium Curatum fuit electus, quia sicut iste impeditur à jure, quòd habet in Beneficium, sic ille à jure, quod habet, ut eligatur in confessarium, quòd jus habet per Sacerdotium, sicut Parochus per electionem; uterque tamen sub conditione approbationis.

931. Tertiò dubitabis, an, si Episcopus neget injustè approbationem, non solùm peccet, sed etiam censendus sit Sacerdos approbatus. Communis sententia docet non censendum approbatum; quia defacto approbationem non obtinet, ut exigit Tridentinum. Si tamen de Sacerdotibus Regularibus sermo sit, quamvis plures, quos referunt, & sequuntur Facundez *in 2. Eccles. præcept. lib 7. cap. 2. num. 15. Castro Palao tom. 4. tract. 23. disp. unic. punct. 17. §3. num. 9. & N. P. Leander tom. 1. tract. 5. disp. 11. quæst. 83.* censeant eos debere approbatos judicari: eorum tamen sententia jam sustineri non potest: quia damnata est ab Alexandro VII. propositio enim 13. ex damnatis ab illo talis est * Satisfacit præcepto annuæ confessionis, qui confitetur Regulari Episcopo præsentato, sed ab eo injustè reprobato *

932. Ubi nota, quòd non comprehenditur in damnatione istius propositionis sententia N. P. Leandri cit. *disp.* 11. *quæst.* 62. *Palai tract.* 23. *punct.* 17. § 4. n. 6. & aliorum asserentium tum Regularem, tum etiam sæcularem confessarium approbatum absolutè, si postea injustè reprobetur, posse audire confessiones, & satisfacere, qui ei confitetur, præcepto confessionis annuæ. Quia talis confessarius verè est de facto approbatus; revocatio enim injusta, cum nulla sit, non potest approbationem jam datam tollere. Videatur Torrecilla *tract.* 2. *consult* 1. *num.* 38.

933. Quartò dubitabis, an approbatus

probatus cum limitatione ad personas aliquas, vel locum, possit per Bullam eligi ab omnibus sine limitatione. Suppono prædictas limitationes, quoad personas, locum, vel etiam tempus, non posse poni in approbatione Religiosorum ab Episcopis sine causa, ut constat ex Bulla D. Papæ Clementis X. incipit *Superna*, ubi inter alia § 4. hæc habentur * Illos autem Religiosos, qui ad confessiones audiendas idonei generaliter reperti fuerint, ab Episcopis generaliter quoque, & indistinctè, absque aliqua limitatione temporis, certorumque locorum, aut generis personarum in Diœcesi propria admittendos: quoad cæteros verò, qui non adeò idonei reperiuntur, si petierint se admitti, arbitrio Ordinariorum relinqui, ipsos cum limitata facultate, prout eisdem Ordinarijs magìs expedire videbitur, probare & admittere. * ita decretum. Hoc supposito.

934. Ad dubitationem respondeo negativè. Ratio est: quia approbatus pro viris tantùm v. g. non est absolutè approbatus; sed potiùs pro viris absolutè approbatus, & pro fœminis absolutè non approbatus: ergo cum ratione Bullæ solùm approbatus eligi possit, talis confessarius à viris, pro quibus fuit approbatus, eligibilis erit; à fœminis verò, pro quibus non fuit approbatus, non erit eligibilis. Nec video, quomodo indoctus confessarius, qui, ex defectu doctrinæ, est solùm pro oppido approbatus, possit in civitate audire ratione Bullæ confessiones, pro quibus audiendis est inidoneus reputatus; cum intentio Pontificis in Bulla sit, quod ita eligantur confessarij, ut electio ista sit inter idoneos facienda.

935. Nota tamen, quòd opposita sententia, nec est improbabilis, nec damnata in propositione 13. ex contentis in decreto Alexandri. Vnde immeritò M. Lumbier *tom.* 2. *pag.* 632. *n.* 734. *&* *pag.* 838. *nu.* 1192. *&* 1193. *&* *pag.* 841. *n.* 1198. asserit sibi non esse practicè probabilem sententiam asserentem, quòd, si Episcopus in approbatione confessarij dicat se eam limitare, ne valeat pro Monialibus sibi subditis, valeant adhuc confessiones talium Monialium virtute Cruciatæ factæ, & nu. 1195. objectionem contra doctrinam istam sic proponit,

proponit, & solvit. * Dicet aliquis, quòd etiam datur una clausula, quæ impedit audire confessiones mulierum, nisi in ætate 40 annorum, & hoc non obstante gravissimi Authores sentiunt, quod ista clausula non impedit ad minùs Religiosos cõfessiones audire, quin expectent ad præfatam ætatem, sicuti neque in Parochis spectatur. Ergo neque impediet Monialium confessiones audire. Nego consequentiam; Nam prima mulierum limitatio fundatur in sola præsumptione, non verò in defectu approbationis; nam in præsenti datur illi approbatio de sufficientia pro eo tempore, quo habeat 40. annos; atque ab ipsomet suo Sacerdotali statu approbationem habet de bonitate. Itaq; cessante præsumptione, quando constet, quòd tantùm in illa fundatur, videtur limitationem cessare. Attamen pro Monialibus non habet approbationem sufficientiæ nec pro præsenti, nec pro futuro, estque pro illis, sicut expositus, & repulsus ab Episcopo (de quo loquitur propositio 13 damnata) qui licèt injustè repulsus fuerit, non potest validè confessiones audire. * Ita Lumbier.

936. Sed immeritò, ut dixi, improbabilem vocat eam sententiam. Quòd enim cum limitatione approbatus pro certo loco, aut personis, possit virtute Bullæ ab omnibus eligi, tenent plures Doctores, quorum sententiam refert, & sequitur, ut æquè probabilem N. P. Leander cit *disp.* 11. *q.* 68. *&* 69. eamque tuetur Pat. Torrecilla *tract* 2. *consulta* 1. *à num.* 33. & in terminis de Monialibus loquendo idem tenet cum alijs relatis supra nù. 900. Responsio autem, quam præbet M. Lumbier ad replicam sibi factam loquendo independenter à Bulla, optima est, si tamen Moniales privilegio Bullæ utantur, continet quidem doctrinam probabilem, quam nos etiam dedimus supra n. 934. non tamen certam, ut immeritò eam judicat dictus M.

937. Sed per aliud extremum displicet P. Torrecilla dum *tract.* 2. *consulta.* 4. *num.* 3 ait Religiosum à suo Provinciali approbatum ad confessiones Religiosorum posse virtute Bullæ confessiones Monialium Episcopo subjectarum audire. Nam mihi certum est, quod facultas, quam præbet Bulla eligendi in confes-

sarium Sacerdotem ab Ordinario approbatum, intelligi debet de approbato ob Ordinario, qui Episcopus, vel jurisdictionem Episcopalem habens in sæculares: cum ergo dictus Religiosus solùm à suo Provinciali sit approbatus, etiamsi ab eo esset, etiam pro confessionibus sæcularium, approbatus, non posset, sæcularium adhuc, virtute Bullæ confessiones audire. Ut tanquam certum tenet N. P. Leander *disp.* 11. *cit. q.* 56. In ordine autem ad eligendum confessarium per Bullam non habent amplius Moniales Episcopo subjectæ, quam sæculares; satis utiq; erit, si tantumdem habeant. Unde si approbatio Provincialis esset vera approbatio, & sufficiens, ut per Bullam eligi à Monialibus posset, esset etiam sufficiens, ut eligi etiam per eandem Bullam posset à sæcularibus: quod non admittit Torrecilla.

938. Quamvis autem loquendo de Jubileo videatur opponi nobis Palao *tom.* 4. *tract.* 23. 17. *num.* 11. revera non opponitur, sed tantum docet, quòd tempore Jubilei possint Religiosi confiteri corā confessarijs à Prælatis designatis, non quidem, quia Jubileum id eis concedat; sed quia non tollit jus, quòd ante ipsum Religiosi habebant, * Sed potiùs (verba sunt Palai) illo jure retento, hanc illis extensionem addidisse, ut approbatum ab Ordinario loci eligere possint. Quare illa verba approbatum ab Ordinario ampliativè, & non privativè sumenda sunt. * Ita Palao, qui proculdubio non concedit, nec concessurus conijci potest, quòd Moniales, præsertim Ordinario subjectæ, eligere possint vi Bullæ, aut Jubilei confessarium non designatum pro ipsis, sed tantùm pro Religiosis sivè alterius, sivè ejusdem Ordinis; cum tantùm id concedat Religiosis loquendo de confessario, non præcisè à Prælato approbato, sed etiam pro ipsis designato, & adhuc de isto dicat tutius esse, quod confiteatur ei, qui etiam ab Episcopo sit approbatus.

939. Pro hujus quæstionis complemento nota, quòd necessarium non est, quòd approbatio detur in scriptis, sed sufficit, quòd detur voce, aut etiam signis, dum sufficienter approbationem significent; meliùs autem erit, si inscriptis detur, ut de ea

ea possit constare. Denique adverte, quòd quamvis approbatio debeat gratis dari; non tamen erit nulla, si detur pro pretio; quia verba Tridentini, dum asserit, quòd gratis detur, non continent conditionem, sine qua non, sed solùm præceptum.

## *QVÆST. XV. VTRVM novus Episcopus possit omnium Regularium licentias suspendere, & de novo illos, etiam sine rationibili causa, examinare.*

940. QVamvis quæstio ista eruditiorem & in moralibus materijs magìs versatum postulet; quia tamen hic locus est ei debitus, non possum non ejus aliquam præbere notitiam, præsertim, cum casus non sit metaphysicus, sed satis frequens propter curam, quàm apponere solent aliqui Episcopi, aut in procuranda suæ conscientiæ quiete, aut in extendenda sui officij jurisdictione. Igitur in hac quæstione prima sententia tenet posse Episcopum de novo advenientem in propriam Diœcesim omnes Regulares ad examen vocare, ut sufficientes approbet ad confessiones audiendas, & reprobet insufficientes, quamvis ab antecessore fuerint examinati. Tenent hanc sententiam Miranda in Manuali Prælatorum *quæst.* 45. *art.* 7. *Diana* 3. *p. tract.* 2. *resol.* 27. & 4. *par. tract.* 4. *resol.* 200. *Hurtado disp.* 10. *difficul.* 19. malè pro se citans *Vazq.* & *Enriquez. Fagundez in* 2. *Eccles. præcepto lib.* 7. *cap.* 2. *n.* 26. malè etiam asserens hanc sententiam expresè defendi ab Enriquez. Eandem sententiam tenet Amicus *disp.* 15 *de pœnitentia n. ultimo, Mendo in Bullam Cruciatam disp.* 22. *n.* 58. & *n.* 99. *Suarez de pœnitentia disp.* 28. *sec. ultima*, in eamque inclinat *Lugo disp.* 22. *n.* 67. Ac tandem eandem sententiam mordicus defendit Joannes Sanctius *in selectis disp.* 48.

941. Secunda sententia negat posse novum Episcopum confessarios Regulares à suo antecessore approbatos ad examen vocare, aut eorum licentias, sive approbationes revocare. Tenent sententiam istam Enriquez *lib.* 6. *cap* 6 *ac nu.* 6. *Vazquez de pœnitentia quæst.* 93. *art.* 3. *dub.* 5. *num.* 4 Quamvis num. 5. asserat, posse Episcopum ob aliquam rationabi-

tionabilissimam causam approbationem revocare, quod de approbatione alicujus particularis intelligi debet, cùm impossibile sit, quòd ad omnium licentias revocandas rationabilis causa inveniatur, nedum rationabilissima. Tenent etiam sententiam istam Sotus *in 4. distinctione 18. q. 4. art. 3. Ludovicus Lopez secunda parte instruct. cap. 8. de Bulla, § 4. dicitur* apud me pag. 814 Villalobos 1. *p. tract.* 9 *difficult.* 53. apud me nu.6 apud Dianam 5. sed certè hæc differentia dabitur propter diversam impressionem; refert enim Diana verba Villalobos, quæ ego in ipso non reperio: erit ergo impressio diversa; utraque tamen pro secunda hac sententia. Eandem tenent sententiam Ilamas 1. *part. summæ cap. 7. pag.* 70. *Rodriquez tom.* 1. *quæstionum Regularium q.* 59. *Navarrus in summa cap.* 27. *nu.* 262. *Martinus de Sancto Ioseph. lib.* 1. *summæ tract.* 24. *num.* 17. eamque tenet, & latè ac eruditè defendit Alfonsus Carranza in quodam Consilio contra Archiepiscopum Toletanum. Aliud etiam Consilium citat Diana editum Barcinone à 29. Doctoribus subscriptum. Eandem sententiam tuetur Noster Pater Generalis, Leander de Sanctissimo Sacramento citans plures ex à me relatis, & præter eos Vivaldum, Vegam, & Joannem à Cruce; eandem tandem sententiam veram existimavit Congregatio Prælatorum, omnium Conventuum Religiosorum hujus Salmanticensis Civitatis habita in Collegio Divi Bernardi die 11. Februarij hujus anni 1661. quæ Congregatio ptopter viros doctrinâ, Religione, animarumque salutis zelo præstantissimos, qui ei interfuerunt, adeo est apud me gravissima, ut nulla alia sit præferenda, nisi Pontificia authoritate fulciatur; propterea que tutô propter tantæ Congregationis authoritatem, in quibuscunque similibus casibus hæc sententia est amplectenda.

942. Nostra conclusio sit: non potest novus Episcopus omnes Regulares ab antecessore approbatos ad examen vocare, aut eorum revocare licentias. Dixi in conclusione omnes regulares, quia de omnibus præcipuè est quæstio, & quia facilè regulares Episcopis cedent in eo, quod unum, vel alterum ex ipsis ad examen

men vocent. Re tamen vera sentio, quod nec unum vocare possint, quòd probant aliquæ, si non omnes nostræ sententiæ rationes, ut facilè quisque videre poterit: nostra ergo conclusio de omnibus probanda est.

943. Probatur ergo 1. conclusio nostra ex extravaganti Boni facij Octavi *Super Cathedram*, approbata à Clemente V. in Concilio generali Viennensi *in cap. dudum de sepulturis* in eis namq; assignatur modus, quo Regulares approbandi erant ab Episcopis, videlicèt ipsis se præsentando, eorum tamen approbatio erat perpetua; tum quia id concessit Benedictus Vndecimus in extravaganti *Inter cunctas de privilegiis*, quæ etsi fuerit revocata in Clemētina *Dudum*, non tamen quoad hoc, sed quoad alia: tum etiam, quia in ipsa *Clementina dudum*, ut refert Miranda *citat. quæst.* 45. *art.* 7. *part.* 2. dicitur de Religiosis *cum & ipsi semel approbati quasi pro Curatis essent habendi*; cum ergo Episcopi suorum Curatorum non possint licentias revocare, sed eorum approbatio sit perpetua, similiter dicendum est de Religiosorum approbatione; non ergo possunt Religiosi à successore Episcopo ad examen vocari, aut eorum licentiæ revocari.

944. Vt autem planius in hac probatione procedamus, adverto, quod privilegia nu. præcedenti memorata solùm fuerê concessa Religiosis Dominicanis, & Franciscanis; affero tamen ea ad probandum de omnibus Religiosis; quia quælibet ex alijs Religionibus, contendit se habere privilegium speciale ad utendum omnibus mendicantium privilegijs eodem modo, ac si ipsis fuissent concessa, hoc autem non probo, quia operosum esset, & quia adversarij nostri in hac quæstione hoc nequaquam negant, sed potiùs supponere videntur, dum contendunt probare, quod tam mendicantes, quam non mendicantes examini novi, sivè successoris Episcopi debeant esse subjecti. Secundò adverto, me non facere expressiorem mentionem de commemoratis privilegijs, quia video, neque ab ipsis adversarijs negari, quod juxta ipsorum tenorem approbatio erat perpetua & Religiosi nova approbatione, sivè præsentatione non indigebant: aliâ ergo viâ, quàm dicta privilegia

legia negando conantur adversarij respondere ad nostram probationem.

945. Respondent ergo 1. dicta privilegia revocata esse per motum proprium Pij V. editum anno 1571. ubi expressè disponitur, non posse regulares semel approbatos ab eodem Episcopo examinari. Additur tamen, *ab Episcopo autem successore pro majori conscientiæ quiete examinari denuo poterunt.* Contra istam tamen responsionem est, quòd à successore Pij V. Gregorio XIII. dictus motus proprius Pij V. & alius editus ab ipso Pio V. anno 1567. revocati omninò fuerunt, quoad omnia in eis contenta, reducendo omnia, quæ in eis continentur ad terminos juris communis, & Concilij Tridentini, inter alia enim hæc dicit Gregorius. * Statuimus, & Ordinamus de prædictis, & omnibus alijs literis, & constitutionibus, quæ ab eodem prædecessore eisdem de rebus pro quorumcunq; Regularium, etiam mendicantium Ordinibus, & Congregationibus quomodolibet emanarint, ac omnibus, & quibuscunque in eis contentis, eam deinceps dispositionem, atque decisionem pro subjecta materia futuram esse, quæ, sive ex jure veteri, sive ex Sacris dicti Concilij decretis, sivè aliàs legitimè, ante dictarum literarum constitutionem, & editionem erat, ac si ipsæ non dimanâssent, futura fuissent, ad quam dispositionem, & decisionem, suumque pristinum & integrum statum, ac terminum illa omnia reducimus. * Quibus, & alijs, quæ ad majorem firmitatem superaddit, expressè revocat motus Pij V. de hac materia, quoad omnia, quæ in eis continentur, & reducit ad dispositionem Tridentini, & veteris juris communis, quod adeò clarum est, ut Sanctius contrariæ sententiæ acerrimus propugnator id ipsum nobis cum fateatur. Quapropter.

946. Aliter respondet Sanctius ad nostram probationem *disp.* 48. *citata nu.* 16. dicta privilegia revocata fuisse per Concilium Tridentinum *sess.* 23. *cap.* 15. ubi traditur nova forma ad hoc, quòd validè possint Regulares confessiones auscultare; Concilium enim postulat approbationem per examen; Clementina verò, & extravagans Bonifacij solam præsentationem postulabant;

labant ; tandem tamen fatetur Sanctius, quæstionem esse de nomine, an Concilium revocaverit Clementinam, an verò ei aliquid addiderit: & hoc secundùm indicat sibi veriùs videri. Hoc ergò, quòd concedit nobis, ego assumo, quia verissimum mihi videtur, tùm, quia correctio juris vitari debet, quantùm fieri possit: ergo cum in Concilio solummodo clarè contineatur additio; non verò clarè contineatur revocatio, solam additionem contineri debemus dicere: ex hoc ergò, quod concedit Sanctius, argumentor: ergo in omnibus servari debet forma tradita à Clementina, addendo solùm, quod ei superadditur á Tridentino: undè ulterius infero: ergò addendo præsentationi examen, si Episcopis videbitur, in reliquis standum est Clementinæ; sed juxta Clementinam approbatio erat perpetua, & nec á successore Episcopo revocabilis; ergò talis est modo approbatio facta post Tridentinum: patet consequentia; quia Tridentino fit satis addendo, quòd præcipit addere; sed præcipit addere præsentationi examen, & nequaquam petit, ut præsentatio repetatur: ergo addendo examen fit ei satis, quin sit necessarium plures modo præsentationes cum examine conjunctas facere, quam ante Tridentinum fiebant sine ipso.

947. Confirmatur posita impugnatio responsionis Sanctij; quia lex nova, & posterior non solùm exponi, sed etiam limitari debet per præcedentem, nisi ei directè contrarietur, ut probat Carranza ex lege *sed & posteriores*, *& ex lege non est novum*, *ff. de legibus*, & ex Juris Consultis Acursio, Bartulo, Baldo, Jason, Panormitano; sed Concilium in ordine ad perpetuitatem approbationis non contrariatur directè Clementinæ, cùm nihil expressè disponat: ergo per Clementinam exponi debet, etsi necessarium fuerit limitari; cum ergo ibi una præsentatio sufficiat etiam juxta adversarios, quin alia fieri debeat etiam successori, sic modo post Tridentinum unica sufficiet præsentatio, superaddito examine, quin alia cum superaddito ipso necessaria sit, adhuc novo Episcopo advenіente.

948. Confirmatur 2. eadem impugnatio ex rescripto Illustrissimi

strissimi Domini Camilli Cajetani Nuntij Apostolici in Hispania à Sanctissimo Domino nostro Clemente VIII. ubi Fratribus Minoribus Sancti Francisci Provinciæ Conceptionis concedit, ut eis serventur ab Episcopis privilegia à Pontificibus concessa præsertim mentionem faciens de privilego concesso à Clemente V. ut non possint à successoribus Episcopis examinari, nec non, & aliorum in eadem Clementina concessorum, & Episcopis strictè præcipit, ut super ea Religiosos non perturbent, nec inquietent : ergo supponit Nuntius dictam Clementinam non esse à Tridentino revocatam; si enim non sentiret, non præciperet ejus observantiam, sed ad Summum de novo dictis Fratribus eam gratiam concederet. Hoc autem rescriptum affertur à Rodriquez *tom.* 1. *quæstionum Regularium quæst.* 59. *art.* 4.

949. Tertiò confirmatur; quia dato, quod per Tridentinum mutata omninò fuisset forma approbationis, id contingeret per subrogationem examinis loco præsentationis : ergo sicut in terminis Clementinæ approbatio erat perpetua, & una sufficiebat præsentatio in quolibet Episcopatu, sic post Tridentinum se debet habere examen. Probatur consequentia ; quia juxta Canonistarum regulam subrogatum debet sapere naturam, & qualitates ejus, pro quo subrogatur, ut optimè tradunt Carranza fol. 8. Suarez *lib.* 6. *de voto cap.* 20. *num.* 14 & apud Carranzam plures alij, in quibus ego id non reperio, sed id tribuo errori citatum ; etiam enim apud Suarez inveni in nu. 14. quòd citabatur in primo.

950. Secundò probatur conclusio nostra independenter ab omni privilegio circa approbationem, & ab eis omninò præscindendo ; quia Tridentinum, cum cap. 15. ses. 23. disponit nullum regularem cofessiones audire posse, nisi per examen, si necessarium videbitur, ab Episcopis approbationem obtineat: approbationem prævio examine factam, ut conditionem, requirit ad audiendas confessiones : ergo posita semel approbatione cum examine, si necessarium videatur, semper absque novo examine poterit Regularis confessiones audire. Probatur consequentia

quentiâ, quia dispositio absoluta, & generalis semper intelligitur in 1. casu, & in eo sufficienter verificatur; sed Concilium absolutè disponit, ut Religiosus obtineat approbationem per examen: ergo intelligitur, & verificatur in 1. approbatione per examen obtenta; quin alia approbatio, aut examen sit unquam necessarium. Cōsequentia est bona; minor constat ex textu Tridentini; major autem constat ex lege *boves*, §. *hoc sermone*, & aliis juribus, quos affert Carranza. Deinde etiam constat; quia loquutio indefinita in uno tantùm verificatur: cum ergo absoluta dispositio indefinitè loquatur, debet sufficienter verificari in unico casu, & consequenter in 1.

951. Respondebis tamen cum Sancio n. 18. approbatum ab uno Episcopo non esse absolutè approbatum in Diœcesi successoris; quia quamvis sit eadem Diœcesis materialiter, est tamen formaliter diversa, & diversum Tribunal: unde mandata specialia emortui Episcopi cessant per ipsius mortem. Mandata verò edita per modum legis, & constitutionis non spirant per mortem ipsius; quia de ratione legis est, ut duret, dum non revocatur, possunt tamen optimè à successore revocari: cum ergo licentiæ, & approbationes à prædecessore concessæ possint ex natura sua revocari à successore, sicut leges, & acta prædecessoris: & aliàs hoc non sit specialiter ei prohibitum, fit, quòd possit Episcopus novus sive successor omnes licentias, & approbationes à prædecessore Regularibus concessas revocare.

952. Sed dum tradit istam responsionem contendit Sancius, quòd, etiam sine causa, possit successor Episcopus licentias, & approbationes revocare. Et in primis probat multùm, videlicèt, quòd non solùm successor, sed etiam ipse, qui licentias, & approbationes dedit, possit illas revocare, quod pauci contendunt. Sequela probatur; quia non minùs Episcopus, qui condit aliquam legem, potest illam revocare, quàm ejus successor: ergo si, quia successor potest revocare legem, potest revocare approbationes, etiam ipse, qui approbationes dedit, poterit illas revocare. Nec hujus datur magis prohibitio, quam illius, juxta Sancium, qui quæstionem hanc

hanc ait resolvi debere juxta Tridentinum, quia decreta ipsum antecedentia sunt per illud revocata; subsequentia verò per Bullam Gregorij XIII.

953. Fallitur ergò Sancius existimans, approbationem se habere veluti legem, quæ non sic se habet (omitto loqui de licentia, quia istam fateor revocabilem esse quia gratia est, eam tamen non concedunt Episcopi Regularibus) approbatio ergo se habet, ut de se est satis clarum, veluti judicium declaratorium idoneitatis, ac sufficientiæ ejus, qui approbatur, de ratione autem judicij est, quòd non possit revocari ad nutum Judicis, sive ejusdem, sive successoris, sed tantum ex nova causa novum formando judicium. Vnde adhuc Sacerdotibus sæcularibus nequit Episcopus, sine justa causa cognita, & probata, approbationem revocare, non solùm licitè, sed nec validè, ut cum Lugo, Suarez. & Diana tenet noster Pater. *disp.* 11. *q.* 86. quòd etiam nos diximus supra n. 932. & novissimè tenet P. Torrecilla *in examin. potest Episcop. tract.* 2. *q.* 3 *sect.* 2. *dif.* 13 *à n.* 87. pro se adducens Facundez, & Palao, & in consult. *tract.* 2. *consult.* 1. *num.* 38.

954. Secunda autem nostra probatio aliquibus etiam confirmationibus magìs stabilitur. Sit prima, quia Episcopi in examine, & approbatione Regularium sunt delegati sedis Apostolicæ, ut tenent Sylvester, Armilla, & Rodriquez, & alij apud Carranzam, & constat ex eo, quod jurisdictio, quæ Religiosis conceditur est Papalis; ad ipsum autem, qui jurisdictionem tribuit, vel ad ipsius Superiorem, approbatio spectat: approbatio igitur Regularium ad ipsum Pontificem, qui eis jurisdictionem tribuit, debet attinere; cumque ipse non possit examinare omnes Regulares, hoc officium delegat Episcopis; tunc sic: ergo Episcopi, semel approbando Regulares, functi sunt officio suæ delegationis, sicut cæteri judices in causis delegatis, causa terminata, suo muneri satisfecisse dicuntur.

955. Secunda confirmatio fit, quia in Bulla Latina circa electionem Confessarij approbati sic dicitur: *Possint eligere confessarium sæcularem, vel cujuscunque etiam mendicantium ordinum Regularem,*

*larem, ex his, qui ab Ordinario, & quoad Regulares, qui semel tantùm approbati fuerint, &c.* In quo non solùm perpendendum est, quòd Bulla concedat eam sumentibus facultatem, ut eligere possint confessarium Regularem semel tantùm approbatum, sed etiam quòd supponit, scilicet istam approbationem unicam in Regularibus sufficere, quia communiter ante Tridentinum, quando concedebatur facultas eligendi confessarium, addebatur, illum idoneum debere esse: unde quia idoneitas post Tridentinum declaratur, & constituitur per approbationem, in conconcessionibus, quæ post Tridentinum fiunt, facultas petit, quòd Confessarius eligibilis, sit approbatus, ut scilicèt, sit idoneus juxta formam Tridentini: cum igitur circa sæculares dicat Bulla, Confessarium debere esse approbatum, & circa Regulares specialiter dicat, quasi illos excipiendo, quòd semel tantùm sint approbati, judicandum utique est, istam differentiam versari inter Regulares, & Sæculares juxta mentem & dispositionem Tridentini. Nec aliquid obest, quod dicta verba non reperiantur in Bulla vulgari sermone, quia id non contingit eo, quòd Commissarius ea revocet, quæ sunt in Latina, sed quia non omnia, quæ in latina sunt, necessarium est cum eadem expressione dici in Hispana, ut omnes Doctores videntur supponere, præter Sancium, qui aliter sentit, ut hanc respuat confirmationem. De prædictis autem Bullæ latinæ verbis testatur inter alios Mendo *in explicatione Bull. disp* 22

956. Duabus rationibus præcedentibus cum suis confirmationibus, mihi videtur probari, quod adhuc cum causa non possint Episcopi Regularium approbationes revocare; in primis enim si verè ex privilegio illas revocare non possunt, hoc intelligi debet adhuc cum causa, nam si intelligatur solùm, quod eas revocare sine causa non possit, privilegium non est, cum potiùs id eis ex natura rei debeatur. Deinde si Episcopus non possit licentias revocare, quia mere delegatus est in approbatione regularium, & dum semel eos approbavit, jam delegatione est functus, ergo quamvis postea regularis det causam; ut approbatio revocetur, non

poterit

poterit Episcopus reprobare; quia sine nova delegatione non potest de causa ista cognoscere.

957. Nec propter hoc dici potest, quod non sit sufficienter provisum super idoneitate confessariorum; quia cum confessarii Regulares habeant Prælatos, qui multò magis quam Episcopi invigilant in examinatione regularium, optimè & securè Pontifex eorum curæ committit, nè Confessarij idonei semel reperti, postea inepti reddantur, & si reddantur, huic incommodo præcavere, eos à confessionibus arcendo; nec etiam ipsis Episcopis, si aliquando cognoscant aliquem confessarium regularem idoneum non esse aditus præcluditur remedio, cum facilè possint suum Prælatum certiorem facere, qui procul dubio remedium adhibebit statim, ut notavit Carranca. Fateor etiam, quod si aliquando contingat, regularem non solùm præbere causam communiter sufficientem ad revocationem approbationis, sed gravissimam, & extraordinariam, ut si seminaret hæreses, aut scandala, tunc posset Episcopus, & approbationem revocare; & illum corrigere, tanquam Apostolicæ Sedis delegatus; quia simili in casu hanc delegationem concedit Tridentinum sess. 5. cap. 2. circa Prædicatores regulares. Vndè optimè Vazquez, dum asserit posse Episcopum revocare licentias Regularium, addit ob aliquam rationabilissimam causam, utique satis indicans, non sufficere rationabilem, sed quæ tam gravis sit, ut compellat Episcopum ad hoc, ut procedat contra eum, qui subditus ipsi non est, tanquam Sedis Apostolicæ delegatus.

958. Si ergo præcedentes rationes probant; quod etiam cum causa non possint Episcopi approbationes regularium revocare, à fortiori multò probant, quod non possint, sine illa, quod tantum est, quod communiter Regulares contendunt; circa revocationem autem generalem, idem est non posse illam revocare absolutè, ac non posse sine causa, quia mihi certum videtur, atque etiam omnibus nostræ sententiæ Doctoribus, & pluribus ex contrarijs, quod nunquam possit dari causa ad revocationem generalem approbationum Regularium.

 959. Sed

959. Sed dices optimè dari posse causam ad hoc, quòd omnes Regulares ad examen vocentur eò, quòd inter illos inveniantur aliqui indocti, surdi, aut aliter inepti. Contra tamen est; quia jam diximus multò majori vigilantia arceri à suis Prælatis prædictos Religiosos ineptos ab audiendis confessionibus, quam ab Episcopis arceantur sæculares inepti, & utinam modo in hac Salmantina Civitate non invenirentur plures Confessarij Sæculares inepti, quam in ducentis annis reperti sunt ex Confessarijs regularibus omnium religionum, quæ in ipsa degunt. Casu tamen, quo non obstanti majori vigilantia, quàm Prælati regulares exhibent, unus, vel alter reperiatur ineptus ex regularibus, hæc non potest esse causa justa, ut omnes ad examen vocentur; sunt enim plures Confessarij utilissimi, qui mallent à Cõfessionibus cessare, quàm examen subire; ubi non solùm de necessarijs essent interrogandi, verùm de definitionibus rerum moralium, quas nimis molestum esset curare habere semper in memoria, ut proprijs terminis dici possent; quod si proprijs terminis non dicerentur, forsan minùs molestum non esset replicas examinatorum audire, qui cum quotidie res illas alios examinando tractent, multas habent ad manum, quibus eos vexare possent.

960. Dices tamen huic malo præcavere posse examinatorum prudentiam. Contra tamen est: quia quamvis credi debeat, examinatores eam prudentiam servaturos, dùm curant omninò adducere Regulares, ut se subijciant Episcopis; quando tamen jam ista obligatio pro re comperta haberetur, redirent ad modum, quem modo aliqui, etsi pauci, servant in primo examine; de quodam enim audivi, quod, dum examinaret quendam Religiosorum Discalceatum, cum ei responsio ad quendam casum displiceret, inquisivit ab eo, quisnam sic resolveret, respondit examinatus Gasparem Hurtadum: tunc examinator caput contorquendo dixit: *quam falsum, quam falsum:* cui examinatus iterum dixit: *quam verùm, quam verùm.* Viderunt Hurtadum, & invenerunt casum resolutum, velut examinatus affirmarat. Quo non

obstante

obstante noluit vinci examinator, sed dixit, Religiosum debere esse humilem; respondit tamen Religiosus, se tunc non examinari de humilitate, sed de scientia necessaria; & tandem examinator casum detulit ad Episcopum, & non fuit parum, quin Religiosus approbatus exiret, cum tamen posset ipsius examinatoris esse magister. Alios etiam possem casus referre, ex quibus satis constaret, non adeò prudentiam abundare in Episcoporum examinatoribus, quando Religiosi ad examen accedunt, quin multi Religiosi, qui abundè sufficientiam habent, prudentissimè eligerent potiùs à Confessionibus cessare, quam novum examen subire; sed illos non refero brevitatis causâ; & quia cuivis constat, quod etsi plerumque examinatores Episcoporum prudentissimè se gerant cum regularibus, atque etiam mitissimè; tamen aliquoties inveniuntur examinatores, qui plus justo sint Religiosis onerosi, quod quidem onus, quamvis Religiosi non subirent defacto, dum ad examen vellent venire, semper tamen ejus periculo exponerentur.

961. Sed contra omnia dicta aliquæ sunt objectiones; objicies ergo 1. quòd saltem sententia asserens Episcopos posse regulares vocare ad examen, probabilis est; ergo possunt Episcopi illam sequendo Religiosos ad examen vocare. Respondeo hoc argumento probari simul, quòd Religiosi possint simul ad examen non ire, quamvis vocentur; quia non minùs sententia asserens, eos non teneri examen subire, probabilis est; est tamen magna disparitas; quia in praxi, quamvis verùm sit, quòd Episcopi licitè procedent, dum defacto ad examen vocant, quia utentur doctorum hominum consilio; ego tamen nequaquam hoc præberem consilium, quia si nolint ire, ut defacto solent, aut desistet Episcopus, aut revocabit approbationes. Si primum, non consequitur intentum; si secundùm, tot sequuntur inconvenientia subtrahendo fidelibus confessarios utiles, expertos, & doctos, & eis providendo, propter penuriam, de indoctis, & adhuc de his non satis; in quo non immoror, quia ubicunq, ad hoc perventum est, ut modo in hac

Diœcesi

Diœcesi Salmantina contingit, tam claræ sunt experientiæ, ut nemo eas possit ignorare ; & de hoc tempore dici posset : *Parvuli petierunt panem, & non erat, qui frangeret eis* : sunt ergo inconvenientia, quæ sequuntur adeò magna, ut tandem Episcopi, communiter saltim loquendo ab intento desistant, ne inconvenientia crescant : ergo cum desistendo postea vitare nequeant inconvenientia, quæ jam fuêre sequuta, tenentur illa præcavere, & sententiam illam non sequi ; quia etsi speculativè probabilis, practicè tamen ita difficilis, ut sine gravi peccato mihi videatur, non posse ad exequutionem reduci.

962. Secundò obijcies ex nostra doctrina sequi, nec Sæculares, etiam Sacerdotes posse ad examen vocari, eorumve licentias revocari. Sequela probatur; quia nos non solùm ex privilegijs, sed etiam ex natura approbationis probavimus nostram sententiam ; ista autem probatio æquè convincit de sæcularibus. Respondeo tamen primò disparitatem magnam versari inter Sacerdotes Sæculares, & Regulares ; inprimis enim Sæculares ab Episcopo non solùm approbationem, sed etiam licentiam, sive jurisdictionem accipiunt, hanc autem potest referre; & quia superior est Parochorum, etiam impedire, quod ab eis concedatur : unde solùm manebunt cum approbatione ; quantum ad examen verò potest, vel omnes, vel aliquos ad examen vocare, quia est eorum superior; in quibus autem non invenerit causam revocandi approbationem, non poterit eam revocare juxta nostram secundam probationem, quamvis de hoc possit magìs dubitari, quam de revocatione unius adhuc regularis sine causa facta, eo quòd in sæcularibus, utpote, ipsius subditis potest dici, quòd semper dat Episcopus approbationem ad nutum revocabilem : nec ullum est absurdum, quòd si non adest causa approbationem revocandi, sit probabiliùs, quod Episcopus non possit eam sæculari revocare, sed solùm licentiam, & quod ille possit per Bullam à quocunque eligi.

963. Tertiò obijcies : Parochorum approbatio est ab Episcopo irrevocabilis, & tamen Parochi possunt ab Episcopo ad examen

examen vocari: ergo etiam Religiosi, quos Parochis comparavimus, poterunt ab Episcopo ad examen vocari. Respondeo tamen primo, permisso antecedenti, negando consequentiam; quia Episcopus est verus Parochorum superior, unde, & ipsi competit curare, ut studeant, ad quod optimum incitamentum est illos aliquoties examinare. Et præterea ad ipsum attinet Episcopum, si sint aliqui Parochi illiterati, eis Vicarium, aut coadjutorem assignare, ut disponit Tridentinum *sess.* 21. *cap.* 6. cum verò Religiosi non sint subditi Episcopi, & habeant superiores, qui invigilant, ut studeant, & ut illiterati à confessionibus arceantur, non est cur Episcopus debeat, aut possit illos examinare.

964. Secundò ad idem argumentum respondeo negando antecedens. Parochos enim non posse ab Episcopo ad examen vocari tenet sententia satis communis, quam refert, & sequitur P. Torrecilla *in suo examine. potest. Episc. edito Matriti anno* 1682. *tract.* 2. *q.* 3. *sect.* 2. *diffic.* 13 *ubi nu.* 74. præcipuè suam mentem explicat per sequentia verba.

965. Dico 2. quòd ad minùs sine unius testis depositione (judicialiter, aut extra judicium ad minùs) qui bene cognoscat omnes Parochos Diœcesis, & sufficientes habeat notitias de illorum scientia, & modo procedendi, seu operandi, vel in defectu talis testis præcedat infamia, aut rumor aliquis de insufficientia in prædictis Parochis, non potest Episcopus eos obligare ad hoc ut iterum de novo coram ipso examinentur; & idem dico de singulis Parochis *Proportione servata.* Ita Torrecilla.

966. Quartò obijcies varias declarationes Cardinalium, quæ militant cōtra nostram sententiam. Respondeo tamē alias etiam Cardinalium declarationes pro nostra sententia à Doctoribus afferri; unde nec pro nostra,, nec contra illam potest efficax argumentum ex declarationibus desumi, ut Sancius notat; tùm, quia non constat, quantam authoritatem habeant Cardinalium declarationes: tùm, quia communiter, qui volunt eas vim legis obtinere, dicunt ad hoc requiri, quòd authentice de illis constet, & quòd factæ fuerint,

rint, consulto Summo Pontifice: non potest autem comperiri, quando oppositæ adducuntur declarationes, quænam potiùs, quàm aliæ dictas conditiones habeant: propter hoc ergo nos à declarationibus abstinuimus, & contrarij abstinere debent.

967. Quinto objicies: quando quis accedit ad novam Diœcesim, tenetur se præsentare Episcopo: ergo etiam quando novus Episcopus venit ad Diœcesim. Probatur consequentia; quia inter utrumque casum solùm versatur differentia materialis, nec est, cur minùs honoris deferri debeat Episcopo advenienti, quàm prædecessori, aut etiam quam ei, ad quem quis de novo accedit. Respondeo tamen negando consequentiam. Ad primam partem probationis respondeo non esse tantum differentiam materialem; quia, quando novus Episcopus succedit in eadem Diœcesi, non mutatur Episcopus, & ejus Tribunal formaliter, sed solùm materialiter: unde sententias ab antecessore prolatas ratas debet habere, & solùm eas potest revocare in casibus, in quibus posset ipse antecessor; Episcopus verò alterius Diœcesis est omninò diversus; non solùm materialiter, sed etiam formaliter, quia est diversum Tribunal, quod non tenetur judicio alterius Tribunalis stare. Ad secundam partem probationis consequentiæ respondeo clarum esse, quòd juxta nostram sententiam æqualis honor tribuitur omnibus Episcopis; si quidem nullus Religiosus potest apud aliquam Diœcesim incipere confessiones audire absque Episcopi approbatione; & addi potest, quòd quilibet Episcopus debet honorem exhibitum suo antecessori, tanquam sibi exhibitum computare.

968. Sextò objicies: si regulares possent cum unica approbatione confessiones audire, ita ut nulla esset revocatio ab Episcopo successore facta, possent utique confessiones audire, etiamsi Episcopus revocaret approbationes: quare ergo sic non faciunt, cum sic melius sua privilegia defenderent: utique alia ratio esse non potest, nisi quòd sint de suis privilegijs valdè dubij. Addit etiam Sancius, Prælatos regulares, qui impediunt suos subditos volentes, ut ad

examen

examen pergant, peccare, quia impediunt fructum confessionum, quas eo tempore audirent.

969. Respondeo tamen ad hoc argumentum verùm esse, quod possent Regulares sua privilegia defendere audiendo confessiones, non obstante Episcopi revocatione; sed adest etiam alius modus defendendi ea: unde quamvis ea defendere teneantur, ut optimè probat ipse Sanctius num. 32. non tenentur tunc ad audiendas confessiones, contemnendo revocationem, cum alius adsit modus, quem prudentiùs eligunt, quàm potuit Sanctius considerare; ille etenim modus foret defensio more castrorum, metaphoricè, & spiritualiter loquendo, cum esset positiva exequutio contra id, quòd Episcopus prohibebat, quod quamvis liceret Religiosis, litibus tamen causam præberet, & nequaquam expedit, dum adest alius satis efficax, in quo summâ modestiâ, & humilitate servata, absque ulla positiva resistentia, se defendunt, quin litibus dent occasionem, & absq; ulla audaciæ nota quam non possent excusare, si aliâ viâ à Sanctio designata se defēderent, si enim sententia nostra, quæ tot Doctorum authoritate firmatur, & tam validis rationibus probatur, ut quamvis evidens non sit, sit tamen evidenter probabilis, non potuit esse secura, quo minùs ab ipso Sanctio, viro alioqui doctissimo, improbabilis judicaretur, quomodo ab acrioribus censuris excusari posset positiva resistentia facta Episcopo; præsertim si in omnibus Parochijs Episcopus Anathematizaret omnes fideles, qui absolutionem à regularibus peterent, aut quomodo Sanctius facilè invenit modum quo imperitus vulgus quietari possit posita actione, quæ malam secum affert apparentiam, cum ipse Sanctius vir inter doctos selectus, non potuerit adduci, ut bene sentiret de doctrina, quam regulares defendunt, & quæ tam à doctis, semper fuit bene recepta, & honorata. Sed non miror, quòd Sanctio visum fuerit faciliùs vulgus ad quietem reduci, quàm ipsum ad veritatem, cum faciliùs semper fuerit alienas passiones corrigere, quàm proprias sedare.

970. Ad id, quod addit Sanctius

ctius non minùs clarè constat, ipsum falli; nullus enim subditus, verò similius loquendo, si præsertim conjecturam sumamus ex his, quæ modo Salmanticæ contingunt, aderit, qui velit examinari, & à Prælato impediatur; potiùs enim si Prælati semel in hoc, quod examini non consentiant præstant consensum millies subditi in id ipsum vellent consentire: dato tamen, quod aliquis subditus vellet examinari, ut confessiones audiret, potiùs Prælati peccarent, non impediendo illum, cum teneantur Prælati per se, & per suos subditos sua privilegia defendere ut constat ex doctrina ab ipso Sanctio tradita.

971. Sed hic observa etiam, quod Sanctius indicavit peccare mortaliter Prælatum, qui impediendo, unum, vel alterum volentem examinari, foret causa, ut confessiones non audiret, & non vidit ullum peccatum in Episcopo, qui intendendo, quod consequi non poterit, non unum, vel alterum; sed innumeros, & utilissimos confessarios à confessionibus cessare facit. Si dicat Sanctius Episcopos suum jus tueri, & Religiosis debere imputari. Contrario modo debuerat asserere in favorem regularium, cum multo majori jure. Abstrahendo enim modo ab hoc, quod opinio regularium sit magìs probabilis, certum est, quòd Regulares voluntariè Episcopos adjuvant adjutorio tanti momenti, ut hoc eis non possent sufficienter Episcopi gratulari, quamvis multò meliùs cum ipsis se gererent, quam modo se gerunt: cum ergo à confessionibus abstinent, tantum omittunt id, ad quod non tenentur, urgente, ut omittant, ipso, qui eos ad confessiones audiendas allicere tenebatur: multò ergo rationabiliùs, quidquid incommodi sequitur ex cessatione à confessionibus in uno, vel pluribus regularibus, dicendum est, quòd sibi imputet Episcopus, quam quod sibi imputet Prælatus, qui nedum unum, verùm omnes suos subditos examinari prohibet.



QUÆST.

## *QVÆST. XVI. AN saltim post Bullam Clem: X. possit Episcopus omnes confessarios regulares à suo antecessore approbatos ad examen vocare, eorumque approbationem suspendere.*

972. QVæstionem præcedentem Salmanticæ dictavi anno 1661. eo ipso tempore quo Illustr. D.D.... de Cabrera Episcopus illius Diœcesis regularium omnium approbationes suspenderat, quousque de novo illius approbationem obtineret. Omnes Religiones (una dempta, quæ postea non pœnituit parum) decreto Episcopi modestè contradixerunt, & suos commissarios ad Dominum Episcopum sæpè miserunt, qui ei supplicarent, ut pacate res componerentur parati cedere de suo jure prætenso, quantum fieri posset: unde ei indulgebant, ut quemcunq; particularem Religiosum, de quo suspicionem haberet, quod sufficientiam ad munus suum necessariam non habebat, ad examen vocaret, Prælati enim omnes, quemcunque mittere spondebant. Noluit Dominus Episcopus acquiescere. Prælati etiam noluerunt acquiescere ipsi. Vnde per totam, aut magnam Quadragesimæ partem solùm audiebant confessiones Confessarij illius Conventus, qui ab unione cum cæteris discessit, Parochi, & Clerici Sæculares qui antea approbationem habebant, & plures alij, quos tempore controversiæ approbavit Dominus Episcopus, qui antea approbati nunquam fuerant, & aliqui illorum, nec id prætendere cogitaverant, & meritò. Omnes autem prædicti confessarij non sufficiebant pro concursu pœnitentium, ideòq; fideles clamabant, clamorque illorum pervenit, ad aures Regalis Consilij, & Regis ipsius, qui rem totam composuit cum Domino Episcopo ita, ut postea fuerit contentus cum hoc, quod mitterent Prælati singuli numerum, & nomina Confessariorum suorum Conventuum, ut eis approbationes confirmaret. Quo præstito, tempestas cessavit, & facta est tranquillitas magna. Sed ea Domino Episcopo duravit parum, quia mense Augusto ejusdem

ejusdem anni migravit, è vita, & tranquillitatem omnimodam, æternamque piè creditur obtinuisse.

973. Similia accidisse omninò in prætensione, quam habuit examinandi Regulares à suo antecessore approbatos DD. Andreas Giron Archiepiscopus Compostellanus audivi á Religioso fide digno tanquam rem indubitatam. Alia utrobique acciderunt, quæ potiùs narrationes, dicteria, aut divinationes dici merentur, quam res compertæ aut probatæ, ideoque nec de illis mentionem, etiam dubiâ, & incerta fide, facere decrevi.

974. In hac autem Diœcesi Pampilonensi anno præterito 1685. Dominus Episcopus Illustris: D. D. Joannes Grando Santos de S. Pedro, dum Parochias hujus Civitatis Pampilonensis visitaret, revocavit in Edicto licentias omnium confessariorum tam regularium, quàm sæcularium. Pervenit hoc ad notitiam Prælatorum novem Conventuum Religiosorum hujus Civitatis, & convenientes ex condicto ad Conventum D. Jacobo Sacrum Ordinis Prædicatorum, decreverunt duos Commissarios mittere ad Dominum Episcopum, ut ab eo discerent ejus intentionem comprehendendi regulares præfatos, aut non comprehendendi illos in dicta revocatione: & si fortè intentionem habuisset eos comprehendendi de ea supplicarent repræsentando illi ea, quæ ipsum ad desistendum ab ea intentione movere poterant. Quibus benignè exceptis, & auditis supplicationi Prælatorum per dictos commissarios factæ annuit, solùm postulans pro suæ conscientiæ quiete, ut Prælati singulorum Conventuum, ei manifestarent numerum confessariorum suorum Conventuum, ipsumque certiorarent de illorum sufficientia, & idoneitate, quod singuli Prælati præstiterunt, & sic sedata est tempestas, antequam oriretur.

975. Tempore autem, quo ea, quæ numero præcedenti tetigimus, disponebantur; audivi duos viros doctissimos asserentes post Bullam Clementis X. quæ incipit *Superna Magni Patris* locum non habere controversiam quæstionis præcedentis. Sed hi viri doctissimi extremè inter se dissidebant.

debant. Alius enim dicebat rem hanc post dictam Clementis Bullam sine controversia esse eo, quod dicta Bulla staret expresse pro regularibus, seu in illorum favorem. Alter verò è contra ajebat rem eamdem sine controversia esse, quia Bulla expresse favebat prætensioni DD. Episcoporum, eis non modo concedens, ut examinare possent regulares à suis antecessoribus approbatos, verùm etiam approbatos à semetipsis, si pro majori suæ cõscientiæ quiete ipsis expedire videretur. Ego autem cum Bullam illam non vidissem judicium tunc suspendi, modo autem ad illud ferendum quæstionem propositam in titulo decidendam assumpsi.

976. Assero ergo non posse Dominos Episcopos post Bullam Clementis X. Regulares omnes à suo antecessore approbatos iterum ad examen vocare, eorumve licentias, sivè approbationes suspendere. Vt hæc conclusio probetur in medium adducenda sunt verba Clementinæ Bullæ, quæ ad hanc rem attinere possunt. Igitur in §. 5. dictæ Bullæ sic disponitur. * Regulares verò ad ejusmodi confessiones audiendas prævio examine simpliciter, & absque ulla temporis præfinitione, ab ipsomet Episcopo; secus autem ab ejus Vicario, aut ab antecessoribus Episcopis, approbatos non posse ab eodem, qui sic approbabit, iterum examinari, aut ab eisdem confessionibus audiendis suspendi, seu licentias illis concessas revocari, nisi nova superveniente causa, quæ ipsas confessiones concernat. *

977. Deinde Pontifex sic, eandem materiam prosequendo, disponit. * Porrò si Regulares cum scandalo, aut aliàs inhonestè vivant, vel aliquod delictum committant, per quod rationabili Episcopi judicio videantur à confessionibus suspendi, in quo ipsius Episcopi conscientiam oneratam esse volumus, cum precipua ministri Sacramenti pœnitentiæ qualitas sit vitæ integritas, ac morum honestas; utique eam causam ad confessionis ministerium pertinere, ac proinde nihil obstare, quo minùs ob eam possit Episcopus Regulares à semetipso approbatos suspendere, aut repellere à confessionibus audiendis: Attamen confessiones audiendi facultatem

cultatem omnibus simul unius Conventus Regularibus Confessoribus adimi ab Episcopo inconsulta Sede Apostolica nullatenus posse. * His positis.

978. Perpendo 1. quòd in §. 5. disponitur, quòd Episcopus approbatos à semetipso Regulares non possit à confessionibus audiendis suspendere, nisi nova superveniente causa ipsas confessiones concernente. Secundò perpendo, quòd in §. 6. concedit eidem, quod suspendere possit regulares à semetipso approbatos, si ipsi cum scandalo, aut aliàs inhonestè vivant, declarans causam istam ministerium audiendi confessiones concernere, ac proinde comprehendi in causa §. 5. mentionata. 3. Perpendo, quòd post hæc in eodem § 6. disponit, quomodo se debeat gerere cum omnibus simul unius Conventus Confessoribus regularibus.

979. His notatis, seu perpensis, probatur nostra conclusio: quia expresè decernitur in § 6. Bullæ Clementis X. quòd non possit adimi facultas audiendi confessiones omnibus simul unius Conventus Confessoribus, inconsulta Sede Apostolica; ergo quòd non possint Episcopi omnium regularium unius Conventus licentias simul suspendere, non solùm est verùm post Bullam Clementis, sed etiam expresè in ea decisum: ergo post eam Bullam minimè possunt Episcopi præstare Apostolica Sede inconsulta, ac proinde multò minùs poterunt sic revocare simul omnes facultates omnium Conventuum unius civitatis, multòque minùs totius Diœcesis. Cum ergo Episcopi dum licentiam revocant generaliter omnium regularium, comprehendere velint omnes confessarios non solùm unius Conventus, sed omnium, saltem unius civitatis, expresè contravenient id faciendo decreto Clementis X.

980. Quod autem loquendo de omnibus confessarijs regularibus seorsim, & divisivè disponat in § 5. quòd possit Episcopus etiam à se approbatos examinare, non est contra dicta à nobis quæst. præced. quia de particularibus solùm negavimus posse sine causa de novo examinari: quòd potiùs confirmari videtur, cum Clemens dicat non posse sine superveniente causa confessiones

siones ipsas concernente.

981. Est tamen in hac parte difficultas: quia id disponit Clemens X. de confessarijs ab ipsomet Episcopo approbatis; de approbatis verò ab ejus vicario, aut ab antecessore secus esse dicendum, advertit: ergo, de approbatis ab antecessore loquendo, dicendum, quod, etiam sine causa possint singuli regulares, licet non omnes simul, ad examen vocari. Respondeo casu, quod id à Clemente X. disponeretur, consequentiam concedendam, & non contrariari dictis à nobis quæst. præced. in qua nec unius regularis confessarij ab antecessore Episcopo approbati approbationem suspendi posse sine causa, defendimus; quia id diximus ante decretum Clementis X. & oppositum modo asserere post ipsum, sine contradictionis specie, possumus.

982. Sed adhuc poterat aliquis etiam post Bullam Clementis asserere non posse Episcopum suspendere approbationem sine causa confessarij regularis à suo antecessore approbati: quia Clemens, dum decernit, quod Episcopus à se approbatos non possit sine causa examinare, denuo in illa exceptione, quam ponit: *Secus autem ab ejus Vicario, aut ab antecessoribus Episcopis approbatos*, nihil decernit de sic approbatis; sed declarat suum decretum de non examinandis sine superveniente causa approbatos regulares procedere de approbatis ab ipso; non verò de approbatis à Vicario suo, aut prædecessoribus Episcopis: unde in vi hujus decreti non possunt Regulares ab antecessore approbati prætendere se non posse sine causa à successore examinari. Sed neque etiam oppositum ab Episcopis prætendi potest; quia aliud est, quòd non comprehendatur in verbis positis; aliud quod de eis oppositum decernatur: & solùm primum in rigore infertur, & meritò; quia res tanti momenti incongruenter decerneretur adeò confusè, & per transenam.

983. Quidquid autem de his omnibus sit, nihil ex dictis quæst. præced. immutare nedum retractare opus erit, si verùm sit, quòd ea Bulla Clementis X. non est in Hispania recepta; sed de ea potiùs est supplicatum: de quo vide dicta nu. 927. Quare responsionem nostram quæst. præced. datam

datam duodecim annis post expeditionem dictæ Bullæ Clementis X. docet P. Martinus de Torrecilla absque aliqua limitatione *in suo examine potestat. Episcop. tract. 2. quæst. 3. sect. 2. diff. 13. num. 81.*

## QVÆST. XVII. DE *prima, & secunda ex confessarij obligationibus.*

984. PRo hujus disputationis complemento restat agere de obligationibus confessarij, quæ quia doctrinam valdè utilem continent, non in unica quæstione tradentur: quapropter in hac explicabimus illarum duas, aliàs ad sequentes remittendo. Prima ergo obligatio est habendi scientiam necessariam ad Sacramenti administrationem: unde, qui sine ea scientia extra casum necessitatis confessiones audit, mortaliter peccat. Est tamen difficultas, quanta sit ea scientia, quæ ad rectam hujus Sacramenti administrationem requiritur, & quæ idoneum Ministrum sufficit constituere. Respondeo eam scientiam esse necessariam, qua confessarius sciat, qualis dispositio sit in pœnitente ad absolutionem necessaria, & quâ in peccatis communiter contingentibus valeat dicernere, quodnam sit mortale, & quodnam veniale: quod unum, & quod multiplex: & quæ circumstantiæ mutent speciem, quæ non: quæ peccata habeant annexam excommunicationem, reservationem, aut obligationem restituendi; & tandem quod aliquam notitiam habeat irregularitatum, suspensionum, & aliarum censurarum.

985. Ita tamen hæc omnia scire confessarius debet, ut necessarium non sit, quòd omnia in promptu habeat; sat enim erit, si pleraque sciat: de alijs verò difficilioribus sciat dubitare, ut doctos vel libros consulat; id enim poterit facere, etiam, dum fuerit opus, absolutionem differendo. Aliquando etiam poterit statim absolvere; si enim difficultas sit circa obligationem restituendi, poterit absolvere, si promittat, se facturum, quod confessarius, libris, vel doctis consultis, illi indicaverit. Imò in similibus non tenetur confessarius difficultatem resolvere;

sed facere, ut pœnitens propo- nat consulere doctos, & facere juxta ipsorum consilium, quamvis si possit resolutionem ipse dare, consultius erit, tum quia minus onus erit pœnitenti; tum quia aliàs, etsi pœnitens consultationem se facturum proponat, magnum esse solet periculum eam omittendi, aut nimiùm differendi.

986. Adverte tamen, quòd non est differenda absolutio, quia confessarius nescit judicare, an peccata confessa sint mortalia, vel venialia, quamvis sint ex communiter contingentibus. Ratio est, quia, quamvis confessarius teneatur scire, quæ nam sint mortalia, quæ venialia ex genere, & circumstantijs; necessarium tamen non est, quod in particulari ferat judicium, an in tali peccato pœnitens mortaliter peccaverit, vel venialiter, & an à mortali de facto excusatus fuerit, ignorantiâ, inadvertentiâ, aut aliâ simili causâ; id enim etiam doctis est sæpè difficile. Quapropter sufficit, quòd confessarius peccatum audiat, licet non possit determinatum ferre judicium, an mortale, vel veniale fuerit, immò nec, an fuerit peccatum, vel non; sicut enim pœnitens cum mediocri diligentia dicitur facere confessionem formaliter integram, licèt aliqua omittat per oblivionem peccata, sic confessarius cum meliori discretione, & diligentia judicandus est integrè, & rectè absolvere: tunc ergo solùm est absolutio differenda propter dubium Confessarij, quando dubium est, an possit nunc pænitens validè, & licitè absolvi: quod contingere potest, vel quia dubitatur de dispositione pœnitentis, vel de potestate ministri, vel de impedimento aliquo; ut quia pænitens habet excommunicationem, à qua, confessarius dubitat, an possit absolvere: in similibus ergo casibus poterit differri absolutio, usque dum confessarius libros, vel doctos consulendo sciat quid possit, & debeat facere.

987. Secunda obligatio confessarij est, quòd sit in gratia, dum hoc Sacramentum administrat, quòd non solùm in hoc Sacramento, sed etiam in alijs, dum illa conficit extra necessitatis casum, tanquam quid omninò certum tenet noster P. Leander

ander 1. *part. tract.* 1. *disp.* 4. *q.* 8 *&* 9. Hæc tamen necessitas non est, ut Sacramentum sit validum; validum enim erit, etiam si minister sit in peccato mortali, si cætera adsint requisita, ut definitur in Tridentino: requiritur ergo solùm quod sit in gratia, ne peccet mortaliter in ejus administratione. Sed quia hoc attinet ad tractatum de Sacramentis in genere, modò solùm breviter adverto primò: ad hoc, ut Confessarius licitè hoc Sacramētum administret: necessarium non esse, quòd præmittat confessionem peccati mortalis, cujus conscientiam habet, sed sufficit, quòd contritionem eliciat. Secundò adverto, quòd quando, si expectetur ad contritionis elicientiam, adest periculum, ut pœnitens moriatur sine absolutione, potest minister absolutionem dare priùs, quàm contritionem eliciat, qui casus contingere facilè potest eò, quòd quamvis contritio possit in instanti elici, multoties tamen non excitatur in instanti, sed tempus aliquod necessarium est, tum ad eam excitandam, tum ad hoc ut Confessarius judicare possit, se illam habere.

988. Tertiò adverto necessarium non esse, quòd Confessarius existens in peccato eliciat contritionem, antequam incipiat confessionem audire, sed satis est, quod eliciat illam ante absolutionem, & ad summum antequam imponat pœnitentiam. Ratio est, quia tunc incipit cooperari productioni gratiæ, quamvis autem non debeat ante confessionem elicere contritionem, debet tamen habere propositum eam eliciendi ante absolutionem. Quartò adverto, quòd non tenetur Confessarius contritionem elicere præcisè, quando non constat eum esse in gratia, sed solùm, quando habet conscientiam certam, vel dubiam saltim, quòd sit in peccato.

989. Nota tamen quòd, si confessario, dum absolutionem impertitur, occurrat de novo memoriæ, quòd ipse sit in mortali, & non possit contritionem elicere, eo, quòd, etsi in instanti eliciatur, non potest tamen homo se ad illam in instanti præparare, & aliàs absolutionem differre, quousque se disponat? potest, tenebiturque sic differre, & cōtritionem elicere. Si verò non possit illam differre sine

sine nota, aut pœnitentis molestia, poterit absolvere; quia sicut potest in casu advertentiæ secundæ propter ægroti necessitatem, sic potest in hoc casu propter jus pœnitentis, & ne reddatur hoc Sacramentum odiosum, neve ipse confessarius notam apud pœnitentem patiatur. Quæ doctrina etiam applicari potest confessario, cui ante absolutionem suum peccatum mortale occurrit, cum proposito tamen eliciendi contritionem, ante absolutionem incepit confessionem audire, & postea cum vult absolvere, experitur dictam difficultatem, vel quia, ob oblivionem serò incepit se ad contritionē disponere, vel quia majorem difficultatem se præparandi ad illam invenit, quàm cogitaverat. In hoc enim casu eadem ratio, ac in præcedenti, militat; quare illum in terminis concedit: & primùm, licèt non in terminis, à fortiori tamen docet, Tamburinus, *in method. conf. lib.* 3 *cap.* 5. *à num.* 14. Imo addit, etiam probabiliter, quòd si, etiam sine intentione eliciendi contritionem, se confessioni audiendæ exposuit confessarius peccati conscius, si absolutionis tempore jam facti pœnitens velit contritionem elicere, & non possit præ temporis angustia, sine nota, aut pœnitentis molestia: tunc, inquam, ait, non peccare sine contritione de facto absolvendo, licèt peccaverit confessionem audire incipiendo sine contritione, nec conterendi proposito.

## QVÆST. XVIII. DE *tertia obligatione Confessarij.*

990 TErtia obligatio Confessarij est interrogandi, & examinandi pœnitentem. Vnde *in cap. Omnis* utriusque sexûs dicitur: *sit Sacerdos discretus, & cautus more periti medici diligenter inquirens peccatorum circumstantias.* Circa hanc obligationem primò notandum est, à summistis assignari plures interrogationes ante confessionem faciendas, veluti an sciat doctrinam Christianam, an fecerit examen conscientiæ, an pœnitentiam impleverit, an afferat dolorem, an debeat restitutionem, an habeat occasionem proximam peccandi, casum reservatum, aut excommunicationem. Veriùs tamen est, & juxta com-

communem praxim, quòd necessarium non sit eas omnes præmittere interrogationes, nec aliàs, quæ ab alijs congeruntur; sed solùm aliquas, plures, vel pauciores juxta pœnitentium diversitatem, ita ut aliquibus nullæ præmittendæ sint. Ratio est, quia ad plures illarum interrogationum responsio constare solet ex ipso confessionis progressu; ad alias verò aut constare solet eas necessarias non esse; aut si necessariæ sunt, ipsa confessio ansam præbet eas faciendi.

991. Secundò notandum est non teneri confessarium ad interrogandum, & examinandum pœnitentem nimis exactè, sed suavi, & humano modo. Ratio est, quia ipse confessarius solùm tenetur ad examinandum pœnitentem ad defectum ipsius pœnitentis supplendum: sicut ergo ipse pœnitens non tenetur exquisite se examinare, sed suavi, & humano modo, ita ut confessio non reddatur nimis onerosa, sic confessarius non tenetur ad nimis exactè pœnitentem examinandum, ne etiam confessio reddatur nimis onerosa.

992. Vnde colliges primò, non esse ita exactè interrogandum circa singula peccata, qui longam facit confessionem, ac qui brevem; nec similiter, infirmum, ac sanum, nec ita exactè interrogandum rusticum, ac civem. Ratio est, quia interrogationes, quæ respectu brevis confessionis non facerent illam onerosam nimis, eam facient, si sit longa: & quæ non facerent onerosam nimis confessionem sani, aut civis, facerent sæpè valdè onerosam confessionem infirmi, aut rustici. Similique modo discurrendum circa examen ab ipsis pœnitentibus faciendum. Quòd notat optimè Tamburinus *in method. conf. lib. 3. cap. 9. num. 11.*

993. Colliges secundò non valere hanc consequentiam: *si aliàs interrogationes facerem, aliud peccatum invenirem in pœnitente: ergo aliàs adhuc debet interrogationes facere.* Sicut neque etiam valet ista in pœnitente ipso: *si diutiùs me examinarem, adhuc aliud peccatum invenirem: ergo diutiùs adhuc debeo meam conscientiam examinare.* Ratio est, quia si istæ consequentiæ valerent, teneretur pœnitens ad nimis exactè se examinandum, & similiter confessarius

fessarius ad nimis exactè inquirendum, quin mediocre examen, & humanum posset sufficere; cum frequenter in his, qui pluribus peccatis sunt implicati, etiam post mediocre examen, si diutiùs se examinarent, alteriùs peccati de novo recordarentur; immò nunquam posset pœnitens sine ullo remanere scrupulo de examinis sufficientia; cum etiam post exactissimum examen, adhuc posset judicare multoties, quòd, si ampliùs se examinaret, alicujus peccati recordaretur: ne ergo hoc dicatur, & ne etiam Sacramentum nimis onerosum reddatur, dicendum est superius positas consequentias non valere. Vnde ulterius.

994. Colliges tertiò, posse contingere, quòd, quis peccet se examinando nimis, etiamsi tale examen deserviat, & sit utile, ut meliùs sua peccata declaret. Ratio est, quia, postquam quis fecit prudens, & humanum examen, si plura peccata habeat, & se diutiùs examinet, illud examen superadditum conducet ad meliùs declaranda peccata; habebit tamen, hoc non obstante, venialem malitiam, quia est defectus per excessum.

995. Quanta autem diligentia in conscientia examinanda sit adhibenda, ut examen judicetur prudens, mediocre, & humanum, non facilè designari valet; omnes namque judicio prudentis id relinquunt; ait tamen benè Navarrus *in manuali cap. 9. num* 12. * Tantam debere esse, ac sufficere diligentiam, quanta viro prudenti, & æstimatori humano, videbitur necessaria hominibus ejusdem qualitatis, & conditionis, qualis est pœnitens ille, attenta saltem ipsius voluntate, qua cupit interrogari à confessario, & de interrogatis respondere, quæ magnam partem diligentiæ requisitæ supplet * Ita Navarrus; videatur M. Thyrso. *tota disp.* 45. *præsertim à num.* 3.

996. Quartò colliges non obligari confessarium interrogare de quibusdam eventibus extraordinarijs, quamvis eos mutare posse speciem peccati contingat. Quocirca ait Thomas Sanchez *lib.* 9. *de Matrim. disp.* 16. *num.* 5. *fine.* * Confitentem situm extraordinarium in concubitu, servato legitimo vase, non esse necessario interrogandum de effusione seminis, an ex-

an extra vas evenerit, nec ne, vel expertus ne sit illius periculum, quia hæc non frequenter, sed rarissimè accidunt. * Ita Sanchez, & ex ipso Tamburinus *lib. 3. methodi Confessionis cap. 9. §. 3.*

997. Quintò colliges cum P. Vazquez *q. 93. art. 3. dub. 7. Hurtado disp. 10. difficultate 21.* & alijs, quòd, si confessarius judicet pœnitentem fecisse sufficiens examen, non tenetur ipsum interrogare, quamvis credat se suis interrogationibus aliquod peccatum de novo extracturum. Ratio est, quia confessarius solùm debet interrogare, ut suppleat defectum pœnitentis; qui non adest in dicto casu, cùm fecerit pœnitens prudentem, & sufficientem diligentiam, ad quam tenetur; si verò confessarius cognoscat pœnitentem de facto commisisse aliquod peccatum, quod ob oblivionem omittit, tenetur ei illud in memoriam revocare; quia etsi pœnitens fecerit sufficientem diligentiam, ista tamen recordatio, quam confessarius superaddit, supplet defectum materialem, cum tam facili diligentia, ut immerito dici possit, quòd reddat Sacramentum onerosum, aut quòd diligentiam supra sufficientem notabiliter aggravat.

998 Nota tamen primò cum Enriquez *lib. 6. cap. 20. num. 6. Fagundez lib. 6. circa 2. præceptum cap. 4. nu. 38. Lugo disp. 22. nu. 21.* & alijs, quòd si confessarius evidenter cognoscat, pœnitentem aliquod mortale commisisse, & quod illud non sit alteri confessus, nec habeat causam excusantem ab illius confessione, & de illo interrogatus negat illud, debet illi absolutionem negare, quia indispositus est, si tamen id solùm cognoscat ex aliorum confessione, non debet absolutionem negare; quia ista cognitio evidens non est, cum alterius testimonio nitatur, & credi magìs debet pœnitenti in causa propria, quàm alijs. Videatur Tambur. *lib. 3. meth. conf. cap. 9. §. 2.*

999. Secundò nota cum P. Vazq. & Hurtado paulò superius citatis, & cum Lugo, & Granados, quos citat, & sequitur noster Pater Leander *disp. 7. q. 61.* quod Rusticus, qui accedit ad confessionem sine prævio sufficienti conscientiæ examine, non est necessariò remittendus, ut meliùs se examinet; sed con-

fessarius

fessarius potest ipsum, si illi per tempus licet, examinare; quia meliùs eum Confessarius examinabit, quam se examinabit ipse rusticus, & si millies remittatur, ut se meliùs examinet, quod adhuc contingere potest in confessione generali, quando Confessarius repente invenerit, illa indigere; etiam enim tunc meliùs à confessario examinari poterit, quam sperari, quod se examinabit ipse. Quam doctrinam etiam tradit Arriaga *disp.* 34. *nu. ult. & disp.* 43. *nu.* 10. Vide etiam dicta supra à nu. 641.

1000. Tertiò nota, quòd si post factum mediocre examen, pænitens recordetur cujusdam peccati mortalis in genere tantum, non tenetur ampliùs se examinare, ut illud in specie cognoscat, sed potest illud solùm in genere confiteri. Præterea, si post sufficiens examen, aliquod peccatum, quod in mentem venerat, è memoria labatur, dum jam confitetur, aut antequam ad confessionem accedat, non tenetur à confessione incepta, vel intenta desistere, ut magìs se examinet, sed peccatum illud solùm in genere confiteri. Ratio est, quia cum ea diligentia sit suprà examen mediocre, si teneretur pœnitens ad illam, jam teneretur ad examen plus quam mediocre, quod est falsum. Ita tenet Tamburinus *lib.*2. *meth. conf. cap.* 10. *n.*17.

1001. Sed pro maiori hujus inobligationis declaratione inquires, quid debeat confessarius interrogare, quando pœnitens dicit se non posse assignare numerum alicujus generis peccatorum. Respondeo eas debere facere interrogationes, quibus meliori modo possibili, morali, & humano modo, numerus peccatorum, aut saltim status conscientiæ pœnitentis innotescat. Ratio est; quia obligatio declarandi numerum peccatorum est indubitabilis: ergo eo modo, quo potuerit, declarari debet, & consequenter, si non possit strictè, & rigorosè declarari, possit tamen aliquomodo lato, hoc modo declarandus, in quo omnes videntur convenire.

1002. Vnde colliges primò, quòd si pœnitens nesciat numerum determinatum assignare; potest tamē assignare illum prudenter sub disjunctione ista parùm plùs minùsve, hoc modo debet illum assignare. Si verò adhuc

huc isto modo illum non possit designare, inquirendū est, quantum fuerit tēpus, per quod peccata exercuit, & quanta in illo peccatorum frequentia, inquirendo; quoties soleret in die, hebdomada, aut mense peccare. Vnde isto modo examinanda est meretrix, concubinarius, atque etiam, qui in quolibet peccatorum genere cum magna frequentia se exercuit per multum tempus. Sed advertendum est etiam, quòd si meretrix non possit numerum peccatorum nisi isto lato modo explicare; possit tamen modo exactiori explicare numerum peccatorum aliquarum specierum particularium, illum explicare tenetur: unde si possit, debet dicere, quoties peccaverit cum Clericis, quoties cum conjugatis, quoties cum consanguineis, aut alia similia, quæ quia rariora, & magìs extraordinaria, faciliùs continget, quòd ad numerum determinatum reduci possint. Vide Tamburin. *lib. 2. method. cap. 1. à num.* 39.

1003. Nota tamen primò, quod meretrix, aut concubinarius, aut etiam juvenis, qui passim fæminas concupiscit, non debet cogi ad declarandum numerum actuum internorum per dies, vel hebdomadas. Ratio est, quia talem numerum impossibile est explicare sine periculo maximi erroris: unde sufficiet dicere tempus, per quod ea habuit desideria, & species diversas, ut si desideravit peccare cum consanguineis, cum Religiosis, cum conjugatis; si tamen de aliqua ex his speciebus possit numerum declarare, tenebitur. Nota 2. quod idem, quod diximus de actibus internis, tenent aliqui probabiliter de externis etiam; unde etiam in actibus externis asserunt non teneri meretricem numerum per dies, aut hebdomadas declarare, nec similiter concubinarium aut illum, qui frequenter aliquod peccati genus committit; sed sufficere, si dicat, se crebrò in talia peccata ruere, & per tot menses, aut annos eo in exercitio, aut vivendi modo perseverasse. Ratio autem potest esse ea, quæ à nobis pro internis est assignata, aliquarum tamen specierum particularium numerum declarare debere, si commodè potest, omnes debent fateri.

1004. Nota tertiò, quòd si

postquam quis confessus est rectè, declarando numerum peccatorum modo aliquo imperfecto ex nuper assignatis, si postea ita recordetur, ut possit meliori modo numerum explicare, ad id non tenetur. Ratio est, quia explicato numero cum confessione assignata, absolutus manet pœnitens à singulis peccatis directè: ergò non tenetur jam illa ulteriùs confiteri, etsi clariùs appareant, quod tradit cum alijs Tamburinus *cit. cap. 1. num.* 45. *& Arriaga disp.* 34. *num.* 34. Si autem determinasset numerum, & postea recordaretur aliquorum peccatorum, quæ nec moraliter includebantur in numero illo, ea teneretur fateri.

1005. Ex hac autem 3. notatione colliges, quòd si rusticus inveniatur temporibus præteritis cum suo Parocho crasso modo confessus, non declarando numerum peccatorum, probabile si, quòd modo non sit cogendus, ut illum declaret. Ratio est: tum, quia si talis numerus declarari deberet, jam repeteretur omninò confessio, quòd nimis durum est; cum supponant omnes illas confessiones fuisse validas. Tum etiam, quia verisimiliter Parochus ex modo vivendi rustici judicare solet de numero morali: quòd sufficit, ut ab omnibus peccatis censeatur rusticus directè absolutus. Quam doctrinam tradit optimè Tamburinus *lib. 2. method, cap 1. §. 4. nu.* per hæc verba. * Tertiò, rustici, mulierculæ, purique, qui bona fide suas confessiones coram Parocho, etiam indocto, grossiore modo exhibuerunt licèt peritiores, vel grandiores effecti videant in multis se defecisse, unde & multa dubia pro certis, & contra, unumque numerum pro alio se dixisse animadvertant, non sunt cogendi repetere confessiones Sic Facundez 2. *præcep. Eccles lib* 3. *cap.* 4.. *num.* 10. *de Lugo de pœnit. disput.* 16. *sect.* 4. *à num.* 58. Ratio est, quia satis superque, saltim in confuso, confessarius eorum paccata percepit, & directè absolvit; & ex alio capite praxis fidelium est hasce confessiones non repetere: ad quod si fideles obligarentur, omnia scrupulis essent obnoxia. * Ita Tamburinus. Si verò rusticus species non declarasset, teneretur modo illas declarare, quia non remittitur peccatum, directè, quoad

quoad genus, & differentiam, quandò solùm quoad genus declaratur.

1006. Vnde à fortiori colliges veram esse doctrinam, quam observat Navarrus *in consilijs consil.* 11. apud M. Thyrsum, scilicèt, quòd, si pœnitens putat se in præcedentibus benè confessum fuisse, quamvis confessarius suspicetur, aut putet ipsum peccatorum numerum non expressisse, non tenetur de illo numero interrogare. * Modò pœnitens nec dubitet circa hoc, nec exprimat se aliàs numerum non explicuisse: quia id ( inquit Navarrus ) non videtur jure cautum, nec ulla efficaci ratione probari, & quia, qui nimium emungit, elicit sanguinem. Proverb. 30. * Ita M. Thyrso ex Navarro.

1007. Nec minùs notari debet alia doctrina, quàm tradit Tamburinus *lib. 2. method. conf. cap.* 10. *num.* 35. per hæc verba. * Certum denique sit 4. quamvis laudabile, ne ex errore, & inadvertentia taceatur aliquod peccatum, scribere peccata; neminem tamen, etiamsi sit lubricæ memoriæ, ut notat Dicastillo *lib. 5. de pœnitent. disp.* 6. *dub.* 14. *num.* 244. obligari, imò nec esse laudabile, si quis sit paulò scrupulosior. * Ita Tamburinus.

1008. Quartò etiam hìc nota, non tam ad complementum quæstionis, quàm propter doctrinæ connexionem, quod si quis juravit, aut vovit confessionem generalem totius vitæ, nullum potest in ea omittere peccatum, etiamsi ritè aliàs fuerit confessum. Si verò liberè eam confessionem faciat, potest omittere, quæ voluerit ex aliàs ritè confessis, si verò dicat confessario, se velle omnia mortalia suæ vitæ confiteri, adhuc probabiliùs tenendum cum Tamburino *lib. 2. method. confess. cap.* 1. §. 2. quòd possit unum, vel alterum mortale, sine peccato mortali tacere: tum quia moraliter loquendo omnia dicit, qui unum tantùm, aut alterum tacet. Tum, quia respectu omnium peccatorum est res levis. Ac denique, quia, etsi mendacium interveniat, est de re non pertinente ad forum pœnitentiæ.

1009. Nota quintò, quòd quamvis M. Moya *disp.* 1. *de pœnit. quæst.* 3. *num.* 18. *N.P. Leander cit. disp.* 5. *quæst.* 22. & apud ipsum Lugo

Lugo, & alij tueantur, quòd qui confitetur peccata jam confessa, non teneatur declarare, quòd sint jam confessa, mihi tamen probabiliùs videtur oppositum. Probatur autem: quia idem M. Moya *cit. quæst. 3. à nu. 10. & N. P. Leander cit. disp. 5. quæst. 24.* asserunt cum communi sententia, certissimum esse non posse peccata nova, ut antiqua, confiteri: ergò saltim probabiliùs non poterunt confiteri antiqua, ut nova. Consequentia videtur bona, quia eadem mutatio contingit in judicio confessarij in utroque casu, quòd autem in altero sit contra pœnitentem, in altero in favorem, ad summum convincet, quòd non sit æqua certitudo in utroque casu; non tamen, quòd non sit major probabilitas, quàm in sententia opposita.

1010. Denique nota contra Tamburinum *lib. 2. meth. conf. cap. 1. §. 1. nu. 2. Arriagam disp. 31 sect. 2.* Lugum, & alios, quos citat M. Moya *disp. 1. de pœnit. quæst. 3. num. 2.* cum ipso Moya *eadem quæst. à num. 9.* & communi sententia, quòd ille, qui habet post ultimam confessionem aliqua mortalia, tenetur in confessione generali exprimere, quòd illa non fuerint antea confessa, & non posset hoc dissimulare illa simul cum alijs confitendo. Ratio est, quia quamvis ille non mentiretur, si ad verba præcisè attendamus, re tamen vera falleret omninò confessarium. in re, quam gravem esse non possum dubitare: & non posset ignorare, quòd confessarium falleret; si quidem adversarij fatentur, quòd intendit pœnitens occultare, & dissimulare, quòd illa peccata sint post ultimam confessionẽ commissa. Vide M. Moyam tota quæst. 3. citata. Vbi nostram sententiam apprime confirmat, ex eo, quòd si isto artificio posset quis peccata nova, ut antiqua confessario intrudere, posset etiam expresse etiam nova peccata, ut antiqua confiteri, dicendo post venialium confessionem * Accuso me etiam de mendacijs, & juramentis vitæ præteritæ, & præcipuè de una, vel pluribus pollutionibus, aut fornicationibus, quas jam Religiosus, vel conjugatus habui: * Hoc autẽ certissimè falsum esse diximus num. præced. ex N. P. Leandro, & latè probat M. Moya

Moya citata quæſt 3. quamvis P. Arriaga l. c. Vtrumque confundat, & indiſtinctè de utroq; loquens veriſſimum eſſe dicat.

## QVÆST. XIX. DE RElinquis obligationibus confeſſarij.

1011. QVarta confeſſarij obligatio eſt auferendi ignorantiam à pœnitente circa opera peccaminoſa. Ratio eſt, quia confeſſarius eſt Paſtor, & Doctor, unde doctrinæ paſtum præbere debet, & ignorantias auferre circa ea, quæ pœnitens tenetur facere, aut vitare. Igitur 1. certum eſt, quòd ſi advertat confeſſarius, pœnitentem efficere ſolere opera, quæ peccata non ſunt judicando peccata eſſe, debet illum docere, quòd peccata non ſint, ſive illa ignorantia vincibilis fuerit, ſive invincibilis. Ratio eſt, quia ex tali doctrina nihil mali ſequi poteſt, & multum boni, ſcilicet, quod pœnitẽs faciat deinceps illa opera ſine peccato, quæ forſan, ſi non admoneretur, cum peccato eſſet facturus. Secundò certum eſt, quòd ſi pœnitens faciat aliqua opera, quæ mala ſunt, id tamen ignorat vincibiliter, debet admoneri, quamvis fructus non ſperetur. Ratio eſt, quia etiamſi non admoneatur, peccabit propter vincibilem ignorantiam: ergo nulla eſt ratio, cur debeat excuſari admonitio.

1012. Difficultas ergo eſt, an quando pœnitens invincibiliter ignorat, quòd peccat in aliqua actione, quam facit, debeat admoneri, illam actionem peccatùm eſſe, vel potiùs relinqui in ſua bona fide, & ignorantia inculpabili. In qua difficultate dicendum eſt 1. quòd ſi ex admonitione ſperetur fructus, & nemini ſequatur grave incommodum, debet admonere. Ratio eſt, quia ad ipſum ſpectat illuminare, & docere pœnitentem, dum commodè poteſt.

1013 Secundò dicendum eſt, quod ſi ex admonitione fructus non ſperetur, aut alicui grave incommodum timeatur, non eſt pænitens admonendus, ſed in ſua ignorantia, & bona fide relinquendus. Ratio eſt, quia in tali caſu nec ad id tenetur ratione officij confeſſarius, nec ratione charitatis; non ratione officii, quia pœnitens eſt rectè ad abſolutionem diſpoſitus; non

ratione charitatis, quia ista non obligat, quando fructus non speratur, nec quando majus inconveniens, quam commodum sequitur, cui doctrinæ favet Sanctus Augustinus *in cap. si quis autem, de pœnitentia dist. 9. dicens. * Si scirem non tibi prodesse, non te admonerem, non te terrerem. **

1014. Vnde inferes, quòd, si confessarius cognoscat pœnitentem invalidum contraxisse matrimonium propter impedimentum occultum, quod pœnitens invincibiliter ignorat, & aliunde credat pœnitentem admonitum non curaturum de dispensatione, sed processurum in matrimonio nullo, aut publicè separationem quæsiturum, cum scandalo, & infamia filiorum; non debet pœnitentem admonere; imò potiùs debet non admonere de nullitate matrimonij, ut docet Sanchez *de matrim. lib. 2. disp. 38. nu. 5. & 7.* Vazquez, Suarez, Coninch, Lugo *disp. 22. num. 24.* & noster Pater Leander *disp. 11. quæst. 127.* quod etiam extendit Lugo *num. citato* & Sanchez *num. 6.* quando contingit casus ante contractum matrimonium; si enim tunc timeat confessarius, quod pœnitens admonitus de impedimento, quòd invincibiliter ignorat, prosequetur ad contrahendum illud cum mala fide, vel quod cum magna difficultate, & magno scandalo suborto possit à matrimonio desistere, prudentissimè aget confessarius, si taceat. Vbi etiam nota, quod adhuc prudenter aget confessarius, si taceat, quamvis speret pœnitentem libenter monitionem suscepturum; si tamen remedium sit difficillimum, ut si scandalum, & notabilis infamia inde sequantur, ut monet Lugo *num. 27. & Sanchez nu. 10. in fine, & Arriaga disp. 43. num. 19.* Ratio est, quia ista mala præponderare videntur malo alteri, quod consistit in violatione solùm materiali Divinæ legis.

1015. Supra dictam tamen doctrinam limitant aliqui, dicendo confessarium debere pœnitentem admonere, quando illius ignorantia redundat in damnum tertij, ut si bona fide possideat alterius hæreditatem, aut contractum exerceat usurarium. Sed probabiliùs eam limitationem respuit noster Pater cum Lugo num. 26. & Sanchez num. 10. Tamburino *lib. 3. me-*

*thod.*

*thod. cap.* 4. *num.* 5. & Arriaga *disp.* 43. *num.* 18. Ratio est, quia cum emendatio non speretur, sequetur peccatum, sive peccata pœnitentis ex admonitione sine eo, quòd consequatur proximus utilitatem, aut vitet damnum.

1016. Nota tamen 1. quòd si confessarius speret, quòd monitio intra breve tempus sit profutura, quamvis non statim, debet pœnitentem admonere, quia quòd pro brevi tempore non prosit, non est tanti momenti, ut propterea omitti debeat admonitio postea profutura. Secundò nota, quòd si confessarius nesciat, an admonitio sit profutura, vel nocitura, comparationem debet facere non solùm inter malum, quod timetur, & bonum, quod speratur, sed etiam inter gradus spei, & timoris; & id tandem eligere, quod præponderare videtur, omnibus pensatis, Divino auxilio breviter pro temporis oportunitate implorato; specialissimum enim est in tali casu necessarium, propter rei practicè considerataæ summam difficultatem.

1017. Tertiò nota, quòd si pœnitens accedat cum dubio, aut scrupulo de matrimonij nullitate, & interroget confessarium, debet confessarius illi veritatem aperire, quamvis profectus non speretur. Ratio est, quia tunc occultatio veritatis esset erroris approbatio, quæ nunquam licita est. Sed hoc ait Hurtado *disp.* 10. *difficult.* 23. sibi videri maximè difficile, quia id potiùs erit nocivum pœnitenti, quàm utile, ac proinde tunc meliori modo, quo possit, est illi veritas dissimulanda. Sed certè si ista dissimulatio ita fiat, ut pœnitens judicet, quòd confessarius judicat validum matrimonium, quocunque modo fiat, erit illicita, quia erit erroris approbatio; si verò possit ita dissimulare, ut pœnitens non possit judicare, quòd confessarius approbationem dedit, licita erit dissimulatio, quod poterit evenire fingendo, quòd non audivit interrogationem, aut quòd oblitus est ad illam respondere. Quòd si nequaquam facere possit, aperire veritatem tenebitur.

1018. Si tamen nupta non interroget de matrimonij nullitate, quia circa ejus valorem bonam fidem habet; sed aliunde ob aliquod scrupulum interroget, an reddere debitum possit, aut

aut debeat, poterit confessarius respondere, quòd potest, aut etiam, quod debet, aut quod benè facit reddendo. Quia supposita bona fide, sive conscientiâ erroneâ, benè sic operatur: unde hoc approbando, confessarius, non approbat errorem, sed veritatem, quòd optimè tradit Arriaga *cit. disp.* 43. *nu.* 17. *&* 22.

1019. Quinta obligatio confessarij est, quod sequatur opinionem probabilem pœnitentis, etiam contra propriam. Hanc obligationem jam communiter Doctores admittunt, paucis eam negantibus, aut limitantibus. Videatur Lugo disp. 21. à nu. 38. & qui plures velit pro communi doctrina videre Authores, videat Sanctium disp. 33. nu. 54. abunde illos referentem. Probatur autem dicta obligatio, quia confessarius audita confessione, debet absolvere pœnitentem legitimè dispositum ad absolutionem, sed pœnitens sequens opinionem probabilem est legitimè dispositus ad absolutionem: ergo confessarius tenetur se illi conformare sequendo ejus opinionem contra propriam. Minor probatur, quia nemo tenetur in operando sequi opinionem probabiliorem, sed sufficit, si sequatur probabilem: ergo dum pœnitens opinionem probabilem sequitur, legitimè disponitur ad absolutionem, siquidem suæ satisfacit obligationi.

1020. Sed dices: Judex non potest proferre sententiam conformando se opinioni, quam judicat minùs probabilem: ergò nec confessarius. Respondeo concesso antecedenti, quod quamvis cum pluribus negat Sanctius *in selectis disp.* 44. *à num.* 50. est jam certum. Quia 2. propositio damnata à SS. P. N. Innocentio XI. talis est: * Probabiliter existimo, judicem posse judicare juxta opinionem etiam minùs probabilem. * Concesso ergo antecedenti, nego consequentiam. Ratio disparitatis est, quia Judex in humanis constitutus est ad diligenter investigandam veritatem in litibus occurrentibus, cui muneri non satisfacit, dum relictâ viâ securiori minùs securam eligit, confessarius verò, etsi judex sit, est institutus ad absolvendum pœnitentem dispositum, qui optimè potest esse dispositus sequendo opinionem probabilem.

 1021. Diffi-

1021. Difficultas major est in præsenti, an debeat confessarius se conformare cum opinione, quam pœnitens judicat probabilem; ipse tamen confessarius eam probabilem non judicat, nec intrinsecè, nec extrinsecè, hoc est, nec attentâ ratione, nec attentâ Doctorum, qui eam sequuntur, authoritate. Ex una enim parte videtur, quòd non; quia confessarius nequit operari juxta opinionem, quam nullo modo judicat probabilem; ex alia parte videtur, quòd debet se conformare, quia pœnitens est rectè dispositus, quia quilibet potest sequi opinionem, quam judicat probabilem.

1022. Pro resolutione hujus difficultatis nota: dupliciter posse à Confessario judicari opinionem pœnitentis non esse probabilem. Primò judicando nec probabilem esse, nec apud alios Doctos probabilem judicari. Secundò judicando, quòd ab alijs doctis reputetur probabilis, existimando tamen esse improbabilem, quia Doctores, qui eam sequuntur, videt rem non bene perpendisse, falsoque niti fundamento, & ex æquivocatione procedere. Igitur si primo modo judicet, opinionem pœnitentis improbabilem esse, & opinio versetur circa dispositionem præsentem ad absolutionem, non debet, nec potest illum absolvere, quia non judicat probabiliter esse dispositum: si verò opinio versetur circa ea, quæ pœnitens promittit facere in futurum, videndum, an judicet pœnitens suam opinionem esse probabilem ex ignorantia vincibili, an ex invincibili, & hoc examinato, tollenda est ab ipso ignorantia, juxta regulas assignatas in quarta Confessarij obligatione.

1023. Si autem secundo modo judicet opinionem pœnitentis non esse probabilem, si ea versetur circa id, quòd pœnitens proponit facere in futurum, potest se confessarius illi conformare; si versetur circa ipsam Sacramenti receptionem, ut circa sufficientiam doloris, examinis, aut jurisdictionis, non potest se illi conformare. Ratio est, quia in primo casu permittitur solùm pœnitenti, quòd ipse sequatur opinionem, quæ à viris doctis judicatur probabilis, & consequenter verè probabilis est, quamvis non apud me, unde illi permitti-

permittitur, quòd licitum est. In secundo autem casu non solùm permittitur pœnitenti, quòd opinione illa utatur, sed etiam ipse confessarius utitur illâ; non licet autem illi eâ uti, dùm ab ipso extrinsecè saltim non judicatur probabilis. Vide Lugum *disp*. 22. *num*. 45. & 46,

1024. Vnde colliges, quòd si rusticus, dum apud me confitetur, nollet confiteri desideria, quæ habuit faciendi rem mortaliter malam, ignorando malitiam desiderij, sed cognoscendo malitiam objecti illius, non possem illum absolvere, si tamen confiteretur illa, proponeret tamen, quòd postea, dum apud alios confiteretur, non esset confessurus desideria similia, etiamsi recordaretur modò non esse ob oblivionem mihi confessa, possem illum absolvere, illique hoc propositum permittere; in hoc enim secundo casu sequeretur opinionē, quam non dubito á plurimis viris doctis reputari probabilē; in primò verò non solùm ipse, sed etiam ego sequerer illam opinionem, quæ tamen apud me probabilis non est, quia doctos, qui eam defendunt, judico illam defendere non bene perpendentes, quod contraria, & nostra, si omnis æquivocatio aufertur, deducitur evidenter ex principijs, quæ nec ab ipsis negari ullatenus possunt, sed potiùs sæpissimè traduntur; quamvis autem, ut pœnitenti permittam, sequi opinionem, sufficiat, quòd à doctis pluribus judicetur probabilis, licèt non à me; ut tamen ego eam sequar, à me etiam debet aliquo modo reputari probabilis.

1025. Sexta obligatio confessarij est disponendi pœnitentem ad absolutionem. Circa quam certum est, non posse confessarium absolvere pœnitentem, quem indispositum judicat; dispositio autem, quæ consistit in confessione integra, metienda est juxta dicta in 3. disp. & etiam in præcedenti quæstione circa tertiam confessionis obligationem. Dispositio verò, quæ in dolore, & proposito consistit, metienda est juxta dicta disp. 2. Rudiores tamen pœnitentes semper sunt à confessario prudenter excitandi ad hanc dispositionem; quia aut faciliùs eam ignorant, aut difficiliùs ad eam, ut oportet, habendam advertunt,

tunt, & excitantur.

1026. Septima obligatio confessarij est supplendi defectus in confessione commissos. Pro cujus explicatione nota defectum commissum in confessione, & posse pertinere ad validam, & posse spectare ad licitam Sacramenti administrationem. Circa primum ergo, si defectus talis sit, quòd absolutio ab excommunicatione sit invalida, poterit auferendo impedimentum, ut procurando jurisdictionem, quam non habebat, pœnitentem ab excommunicatione in absentia absolvere, quia absolutio à censuris potest dari absenti, etiamsi nulla in eo adsit dispositio. Difficultas ergo est, quid sit faciendum, quandò absolutio à peccatis fuit invalida defectu jurisdictionis, intentionis, aut simili alio. Ratio difficultatis est, quia tunc in absentia absolvi nequit, imò nec in præsentia, si pœnitens non admoneatur, quia non potest cognoscere confessarius, an sit modò dispositus ad absolutionem.

1027. Igitur dicendum est, quòd si absolutio fuit invalida absque confessarij culpa, non tenetur pœnitentem admonere, si non possit sine incommodo; tenetur tamen si sine incommodo possit; si verò defectus fuit culpabilis, tenetur, etiam cum incommodo, nisi tale sit, ut videatur præponderare bono, quod sequitur ex admonitione. Prima, & secunda conclusionis pars constat, quia cùm ex tua actione inculpabili sequitur violatio alicujus præcepti, etiam materialis, teneris eam violationem impedire, si commodè possis; non tamen si non possis absque incommodo: sed ex nullitate absolutionis, si non admoneas pœnitentem, sequitur, quod ille violet materialiter, hoc est, sine culpa, præceptum integritatis confessionis: ergo dum defectus sine tua contingit culpa, teneris admonere, si possis sine incommodo; non tamen, si sine illo non possis. Tertia verò conclusionis pars, quamvis probabiliter à pluribus negetur, probatur; quia dum ex tua actione culpabili sequitur proximi damnum in pecunia, aut fama, ad plus teneris, quàm dum sequitur ex inculpabili actione: ergo similiter dum ex tuo defectu culpabili sequitur proximo violatio integritatis, etiam materialis,

terialis, teneris ad illam vitandam magìs, quàm si sequeretur ex actione inculpabili, & consequenter teneris etiam cum incommodo.

1028. Nota tamen 1. quod addidi : *nisi incommodum videatur præponderare*, quia sicut, etsi damnificator culpabilis proximi teneatur resarcire damnum cum suo incommodo, non tamen tenetur damnum quinque aureorum resarcire cum periculo vitæ, imo nec cum damno viginti aureorum, sic etsi cum aliquo incommodo confessarius teneatur admonere de confessionis nullitate, non tamen tenetur, si illud sit valdè considerabile, quia tunc præponderabit bono integritatis confessionis, quod per illud intendi consequitur. Secundo nota, quod Philippus Faber à Diana relatus 2. *part, tract.* 1. *miscell. resolut.* 60. putat difficile, quod possit pœnitens admoneri in casu posito de nullitate confessionis sine scandalo; oppositum tamen docet noster Pater *disput.* 11. *quæst.* 136. dicens posse fieri id sine scandalo, si confessarius procuret, ut pœnitens secum iterum confiteatur, & auditis peccatis interroget, an de præteritis culpis doleat, eaque si necesse sit, quantum potest, confiteatur, quod satis erit, ut ablato defectu, absolutio etiam supra præcedentem materiam cadat : unde videtur, quòd si non possit adduci pœnitens, ut iterum cum eodem confiteatur, consentire videtur N. Pater in eo, quod tunc non possit pœnitens sine scandalo admoneri; cùm, ut probet posse sine scandalo fieri, nullum alium casum assignet. Vndé probabile videtur, quod si non possit confessarius, qui sine culpa invalidè absolvit, adducere pœnitentem, ut secum confiteatur, non tenetur alio modo illum de nullitate admonere.

1029. Si verò talis sit defectus, ut absolutio conferatur validè, sed illicitè, tunc videndum, an id contingat, quia confessarius non interrogavit circumstantias necessarias ad confessionis integritatem, si isto modo contingat, dicendum, quòd si confessarius ita se habuit, ut solùm circumstantiæ fuerint omissæ, non tamen dederit fundamentum, ut pœnitens iudicet se non teneri confiteri illas, non tenetur illum admonere,

nere, etsi culpabiliter interrogationem omiserit, sed solùm agere de hac culpa pœnitentiam. Ratio est, quia illa confessio valida fuit; quòd verò pœnitens teneatur in alia confessione circumstantiam omissam declarare, non obligat ad admonendum; cùm si fortè pœnitens id ignoret, confessarius talis ignorantiæ non sit causa: si autem iterum cum eodem confiteatur, debet interrogare, non jam propter præcedentem confessionem, sed propter præsentis integritatem. Si verò confessarius ita se gessit, ut dederit fundamentum positivum, aut negativum pœnitenti ad judicandum, non debere talem circumstantiam confiteri, tenetur pœnitentem admonere, si commodè potest, & si intercessit culpa, etiam cum aliquo detrimento, modo superiùs dicto, dum de defectu invalidæ absolutionis agebamus.

1030. Deinde videndum, an absolutio illicita fuerit, quia circa restitutionem non bene instruxit confessarius pœnitentem. In quo casu, si positivè docuit, non teneri restituere, cum teneretur (idem est, si dixisset teneri, cùm non teneretur proportione servata, atque etiam si modo simili aliud damnum causavit) debet pœnitentem admonere; quòd si ille non restituat propter confessarij doctrinam, tenetur confessarius ad restitutionem, si culpabiliter illum malè docuit; si verò inculpabiliter, tenetur monere, si commodè possit, & si non possit commodè, non tenetur ad quidquam: quòd si commodè possit, & non moneat, tenebitur etiam ad restitutionem. Ratio, cur ad restitutionem teneatur est, quia unusquisque ex justitia tenetur vitare actionem, ex qua damnum proximi sequitur, & etiam procurare, si commodè potest, ne ex sua actione etiam inculpabili damnum proximi sequatur. Vbi nota 1. hìc commodum sumendum respectivè: unde si cum uno aureo posses vitare damnum proximi mille aureorum, tunc commodè posse censereris. Secundò nota, quòd si confessarius admoneat, jam non tenebitur ad restitutionem, quamvis pœnitens restituere nolit, quia jam abstulit errorem, ratione cujus injustè se gerebat.

1031. Si

1031. Si autem Confeſſarius non docuit poſitivè, ſed ſolùm omiſit docere reſtitutionem, tunc eodem prorſus modo tenetur ad admonitionem, ſi pœnitens ratione omiſſionis, judicavit ſe non teneri reſtituere; eſt tamen hæc differentia, quòd licèt ea omiſſio culpabilis fuerit, non tenetur ad reſtitutionem, quia poſitivè non cauſavit errorem; quòd verò omiſerit docere, non eſt peccatum injuſtitiæ contra creditorem, quia ſolùm tenetur Confeſſarius docere pœnitentem, quatenùs tenetur ipſius bonum procurare, non tamen, quia teneatur procurare utilitatem aliorum. Simili etiam modo diſcurre circa obligationem monendi pœnitentem, ut relinquat occaſionem peccandi, ſi culpabiliter, aut inculpabiliter eam omiſit monitionem; tenebitur enim monitionem facere, ſi adſit ejus neceſſitas, & ea obligatio urgebit, etiam cum aliquo incommodo, ſi omiſſio fuit culpabilis; ſi verò inculpabilis, ſolùm obligabit, dum poſſit ſine incommodo. Et hæc de obligationibus ſatis, & de tota hac diſputatione.

# DISPVTATIO VII.

## ET VLTIMA DE SIGILLO CONFESSIONIS.

1032 HÆc diſputatio eſt optimo jure in hunc locum reſervata, tum quia, cùm obſervatio ſigilli præſertim pertineat ad hujus Sacramenti Miniſtrum, optimo jure diſputationi de miniſtro, diſputatio de ſigillo ſuccedit; tum etiam quia eſt rationi congruum ut diſputatio de ſigillo pòtiùs, quàm quævis alia ſigillũ materiæ imponat; in hac autem diſputatione præ omnibus brevitatem deſidero; ſed præ omnibus etiam, eam conjungere cupio cum doctrina ad praxim hujus Sacramenti neceſſaria.

### QVÆST. I. DE OBLIGATIONE, & MATERIA SIGILLI *Confeſſionis.*

1033. COnfeſſionis ſigillum eſt *obligatio occultandi peccata in Confeſſione Sacramentali audita*. Eſt autem tam ſtricta iſta obligatio, ut in nullo caſu, nec propter dira tormenta vitanda, nec propter rempublicam ſalvandam, liceat ſigillum frangere.

gere. Sic tenent omnes Doctores, & est Ecclesiæ universalis traditio. Ista autem obligatio, vel oritur ex ipsa Sacramenti institutione, ut cum Lugo *disp.* 23. *de pœnitentia* tenent aliqui; aut ex præcepto Divino, ipsi superaddito, ut tenent alij cum Arriaga *tom.* 8. *disp.* 45. *sect.* 1. unde juxta primos obligatio sigilli se habet veluti respectu Eucharistiæ obligatio eam sumendi in gratia, quæ naturalis est orta ex ipsa institutione Sacramenti; juxta secundos verò se habet, veluti obligatio præmittendi confessionem in peccatoribus sumpturis Eucharistiam, quæ non oritur ex sola Eucharistiæ institutione; sed ex præcepto Divino illi superaddito. Vnde sigilli fractio, quocunque modo explicetur, est sacrilegium, quia est contra reverentiam Sacramento debitam; est tamen præterea contra justitiam; quia simul cum sigillo confessionis frangitur secretum naturale, quod ex justitia obligat; est tamen differentia, quòd malitia ista contra justitiam erit levis, si materia sit levis, malitia verò contra Religionem semper est gravis, quamvis materia sit levis, quia frangendo sigillum etiam in materia levi, fit gravis irreverentia Sacramento.

1034. Sigilli autem obligatio non solùm ligat Confessarium, sed etiam interpretem, consiliarium, cui Confessarius ad petendum consilium peccatum pœnitentis dixit cum licentia, aut sine illa; superiorem, à quo petitur licentia ad casus reservatos, atq; illũ, cui Confessarius iniquè revelavit, vel qui casu, aut ex industria audit pœnitentis confessionem, atque illum, qui se Sacerdotem fingit, & audit confessionem, aut qui existimatur habere jurisdictionem, & non habet, atque etiam internuncium ad petendam facultatem pro absolutione à reservatis. Ratio est, quia quicunque ex dictis habet notitiam ratione confessionis, quæ notitia ad quemcunque transit, sive licitè, sive illicitè, transit cum onere sigilli, ideòq; quicunque ex dictis peccata pœnitentis manifestando irrogat gravem injuriam Sacramento, illudque reddit onerosum.

1035. Si tamen aliquis confiteretur laico cognito, vel ob devotionem, vel ob ignorantiam, quâ judicaret, confessionem laico factam

co factam valere, non teneretur laicus ille ad sigillum. Ratio est, quia illa confessio, cùm non fieret Sacerdoti, non esset confessio à Christo instituta; confessio verò illa, quæ fieret laico fingenti se Sacerdotem, esset ex intentione pœnitentis confessio à Christo instituta: unde in eo casu confessioni à Christo institutæ fieret irreverentia; non tamen in casu hujus numeri. Deinde probabilius videtur, quòd non teneretur sub sigillo, qui legeret chartam, ubi pœnitens scribit peccata ad confitendum illa; quia tunc non cognosceret illa peccata ex confessione, sed ex præparatione ad confessionem, teneretur tamen illa non manifestare sub gravissima obligatione secreti, & etiam ad non legendum, ex quo cognosceret illa esse peccata, pœnitens autem non tenetur ad sigillum servandum, quia sigillum est in favorem ipsius; tenetur tamen sub naturali secreto ad non manifestandum ea, quæ confessarius dicit in confessione, si secretum postulent.

1036. Circa sigilli materiam certum est, quòd sint peccata mortalia, & venialia, illa in genere, & specie; ista verò solùm in specie; dicere autem venialia in genere (intellige generalissimo) non est contra sigillum; quia certum est, quòd, qui confitetur, saltem venialia habeat; non potest autem manifestare, quòd habeat plura venialia, aut venialia graviuscula, aut venialia hujus generis; quia hoc redderet Sacramentum onerosum. Nec etiam dici potest de uno pœnitente, quòd sola venialia fuerit confessus, aut similis alia laus, quando istæ laudes possunt facere sensum comparativum, ita, ut aliqui intelligant, quòd alius, vel alij, qui confessi sunt, non fuerunt inventi simili laude digni; benè tamen si sic proferantur, ut sensum faciant absolutum.

1037. Sunt præterea hujus sigilli materia circumstantiæ peccatorum, & objecta. Item persona complicis, & illius peccatum, & omnia alia, quæ vel sunt necessaria ad peccatorum explicationem, vel talia à pœnitente reputantur. Ratio est, quia cujuslibet istorum revelatio redderet confessionem odiosam. Vnde colliges, quòd sit sigilli materia irregularitas, macula origi-

originis, ignorantia etiam in confessione declarata, ut explicetur aliquod peccatum, & quicunque alij defectus, qui declarati fuerint à pœnitente, existimante, quòd illorum declaratio conduceret ad peccatorum declarationem. Status autem pœnitentis, ut quòd sit Sacerdos, Gubernator, Mercator, aut artifex, non cadit sub sigillo; quia cùm communiter sciatur, etsi dicatur ad explicandum peccatum, tamen dicitur, ita ut non soleat esse mens pœnitentis illud ponere sub sigillo, quia illud dicit, quasi præsuppositivè ad confessionem, ut Confessarius cognoscens de ipso, quòd alij communiter cognoscunt, judicet rectè de peccatis; nihilominùs cavendum ab his declarandis, quando audientes possent suspicari eas circumstantias manifestatas fuisse Confessario, ut aliquod peccatum declararetur.

1038. Est etiam materia sigilli peccatum futurum; cujus propositum pœnitens confitetur. Ratio est, quia futurum peccatum habet connexionem cum proposito præsenti, quod pœnitens fuit confessus, nec interest, quòd propositum illud non fuerit confessus cum dispositione ad absolutionem; nam ista non requiritur ad sigillum, sed sufficit confessio facta animo confitendi, quamvis non consequatur, nec mereatur absolutionem, quâcunque causâ. Si verò non fiat vero animo confitendi, non obligabit sigillum: unde colliges 1. quòd si quis dicat aliqua peccata confessario dicendo, se illa narrare in confessione, verè tamen animum confitendi non habuisse constet, talia peccata non manent sub sigillo, sed solùm sub naturali secreto. Secundò colliges, quòd si hæreticus narret in confessione suas tentationes contra fidem, & cognoscatur, quòd id fecit animo inducendi confessarium, ut consentiret in hæresim, est denunciandus, quia jam constat non habuisse animum confitendi, & consequenter sigillum non obligat. Tertiò colliges, quòd si quis dicat aliquid confessario extra confessionem, & addat se dicere sub sigillo, non manet sub illo. Imò addunt aliqui hoc non posse licitè fieri; oppositum tamen est probabilius.

1039. Sunt etiam sigilli materia peccata publica, quia non atten-

attenditur in eo casu, quid perderet pœnitens, sed ne in ullo casu janua aperiatur ullo modo ad confessionis revelationem; & si confessarius interrogetur; an hæc mulier confessa fuerit suam vitam meretriciam; responsio debet esse interrogantis reprehensio, licitè tamen poterit respondere generaliter eam confessam esse omnia peccata sua, aut se eam absolvisse.

1040. Nota tamen 1. non esse contra sigillum, quòd confessarius utatur scientiâ habitâ extra confessionem circa peccata in confessione audita, sed servanda est cautela, tum ne alicui videatur, quòd utitur scientiâ habitâ in confessione, tum ne propter istam scientiam loquatur de peccato, aliquam illi addendo certitudinem. Nota secundò, quod quamvis non sit contra sigillum dicere peccatum auditum in confessione, dum non dicitur persona, nec conijci potest, est tamen semper cum magna cautela loquendum, & prudentissimum nihil loqui, tum quia tales circumstantiæ facilè occurrunt, ut possit deveniri in pœnitentis cognitionem; tum etiam, ut ait Lugo num. 63. propter nasutum aliquorum ingenium ad colligendum authorem ex aliquo facto narrato.

1041. Inquires tamen 1. an dicere propter audita in confessionibus in tali Civitate, vel oppido hæc, aut illa crimina patrari, aut etiam gravia peccata dicere audita in confessione Religiosi, non nominando Religiosum, nominando tamen Religionem, aut Conventum, sit contra sigillum. Communior sententia docet contra sigillum esse talem narrationem: quod & mihi videtur probabilius; quia etsi non cognoscatur persona in particulari; tamen ipsa persona pœnitentis simul cum alijs aliquam patitur ignominiam, quæ ipsi potest reddere onerosam confessionem, quod in casu de Religiosis multò magis urget; quia tamen hæc sententia videtur rigida, nota oppositam, ut probabiliorem defendi à nostro Patre Leandro *quæst.* 30. *&* 31. *disp.* 10. eò quòd non manifestetur pœnitens, nec in ejus notitiam deveniri potest: addit quæst. 32. quòd si ea, quæ narrat confessarius, graviter infament communitatem, erit peccatum

 grave

grave contra justitiam ea peccata revelare, mihi tamen videtur circa hoc notandum, quòd graviora crimina sunt necessaria ad infamandum Conventum, quàm ad infamandum unum Religiosum, & graviora ad integrum ordinem infamandum, multòque graviora ad infamandam unam civitatem, quæ prudentis arbitrio metienda sunt multa tamen, quæ inter prudentes infamare non sufficiunt, inter rudes infamiam, & scandalum causabunt.

1042. Secundò inquires, an bona, & virtutes pœnitentis materia sint sigilli. Respondeo non esse, nisi dicantur ad explicandum aliquod peccatum. Ratio est, quia ex illorum manifestatione non redditur confessio odiosa; tenebitur tamen confessarius ea non manifestare sub naturali secreto, si pœnitens voluerit. Tertiò inquires, an defectus, qui ex modo ipso confitendi colligitur, sint sigilli materia. Respondetur non esse; ideòque non est contra sigillum asserere, pœnitentem esse impertinentem, molestum, aut scrupulosum, aut tardi ingenij. Ratio est, quia isti defectus non dicuntur à pœnitente ad manifestanda sua peccata, sed ipse confessarius eos percipit. Nota tamen, quòd prædictos defectus manifestari, ait Tamburinus non esse contra sigillum, si passim noti sint; esse verò, si sint ignoti, ne, scilicet, confessio reddatur odiosa. Cujus sententiam in praxi sequendam consulo, licèt speculativè probabilior sit nostra immeritò ab ipso improbabilis judicata. Præterea si pœnitens dum confitebatur, blasphemavit, aut commisit furtum, vidente, & audiente confessario, non erit contra sigillum ea manifestare, sed contra justitiam, si non sunt publica, quia ea peccata non est confessus, sed commisit illa in confessione.

1043. Quartò inquires, an quando tempore pestis, aut naufragij aliquis publicè confitetur, ea peccata sint sigilli materia. Respondeo affirmativè, ita ut adhuc ipsi, qui audierunt, non possint inter se colloqui de illis peccatis. Ratio est, quia sigillum obligat ad non colloquendum de peccatis cum ipso pœnitente: ergo etiam, ut inter se non colloquantur illi, qui audierunt. Vnde colliges, quòd nec

nec duo confeſſarij, qui ſimul audierunt eundem pœnitentem, poſſunt colloqui de illius peccatis, nec etiam laici, qui audierunt inter ſe, etiam laicos obliget ſigillum, ut vidimus. Iterum colliges à fortiori non poſſe duos confeſſarios colloqui de auditis in confeſſionibus diverſis ejuſdem pœnitentis; ſive ſint eadem numero peccata apud utrumque confeſſa, ſive ſint eadem ſpecie, diverſa tamen numero: quando ſunt diverſa numero, ratio eſt clara, quia verè unus confeſſarius alteri manifeſtat peccatum, quod in confeſſione cognovit, & alter neſciebat: quando verò peccata ſunt eadem numero, ratio eſt eadem, quam dedimus nuper probando reſponſionem.

1044. Quinto inquires, an ſit ſigilli materia pœnitentia à confeſſario injuncta. Reſpondeo certiſſimum eſſe, quod ſit ſigilli materia, ſi ſit pœnitentia gravis; ſi verò levis, probabiliùs, quod non. Prima reſponſionis pars conſtat; quia pœnitentia gravis eſt ſignum, aut quòd pœnitens haberet peccatum mortale, aut quòd haberet plura peccata venialia, aut graviuſcula: ergo cum ſit contra ſigillum iſta peccata indicare, etiam erit contra illud manifeſtare talem pœnitentiam gravem. Secunda verò reſponſionis pars probatur; quia ex levi pœnitentia non poteſt conjici peccatum mortale, nec venialium multiplicatio, aut gravitas, ſed ſolùm veniale in genere; ſed iſta notitia non eſt contra ſigillum: ergo nec notitia talis pœnitentiæ.

1045. Vnde colliges, quòd qui graves pœnitentias publicas, ut qui plura jejunia, plures flagellationes, & ſimilia, alia paulò poſt confeſſionem adimplenda, imponit, frangit ſigillum, probabilius tamen illud non frangit, qui leves pænitentias in publico adimplendas imponit. Simili proportione eſt ſentiendum de imponente pœnitentias alta voce.

## QVÆSTIO II. QVIBVS *modis frangatur confeſſionis ſigillum.*

1046. Certum imprimis eſt, confeſſionis ſigillum frangi, quoties à perſonis, quæ ad illud ſervandum obligantur, dicitur aliquid, quod materia ſigilli

gilli ſit, aut aliquid dicitur, aut fit, ex quo colligi poteſt id,quod eſt materia ſigilli. Ratio eſt,quia quodcunque iſtorum eſt contra occultationem, ad quam ſigillum obligat. Similiter eſt certum, quòd frangatur ſigillum, ſi dicantur peccata, quæ ſunt ſigilli materia, non nominando perſonam, in circumſtantijs,in quibus aliquis poſſit eam conijcere. Vnde colliges 1. quòd ſi confeſſarij inter ſe confabulando dicant hæc, & hæc peccata hodie mihi confeſſus eſt quidam miles, aut quidam Clericus, aut quædam mulier, ſigillum frangerent, quia etſi perſona non nominetur, facilè contingere poteſt, quòd aliquis ex audientibus poſſit illam conijcere, ut ſupra numero 1040. notabamus. Imò, quòd magis eſt, aliquando tacendo frangi poterit ſigillum, verbi gratiâ, ſi confeſſarius interrogetur, an Mariam reputet honeſtam, & advertat, quòd ex taciturnitate generari poteſt ſuſpicio, quòd illa fuerit aliquid contra caſtitatem confeſſa, peccabit tacendo, & franget ſigillum. Violaretur præterea ſigillum, ſi propter peccata confeſſa oſtenderet pœnitenti confeſſarius faciem duriorem, quàm ſolet.

1047. Secundò colliges, quòd franget ſigillum confeſſarius dicendo non abſolvi pœnitentem, ſi ſupponat, quòd eum audivit, aut incepit audire. Ratio eſt, quia inde facilè colligitur, pœnitentem aliquod peccatum grave fuiſſe confeſſum, vel aliquâ cenſurâ innodatum eſſe; addunt tamen aliqui cum noſtro Patre Leandro, poſſe reſpondere confeſſarium ſine ſigilli fractione non abſolvi, quia non finivit confeſſionem, aut non abſolvi, quia non habebat ſufficientem materiam; ſed mihi videtur hanc reſponſionem vitari debere à confeſſario; quia ex eo, quòd non finierit confeſſionem, colligi etiam poteſt, quòd longa fuerit, aut facilè etiam non credi, quòd ſit iſta ratio, cur non contulerit abſolutionem. Illa etiam ratio, quòd non haberet materiam, etiam eſt incredibilis communiter. Quapropter potiùs propter eam judicabunt multi, materiam nimis abundaſſe, & diſpoſitionem defeciſſe.

1048. Melior ergo reſponſio in caſu poſito erit dicere, ſe ſuo muneri ſatisfeciſſe; non tamen

tenetur confessarius dicere ex professo, se eum absolvisse, nec schedulam confessionis dare; licèt enim hoc secundum mendacium non sit, quia verum est, quòd fuerit confessus, & illud primum possit dici cum æquivocatione, adhuc verius est, quòd ad neutrum teneatur, quia schedulam dare, aut dicere, absolvi, esset positivè cooperari occultationi peccati pœnitentis, quam ipse vult facere illicitè, dum posset eam licitè facere, rectè se ad absolutionem disponendo: confessarius autem non tenetur ad occultationem illicitam cooperari pósitivè, quia non cooperando dici non potest, quòd revelat, sed solùm, quòd non impedit, quòd ipse pœnitens suam confessionem non revelet, quod confessario non incumbit, præsertim, cùm inde immineant graviora peccata. Poterit autem confessarius eam schedulam dare, si velit, eò quòd ad eam dandam teneri judicent probabiliter Ægidius, Facundez, Diana, & alij apud nostrum Patrem *disp.* 10. *quæst.* 8. atque etiam Amicus *disp.* 14. *num.* 9. & Tamburinus in appendice *ad method. confess. cap.* 4. *num.* 16. & aliquando expediet, veluti cùm pœnitens non potest modò se disponere, saltem ita, ut credi debeat à confessario dispositus, proponit tamen se disponere, aut facere, quæ petit confessarius, ut credatur dispositus, & redire; tunc enim opportebit dare schedulam, si eâ indigeat ad vitandam infamiam.

1049. Tertiò colliges, non posse Confessarium uti scientiâ ex confessione habita, quando ex tali usu sequitur directa, vel indirecta confessionis revelatio, vel aliàs talis usus est aliquomodo ingratus pœnitenti, ita ut confessio odiosa reddatur. Vnde non licet Prælato ex sola notitia in confessione habita amovere subditum ab officio, à quo potest ad nutum Prælati amoveri. Primò, si alter possit propter amotionem suspicari peccatum confessum adhuc in confuso. Secundò, si saltem ipse subditus possit cognoscere, quòd amovetur propter tale peccatum; sicut enim loqui cum pœnitente de peccatis in confessione auditis est contra sigillum; sic etiam contra ipsum erit facere aliquid, quòd illi ostendat, aut exprobret peccatum confessum.

ſum. Tertiò, erit contra ſigillum dicta amotio caſu, quo etſi nullum ducat in ſuſpicionem peccati confeſſi, ſit tamen injucunda talis amotio ſubdito, ita ut ipſi ſubdito redderetur confeſſio onerofa, ſi antequam ad illam accederet, adverteret, quòd licitum erat Prælato tali confeſſionis notitia ad amotionem illius ab officio uti. Vnde ejuſmodi uſum ſuperioribus prohibuit in gubernatione Clemens VIII. anno 1594. die 26. Maij, quem uſum, etſi dicant quidam non prohibitum, quia malum, ſed quia periculum mali continet; probabilius tamen eſt, prohibitum eſſe, quia malum. Videatur Arriaga *tom.* 8. *diſp.* 46. *ſect.* 3. *ſub ſect.* 1. *&* 2.

1050. Si tamen ex uſu ſcientiæ confeſſionis, nec ſequatur confeſſionis revelatio, nec ullum incommodum, aut exprobratio pœnitentis, licitum erit uti confeſſionis ſcientiâ. Hinc licet confeſſario ſcientiam ex confeſſione comparatam obſervare, ut ipſe prudentior, & cautior reddatur, v. g. ut fugiat occaſiones, & pericula, propter quæ videt alios in peccata incidiſſe, ut vitet ludum, ne tempus, & pecunias perdat, aut etiam pacem, & alia ſimilia. Hinc etiam licet confeſſario majorem affectum oſtendere erga pœnitentem, qui gravia peccata illi confeſſus eſt, quamvis pœnitens conijciat talem affectum oriri ex eo, quòd illi confeſſus fuerit ſua peccata cum confidentia, & magnis pœnitentiæ ſignis. Ratio eſt, quia hoc non continet revelationem confeſſionis, cum ſolùm indicentur peccata pœnitenti illa ſcienti, nec datur exprobratio, aut aliquod pœnitentis incommodum, quod confeſſionem ullo modo reddere poſſit onerofam. Similiter ſi Prælatus ex confeſſione intelligat ſubditos ſibi iraſci eò, quòd parcus, & durus ſit, poteſt ea ſcientiâ uti, ut ſuaviùs, & liberalius agat deinde cum illis.

1051. Ex doctrina hujus tertiæ illationis, alias plures illationes ſubinferes. Prima ſit, non poſſe confeſſarium ſuffragium negare pœnitenti ad officium, Prælatiam, aut quodcunque aliud ex ſola notitia confeſſionis. Secunda illatio ſit, non poſſe confeſſarium, ſi Prælatus ſit, ob confeſſionis notitiam negare ſubdito Licentiam alloquendi

externos, exeundi foras, & similia, quod etiam verum est, etsi id fiat ita, ut cognosci nequeat, quod utitur notitiâ confessionis, quamvis in hoc casu oppositum sentiat noster Pater Leander. Ratio autem illationis est, quia si pœnitens sciret ante confessionem, quòd licebat confessario eâ notitiâ taliter uti, redderetur ipsi onerosa confessio. Tertia illatio sit etiam contra nostrum Patrem quæst 70. & 73. non posse confessarium ex sola confessionis notitia dimittere famulum, aut voluntatem mutare instituendi hæredem, aut resignandi Beneficium; si tamen aliunde cognoscat id ipsum, quod ex confessione novit, poterit illâ notitiâ uti; quia notitia confessionis sufficit, quòd pœnitenti non sit nociva, & nequaquam est necessarium, quòd pœnitenti prosit, impediendo usum alterius notitiæ.

1052. Quarta illatio sit, posse confessarium, si sit superior, uti notitiâ confessionis ad reservandum peccata aliqua in communi, & si sit prædicator, ad ea in communi objurganda, quia in confessione cognovit ea frequentari, quia in hoc non datur revelatio, nec incommodum cujusvis pœnitentis, sed bonum regimen. Quinta illatio sit, quòd, si occultus peccator, quem non absolvisti, petat à te Eucharistiam, sive in occulto, sive in publico, non potes eam ipsi denegare, quia jam hoc esset uti notitiâ confessionis in re, quæ ipsi pœnitenti videtur onerosa: si verò sit peccator publicus, potest etiam in publico ei Eucharistiam negare, quia tunc independenter à negatione absolutionis adest sufficiens ratio; & si replicet pœnitens dicendo, tu me absolvisti, non respondeat, quòd non; sed dicat, debes, ut Eucharistiam sumere possis, publicè agere pœnitentiam, quam usque modo non fecisti. Sexta illatio sit, non posse confessarium vitare excommunicatum etiam in occulto, cujus excommunicationem solùm cognovit ex confessione. Ratio est, quia si vitet illum, aut dabitur revelatio, aut exprobratio peccati, aut saltem facit aliquid confessarius, quòd, si sciret ille pœnitens, redderet confessionem difficiliorem.

1053. Si autem ex confessione sola noscat confessarius violationem

tionem Ecclesiæ, poterit, & tenebitur in ea celebrare, si ex omissione, aut sequatur peccati notitia, aut pœnitẽtis damnum. Si verò neutrum istorum sequatur, adhuc probabilius celebrare potest; quia Ecclesia non obligat Sacerdotem ad non celebrandum in loco polluto, quando illud esse pollutum solùm ex confessione novit.

## *QVÆST. III. ET VLtima, Dubia alia, quæ restant circa sigillum, resolvuntur.*

1054. PRo hujus disputationis complemento aliqua dubia sunt in hac quæstione resolvenda. Inquires ergo 1. an confessarius interrogatus possit negare peccatum in confessione auditum. Respondeo posse, & debere, quia non mentitur negando; etsi enim illud sciat, non scit, ut possit dicere; & si cogatur jurare, quia si non juret, credet alius, quòd peccatum audierit in confessione, potest cum juramento negare; imò & debet, etiamsi interrogetur expressè, an in confessione audierit, quia semper addere potest mentalem restrictionem, etsi interrogatio cum multis fiat reduplicationibus.

1055. Secundò inquires, an saltem ad mortem vitandam possit confessarius uti scientiâ confessionis. Certum est, quòd sigillum revelari non possit, non solùm ad vitandam mortem, sed nec ad salvandum innocentem, imò neque pro totius mundi salute, non modò temporali, sed etiam æterna, nec in hoc ullo modo dispensari potest. Solùm ergo est difficultas, an quando ex confessione sciret confessarius, venenum sibi in vino præparari, possit illâ uti notitiâ, Missam omittendo, & idem est cum proportione in similibus casibus. Respondeo ergo, quòd si ex omissione Missæ solus pœnitens cognosceret peccatum confessum, & nullum inde ei sequeretur incommodum, posset confessarius Missam omittere; si verò, etsi solus ipse cognosceret, ipsi tamen sequeretur incommodum, non posset. Ratio est, quia cùm in eo casu non detur revelatio, solùm fiet contra sigillum, quando incommodum pœnitenti sequitur, quòd confessionem

nem

nem ipsi reddere posset onerosam.

1056. Si tamen ex omissione Missæ non solùm pænitens, sed etiam socij, qui crimen intendebant, cognoscerent, peccatum confessum esse, probabilius est, tunc non posse Missam omittere, quia jam tunc aderat revelatio, quia quamvis illi crimen scirent, revelatio non vitatur, quia etiam dum publicum est delictum, est revelatio dicere scientibus, illud mihi dictum esse in confessione. Adverte tamen, quòd Coninc. *disp.* 9. *dub.* 4. ait probabiliter, in hoc ultimo casu posse omitti Missam, quia non tam confessarius manifestat peccatum, quàm ipsi criminum conscij illud colligunt. Amplius addit adhuc noster Pater Leander *quæst.* 69. & novissimè cum alijs Tamburinus *in appen. de sigillo cap.* 6. *num.* 5. videlicet, quòd posset omittere Missam, aut fugere, etiamsi propter hoc timeret, quòd socij criminis essent pœnitentem interfecturi ob delicti manifestationem; addit tamen N. P. laudabile fore mortem subire occultando, & non utendo notitiâ confessionis propter tuendam vitam pœnitentis.

1057. Tertiò inquires, an quando confessarius non posset suum peccatum declarare, non declarato peccato in confessione audito, deberet utrumque declarare. Respondeo potiùs in casu, in quo non posset invenire confessarium, cui suum peccatum confiteretur, quin veniret in cognitionem peccati pœnitentis, debere omninò suum peccatum tacere. Ratio est, quia striċtiùs obligat sigillum, quàm confessionis integritas, cùm ex multis causis, quæ à confessionis integritate excusare solent, nulla sufficiat à sigilli obligatione excusare. Quapropter nostram sententiam tenet Lugo *disp.* 23. *num.* 144. *Amicus disp.* 14. *num.* 16. *noster Pater Leander disp.* 10. *quæst.* 60. & alij communiter, & quamvis oppositum tenet M. Soto apud Moyam *disp.* 1. *quæst.* 1. *num.* 7. ejus tamen sententiam meritò dicit improbabilem ipse cum Thoma Hurtado, quem refert.

1058. Quartò inquires, an si ex confessione Petri noscat confessarius, quòd ipse Petrus, cui solet ipse confiteri, non est Sacerdos, possit illum dimittere, etiamsi

etiamsi ipse advertat propterea dimitti. Respondeo, quòd si ipse solus advertat, potest; quia ex una parte non revelat confessionem, & ex alia nihil faciat in pœnitentis personam, quòd ipsi sit molestum, aut illi reddere possit confessionem meritò onerosam. Si verò alij peccatum pœnitentis, quòd aliàs ignorabant, suspicentur ex eo, quòd ad ipsum non accedat, apud ipsum potest, & debet simulare confessionem, seu exteriùs confiteri, apud alium veram confessionem faciendo. Vide Tamburinum *in append. de sigillo cap.* 6. §. 3. *num.* 10. &. 11.

1059. Quintò inquires, an si confessarius ex confessione cujusdam pœnitentis timeat, quòd si ejus confessionem audiat, solicitabitur ab illo ad peccandum, possit recusare ejus audire confessionem, quamvis ipse rem advertat, aut alij aliquid suspicentur. Respondeo, posse; quia solicitatio præcedentis confessionis non cadit sub sigillo, vel quia illa confessio, in qua solicitavit, non fuit vera confessio animo confitendi facta, vel dato, quòd fuerit vera, tamen solicitatio fuit in illa commissa, & non confessa. Vide supra num. 1042.

1060. Sextò inquires, an possit confessarius nolle audire pœnitentem, quem sæpè non absolvit, quia noluit occasionem peccandi tollere. Respondeo primò, quòd si ipse solus advertat, potest nolle audire: tum quia sicut potest nolle absolvere, usque dum resipiscat, sic etiam nolle audire illum. Tum etiam, quia ex una parte non revelatur confessio, & ex alia non fit odiosa; quia non retrahitur pœnitens à bona confessione; sed potiùs ad eam magìs allicitur. Si verò alij sint malum suspicari, adhuc potest non audire, si confessiones præteritas fecit simulatè; eo quòd simulata confessio ad sigillum non obligat; si verò eas fecit animo se adjuvandi; licèt nec fuerit absolutus, nec ad absolutionem dispositus, tenetur confessarius audire, quia illa confessio licèt non fuerit perfecta, fuit tamen sacramentalis, quamvis inchoata tantum: quòd sufficit, ut ad sigillum obliget. Poterit tamen illum audire, etiam in casibus, in quibus non tenetur, quia in eo, quòd illum audiat, dum non absolvat

illum, usque dum sit dispositus, nullum adest inconveniens.

1061. Septimò inquires, an confessarius possit uti notitiâ confessionis, & de peccatis loqui in ea auditis, si pœnitens det ei licentiam. Respondeo posse; quia obligatio sigilli, est in favorem pœnitentis, ideòque potest illam revelare; ea autem licentia debet esse expressa, quia nullatenus sufficit præsumpta. Sufficienter autem exprimeret pœnitens licentiam, si ipse inciperet de peccatis confessis cum confessario loqui, ideòque tunc posset etiam confessarius loqui de illis. Debet etiam licentia, ut sit valida, ordinari in bonum pœnitentis, aut alterius temporale, vel spirituale. Atque etiam spontaneè debet dari, non vi aut metu, etiam reverentiali.

1062. Nota tamen primò, quòd si statim post auditam confessionem occurrat defectus supplendus, potest confessarius loqui de auditis sine licentia pœnitentis, quòd tamquam æquè probabile, optimè docet cum alijs noster Pater *disp.* 10. *quæst.* 24. referens verba Patris Granados, quæ talia sunt. * Licebit tamen confessario, peractâ absolutione, si nondum pœnitens discessit, sed adhuc est genibus provolutus, dicere aliquid ad confessionem spectans, quia moraliter loquendo adhuc durat confessio. Si verò jam recessit, & iterum ad confitendum redeat, etiam post multum temporis, licet agere cum illo de rebus prioris confessionis, quia jam id pertinet ad idem omninò forum. * Quæ omnia dicta sunt satis probabiliter, & docentur etiam à Tamburino *in append. de sigillo cap.* 5. *num.* 3. *&* 4. *& ab Arriaga disp.* 46. *sect.* 4. *sub sect.* 1. *à num.* 41.

1063. Nota secundò, quòd quamvis probabiliùs sit, quòd omninò extra confessionem ad loquendum cum pœnitente sit necessaria ipsius licentia, non solùm petita, sed etiam obtenta; probabile tamen est, quòd ad supplendum defectum præteritæ confessionis, possit loqui cum eo confessarius, etiam licentiâ non obtentâ, quia hoc non tam est loqui extra confessionem, quàm priorem perficere confessionem. De quo videndus noster Pater *quæst.* 23. qui etiam *quæst.* 22. citat Vazquium asse-

asserentem posse confessarium sine licentia loqui cum pœnitente de peccatis in confessione auditis, solùm intentione inquirendi ea, quæ meliùs juvare possunt ipsum. Oppositum tamen longè probabilius asserit esse, & meritò.

1064. Tertiò denique nota crimen revelationis sigilli non pertinere ad sanctum inquisitionis Tribunal, sed ad Episcopum, nisi casu, quo Sacerdos habeat admixtum errorem in fide, quasi non sit peccaminosa ea sigilli violatio. Ipso facto nulla incurritur pœna propter sigilli revelationem. A judice autem imponenda designatur *in cap. omnis utriusque sexus*, pœna depositionis, & ut intrudatur perpetuò in Monasterium. Et hæc sint satis de sigillo, ac de toto hoc tractatu, in quo quidquid dixi, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ subijcio correctioni.

*Gloria tibi Trinitas.*



# INDEX
## PROPOSITIONUM DAMNATARUM, à SS. PP. NN. Alexandro VII. & Innocentio XI.
## QUÆ

*In hoc tractatu explicantur, stellulâ in principio notantur, & pagina ac numerus, à quibus incipit cujusque explicatio, in fine indicatur.*

### DAMNATÆ AB ALEXANDRO.

1. *HOMO nullo unquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actum fidei, spei, & charitatis ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium.*

2. *Vir equestris ad duellum provocatus potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.*

* 3. *Sententia asserens, Bullam Cœnæ solùm prohibere absolutionem hæresis, & aliorum criminum, quando publica sunt, & id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus sermo est, anno 1629. 18. Iulij in Consistorio Sacræ Congregationis Emin. Cardinalium visa, & tolerata est*, 335. *à num.* 792.

4. *Prælati Regulares possunt in foro conscientiæ absolvere quoscunque sæculares ab hæresi occulta, & ab excommunicatione propter eam incursa.*

5. *Quamvis evidenter tibi constet Petrum esse hæreticum, non teneris denuntiare, si probare non possis*

6. *Confessarius, qui in Sacramentali Confessione tribuit Pœnitenti chartam postea legendam, in qua ad venerem incitat, non censetur solicitasse in Confessione, ac proinde non est denuntiandus.*

7. *Modus evadendi obligationem denuntiandæ solicitationis est: Si solicitatus confiteatur cum solicitante, hic potest ipsum absolvere absq; onere denuntiandi.*

8. *Duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem Missa licitè accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructûs ipsimet*

celebranti

## DAMNATÆ AB INNOCENTIO.

24. *Vocare Deum in testem mendacij levis, non est tanta irreverētia, propter quam velit, aut possit damnare hominem.*

25. *Cum causa licitum est jurare sine animo jurandi, sivè res sit levis, sive gravis.*

26. *Si quis, vel solus, vel coram aliis, sive interrogatus, sivè propria sponte, sivè recreationis causâ, sine quocunque alio fine juret, se non fecisse aliquid, quod revera fecit, intelligendo intra se aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, revera non mentitur, nec est perjurus.*

27. *Causa justa utendi his amphibologiis est quoque id necessarium, aut utile est ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita ut veritatis occultatio censeatur tunc expediens, & studiosa.*

28. *Qui mediante commendatione, vel munere ad Magistratum, vel Officium publicum promotus est, poterit cum restrictione mentali præstare juramentum, quod de mandato Regis à similibus solet exigi, non habito respectu ad intentionem exigentis, quia non tenetur fateri crimen occultum.*

29. *Vrgens metus gravis est causa justa Sacramentorum administrationem simulandi.*

30. *Fas, est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter hæc ignominia vitari nequit, idem quoque dicendum, si quis impingat alapam, vel fuste percutiat, & post impactam alapam, vel ictum fugiat.*

31. *Regulariter occidere possum furem pro conservatione unius aurei.*

32. *Non solùm licitum est defendere defensione occisiva, quæ actu possidemus, sed etiam, ad quæ jus inchoatum habemus, & quæ nos possessuros speramus.*

33. *Licitum est tam hæredi, quam legatario contra injustè impedientem, ne vel hæreditas adeatur; vel legata solvantur, se taliter defendere, sicut & jus habenti in Cathedram, vel Præbendam contra eorum possessionem injustè impedientem.*

34. *Licet procurare abortum ante animationem fœtûs, ne Puella deprehensa gravida occidatur, aut infametur.*

35. *Videtur probabile omnem fœtum, quamdiu in utero est, carere anima rationali, & tunc primùm incipere eandem habere, cum paritur, ac consequenter dicendum erit in nullo abortu homicidium committi.*

36. Per-

36. *Permissum est furari, non solùm in extrema necessitate, sed etiam in gravi.*

37. *Famuli, & famulæ, domestici possunt occultè heris suis surripere ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario, quod recipiunt.*

38. *Non tenetur quis sub pœna peccati mortalis restituere, quod ablatum est per pauca furta, quantumcunque sit magna summa totalis.*

39 *Qui alium movet, aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem istius damni illati.*

40. *Contractus Mohatra licitus est, etiam respectu ejusdem Personæ, & cum contractu retrovenditionis prævìè inito, cum intentione lucri.*

41. *Cùm numeratâ pecuniâ pretiosior sit numeranda, & nullus sit, qui non majoris faciat pecuniam præsentem, quàm futuram, potest creditor aliquid ultrà sortem à mutuatario exigere, & eo titulo ab usura excusari.*

42. *Usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur, tanquam ex benevolentia, & gratitudine debitum, sed solùm si exigatur tanquam ex justitia debitum.*

43. *Quidni non nisi veniale sit detrahentis auctoritatem magnam sibi noxiam falso crimine elidere?*

44. *Probabile est non peccare mortaliter, qui imponit falsum crimen alicui, ut suam justitiam, & honorem defendat. Et si hoc non sit probabile, vix ulla erit opinio probabilis in Theologia.*

45. *Dare temporale pro spirituali non est simonia, quando temporale non datur tanquam pretium, sed duntaxat, tanquam motivum conferendi, vel efficiendi spirituale, vel etiam quando temporale sit solùm gratuita compensatio pro spirituali, aut è contra.*

46. *Et id quoque locum habet, etiamsi tempore sit principale motivum dandi spirituale; imò etiamsi sit finis; ipsius rei spiritualis, sic ut illud pluries æstimetur, quàm res spiritualis.*

47. *Cum dixit Concilium Tridentinum eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui nisi quos digniores, & Ecclesiæ magìs utiles, ipsi judicaverint, ad Ecclesias promovent, Concilium, vel primò videtur per hoc digniores non aliud significare velle, nisi dignitatem eligendorum sumpto comparativo pro positivo; vel secundò locutione minùs propria ponit digniores, ut excludat indignos, non verò dignos;*



# INDEX RERVM,

## QVÆ IN HOC TRACTATV DE SACRAmento Pœnitentiæ continentur.

P. paginam, N. numerum denotat marginalem.

## A.

dem

CASVS EPISCOPO RESERVATI.

COGNATIO.



COMPLEX.



CONFESSARIUS.

CONFESSIO.

MINISTER.

PRÆLATVS.



PROPOSITIO.



PROPOSITVM.

PVERI.



# Q.

QVANTITAS.



# R.

REGVLARES CONFESSARII.

SCANDALVM.



SCIENTIA.



SENSIBILE.



SIGILLVM.




# ERRATA SIC CORRIGE.

PAgina 1. columna 0. linea 15. istes dic. istæ. Pag. 5. c. 1. l. 10. materia, ut d. materia, ista ut. Pag. 6. c. 1. l. 22. conficiantur, d. conficiatur. Pag. 6. c. 2. l. 8. Gavari, d. Gavarri. P. 10. c. 1. l. 5. pænirentis, d. pænitentis. P. 19. c. 2. l. 11. aliqui, d. aliquid. Pag. 32. c. 1. l. 21. pecaii, d. peccati. Pag. 34. c. 1. l. 14. pænam, quem, d. pænam incurrere, quem. Pag. 42. c. 1. l. 4. solam, ut, d. solam necessitatem, ut. Pag. 43. c. 2. l. 6. reverentiam, d. irreverentiam. Pag. 49. c. 1. l. 6. non est licitum, d. non est illicitum. Pag. 51. (& alibi) c. 2. l. 30. V. d. vide. Pag. 57. c. 1. l. 26. Correlia, d. Corella. Pag. 63. c. 2. l. 29. Coninch, d. Cuninck. Pag. 65. c. 1. l. 1. Minister, d. Ministro. Pag. 69. c. 2. l. 18. confessionem solis, d. confessionem de solis. Pag. 81. c. 1. l. 13. documenti, d. nocumenti. Pag. 81. c. 1. l. 30. qui ipsi, d. quia ipsi. Pag. 82. c. 1. l. 23. occacionis, d. occasionis. Pag. 85. c. 2. l. 20. Sacobus, d. Jacobus. Pag. 89. c. 2. l. 8. contratia, d. contraria. Pag. 91. c. 2. l. 27. fere d. ferè. Pap. 98. c. 1. l. 17. venetur, d. tenetur. Pag. 107. c. 1. l. 9. inteligit, d. intelligit. Pag. 102. c. 2. l. 23. inrelligeretur. d. intelligeretur. Pag. 107. c. 2. l. 1. fit, d. sit. Pag. 119. c. 2. l. 31. ant, d. aut. Pag. 120. c. 2. l. 16. falsa, d. falsam. Pag. 124. c. 1. l. 1. nullus, d. nullo. Pag. 129. c. 1. l. 8. ira, d. ita. Pag. 152. c. 2. l. 28. Christianis, d. Christiani. Pag. 153. c. 2. l. 16. volunsas, d. voluntas. Pag. 162. c. 1. l. 3. nocter, d. noster. Pag. 162. c. 2. l. 23. nullem, d. nullum. Pag. 164. c. 1. l. 8. uagentissima, d. urgentissima. Pag. 164. c. 2. l. 11. cnfiteri, d. confiteri. Pag. 171. c. 2. l. 10. disunctione, d. disjunctione. Pag. 172. c. 1. l. 15. cæterarum, d. cæterorum. Pag. 177. c. 2. l. 3. compositionem, d. compositionem. Pag. 187. c. 1. l. 26. largitur, d. largiatur. Pag. 187. c. 1. l. 27. solutio, d. absolutio. Pag. 194. c. 1. l. 25. mortis, d. moris. Pag. 201. c. 1. l. 29. Patentibus, d. Parentibus. Pag. 206. c. 2. l. 6. cum, d. cum. Pag. 218. c. 1. l. 13. comissæ, d. commissæ. Pag. 223. c. 2. l. 9. Codice, d. codice. Pag. 235. c. 2. l. 34. transcendat, d. transcendat. Pag. 245. c. 1. l. 14. malam esse, d. malam esse ignoret. Pag. 262. c. 2. l. 9. tnali, d. in tali. Pag. 265. c. 1. l. 31. inadvertentur, d. inadvertenter. Pag. 265. c. 1. l. 32. lalia, d. talia. Pag. 266. c. 2. l. 29. dolorum, d. dolorem. Pag. 268. c. 1. l. 9. abstinenda, d. abstinendo. Pag. 270. c. 1. l. 15. dum, d. num. Pag. 271. c. 1. l. 3. Costilento, d. Castilento. Pag. 271. c. 2. l. 1. navaui, d. navavi. Pag. 271. c. 2. l. 19. pulpirio, d. pulpito. Pag. 272. c. 2. l. 18. annorum, d. annorum. Pag. 272. c. 2. l. 33. fit. d. sit. Pag. 273. c. 2. l. 30. mortalia, d. mortalia. Pag. 274. c. 1. l. 9. ad admisserit, d. commisserit. Pag. 275. c. 2. l. 20. raceri, d. taceri. Pag. 279. c. 2. l. 25. resoluit, d. resoluit. Pag. 280. c. 1. l. 16. necestarium, d. necessarium. Pag. 283. c. 2. l. 1. potast. d. potest. Pag. 284. c. 1. l. 19. fit, d. sit. Pag. 285. c. 1. l. 8. fiquis, d. siquis. Pag. 286. c. 1. l. 26. elemosynam, d. eleemosynam. Pag. 288. c. 2. l. 8. tomen, d. tamen. Pag. 303. c. 1. l. 10. Aravio, d. Araujo. Pag. 317. c. 1. l. 31. majori, d. majori. Pag. 324. c. 2. l. 34. differt, d. differt. Pag. 325. c. 2. l. 3. reperit, d. repetit. Pag. 329. c. 1. l. 5. 768. d. 778. Pag. 333. c. 2. l. 9. quam, d. quin. Pag. 334. c. 1. l. 14. consitendi, d. confitendi. Pag. 334. c. 1. l. 26. accipere, d. accipe. Pag. 337. c. 1. l. 10. Mathæus, d. Matthæus. Pag. 341. c. 1. l. 5. annunciationis, d. enunciatio. Pag. 346. c. 1. l. 27. practica, d. practicè. Pag.

Pag. 348. c. 1. l. 26. ~~disq,~~ d. disp. Pag. 349. c. 1. l. 32. ~~negate,~~ d. negat. Pag. 357. c. 1. l. 12. ~~quæmcumque,~~ d. quæcumque. Pag. 360. ( & alibi ) c. 2. l. 26. ~~Quintanadvenas,~~ d. Quintanadverias. Pag. 366. c. 2. l. 30. ~~cummuni,~~ d. communi. Pag. 374. c. 1. l. 4. ~~Avendanrio,~~ d. Avendario. Pag. 380. c. 1. l. 33. ~~prælata.~~ d. præfata. Pag. 381. c. 1. l. 28. ~~Pacochiale.~~ d. Parochiale. Pag. 383. c. 1. l. 12. ~~turisdictione~~ d. jurisdictione. Pag. 392. c. 2. l. 13. ~~confitetur,~~ confitetur. Pag. 392. c. 2. l. 16. ~~232.~~ d. 932. Pag. 394. c. 2. l. 24. ~~cum.~~ d. eam. Pag. 397. ( & alibi ) c. 1. l. 30. ~~Carranca,~~ d. Carranza. Pag. 406. c. 2. l. 21. quendam, d. quemdam. Pag. 407. c. 1. l. 5. ~~humlitate,~~ d. humilitate. Pag. 412. c. 2. l. 10. ~~fie,~~ d. fit. Pag. 421. c. 2. l. 16. ~~pœnitentiam,~~ d. pœnitentem. Pag. 446. c. 2. l. 21. ~~cenfeffionem,~~ d. confessionem.

Errores typi, ( maximè quoad interpunctionem ) si qui, ultra notatos, irrepserint, condona, placeatque tibi, non satis correctè edita, corrigere.



Zubożyłowy ktorzy i ważżny, w panskiey pod potrzą

bą dobrze nie ody, boleiące przemywaige ie po

waga S<sup>to</sup> pamięże naywaznie siłiego

S<sup>to</sup>borzek



